JUSTINI FEBRONII JCti
DE
STATU ECCLESIÆ
ET
LEGITIMA POTESTATE ROMANI PONTIFICIS
LIBER SINGULARIS,
AD
REUNIENDOS DISSIDENTES
IN RELIGIONE CHRISTIANOS
COMPOSITUS.

TOMUS TERTIUS
ULTERIORES OPERIS VINDICIAS CONTINENS.



BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. III NAPOLI

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ.
ANNO MDCCLXXII.

Digitized by Google

Maledicent illi, & Tu benedices.

Pſalm. CVIII. ℣. 28.

Digitized by Google

TABULA

eorum, quæ in hac parte tertia continentur.

I.

Bona cauſa Juſt. Febronii adversùs P. Viatorem à Cocaleo & alios Scriptores defenſa.

Titulus I.

De exteriore forma regiminis, quam in ſua Eccleſia Chriſtus Dominus inſtituit.

pag.

§. 1. *De textibus ſacræ Scripturæ, quibus Romani ad fundandam ſuam Monarchiam abutuntur* 1

§. 2. *Claves immediatiùs Eccleſiæ datæ ſunt quàm Petro.* . . 8

§. 3. *Donum inerrantiæ in rebus fidei Corpori Eccleſiæ, non Romano Pontifici datum eſt.* 12

§. 4. *Epiſcopatus in Eccleſia unus, omnibus Apoſtolis, & Epiſcopis eorum ſucceſſoribus communis à Chriſto inſtitutus eſt.* . 18

§. 5. *Priora & feliciora Eccleſiæ ſæcula in Romano Pontifice non agnoverunt ſupremam & independentem Juris ferendi & dicendi poteſtatem.* 22

TITULUS II.

De cauſis & viis, per quas divino Eccleſia Primatui varia jura humana acceſſerunt.

§. 1. *Petrus, & poſt eum Rom. Pontifex, an & quo ſenſu ſit Caput Eccleſiæ; quæ Eccleſia aliarum Eccleſiarum Mater & Magiſtra.* 28

§. 2. *Papa an & quatenus ſit Centrum Unitatis.* . . . 32

§. 3. *Vicarii & Legati Apoſtolici, ad juvandam executionem Canonum deſtinati; ſuâ authoritate ad fundandam abſolutam Monarchiam Curiæ Romanæ abutuntur.* . . . 38

§. 4. *Papa ſupplens defectus Epiſcoporum & Metropolitanorum, eorum jura non præripit.* 41

§. 5. *Plura Pontificibus per Canones tribuuntur, quæ ex nativo jure ſui Primatûs non obtinent.* 44

§. 6. *De Romanæ Eccleſiæ potentiore principalitate ex ſententia Irenæi.* 47

§. 7. *De incremento Pontificiæ poteſtatis per falſas Decretales.* . 50

§. 8. *Complementum Monarchiæ Papalis ex Dictatu Gregorii VII.* 56

TITU-

Digitized by Google

pag.

TITULUS III.

De Cauſis, quæ vulgò Majores dicuntur.

§. 1. *De judice graviorum fidei controverſiarum.* . . 60
§. 2. *De Cauſis Epiſcoporum, & horum depoſitione.* . . 65
§. 3. *De Translatione Epiſcoporum.* 72
§. 4. *De Coadjutoribus cum futura ſucceſſione.* . . . 76
§. 5. *De creatione novarum Sedium Epiſcopalium, Metropolium, Primatuum &c.* 79
§. 6. *De Cauſis Majoribus univerſim.* 81

TITULUS IV.

De Legum in Eccleſia ferendarum poteſtate; & de ſummi Pontificis circa eas officio ac jure.

§. 1. *Non eſt in poteſtate ſummi Pontificis novum jus condere.* : 89
§. 2. *Papa, ſi mandat, id facere debet ex Jure conſtituto.* . . 99
§. 3. *Romani Pontifices toti Eccleſiæ præſunt ùt Canonum defenſores ac vindices.* 102
§. 4. *Romanæ Sedis officium & ſedulitas in ſervando Fidei depoſito, & in cuſtodia Apoſtolicæ Traditionis.* . . . 105
§. 5. *Epiſtolæ Decretales quid ſint, & unde vim legis accipiant.* . 109

Digitized by Google

pag.

TITULUS V.

De Conciliis generalibus.

§. 1. *De neceſſitate & frequentia Conciliorum generalium.* . . . 114

§. 2. *De generalium Conciliorum convocatione, & præſidio in iisdem.* . . . 117

§. 3. *Forma in antiquis Conciliis ſervata, & quatenus cum ea conveniant quæ in Tridentino acta ſunt.* . . . 122

§. 4. *De clauſula Conciliari:* Sacro approbante Concilio. *Item de clauſula Tridentini:* Salvâ in omnibus Sedis Apoſtolicæ authoritate. . . . 131

§. 5. *De authoritate Conciliorum generalium ſupra Pontificem ex Concordatis Germaniæ.* . . . 136

§. 6. *De prætenſa revocatione eorum, quæ Æneas Sylvius & Card. Julianus in Baſileenſi Synodo egerant.* . . . 143

TITULUS VI.

De authoritate Epiſcoporum ex jure divino.

§. 1. *Epiſcoporum jurisdictio immediatè à Deo eſt.* . . . 150

§. 2. *De præjudicio Ordinis Epiſcopalis ex Beneficiorum reſervatione, ex Annatis, & ex præferentia Cardinalium.* . . . 160

§. 3. *De Exemptione Regularium.* . . . 167

TITU-

TITULUS VII.

De Libertate Eccleſiæ, ejúsque ſervandæ remediis.

§. 1. *In quo conſiſtat Libertas Eccleſiæ.* 179
§. 2. *De Excommunicatione, præſertim illâ, quæ dicitur latæ ſententiæ.* 184
§. 3. *De Subtractione Obedientiæ.* 194

II.

Examen Libelli anno 1770, editi hoc titulo: *Jugement d'un Ecrivain Proteſtant touchant le livre de JUSTINUS FEBRONIUS.*

Q. 1. *An Febronii opera ad præſtitutum ſibi finem vana ſit & inutilis?* 209
Q. 2. *An Febronius Curiæ Romanæ plura ſiniſtrè & per calumniam imponat?* 222
Q. 3. *An alia ſiniſtra aſſerta in operibus Febronii contineantur?* . 240
Q. 4. *An Syſtema Febronii novum, chimæricum & illuſorium ſit.* 253
Concluſio Examinis. 264

pag.

III.

Animadverſiones Febronianæ in P. Antonii Schmidt S. J. Inſtitutiones Juris Eccleſiaſtici. 272

IV.

Juſt. Febronii Reſponſiones ad poſtulata D. Chriſt. Wilh. Franc. Walch. . 313

V.

Addenda. 345

BONA

Digitized by Google

BONA CAUSA
JUSTINI FEBRONII
ADVERSÙS
EPISTOLAS ITALICAS
R. P. VIATORIS A COCALEO
ANNO 1768.
EX AGRO BRIXIENSI EXARATAS,
ET
ALIOS SCRIPTORES
DEFENSA,
PER DANIELEM BERTONUM J. U L.

S. Baſilius M. Epiſt. 239. de Romanis loquens: *Quale nobis auxilium ab Occidentalium ſupercilio aderit, qui veritatem neque nôrunt, neque dicere ſuſtinent.*

Auxiliarius Præfectus urbis Romæ, ad S. Hilarium, in hujus Vita Cap. 17. *Impatienter ferunt* (Romani) *ſi ſic loquamur quomodo nobis conſcii ſumus. Aures præterea Romanorum quâdam teneritudine plus trahuntur.*

S. Bernardus Lib. IV. de Conſideratione ad Eugenium Papam Cap. 2. *Vides, omnem Eccleſiaſticum Zelum* (Romæ) *fervere pro ſola dignitate tuenda.*

**

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI.

Quod evenire ſolet, ut quæ in Italia imprimuntur, ſeriùs ad has partes deferantur, hoc accidit Epiſtolis Italicis, quas ad examen revocare nobis nunc conſtitutum eſt. Prodierunt eæ hoc titulo: *Italus ad Febronium JCtum clariſſimum, de ſtatu Eccleſiæ pro ſupplemento ad Tentamina Theologica Bergomi edita anno MDCCLXVIII. Luccæ 1768.* Conſtat opus ex Epiſtolis viginti, omnibus (uti fert ſubſcriptio) datis *ex agro Brixienſi.* Hæ junctim editæ conſtituunt volumen 348. paginarum in Quarto. Innotuit deinde, harum Epiſtolarum auctorem eſſe *P. Viatorem à Cocaleo ex Ordine S. Franciſci FF. Minorum Capucinorum.* Videtur vir ille in iſtis partibus Theologiam publicè docere. Quæ à Febronio ejúsque Defenſoribus jam prolata ſunt, ea, ſi ab harum rerum peritis

Digitized by Google

conferantur cum iis, quæ à noſtro Italo traduntur, facilè intelligetur *illa* talia eſſe, ut *hæc* ulteriore aut reſponſo refutatione vix indigeant. Nihilo tamen minùs occurrunt adhuc quædam in his Epiſtolis, quæ dant anſam ulterioribus diſquiſitionibus, per quas materiæ & quæſtiones à Febronio diſcuſſæ ampliore in luce ponuntur, aut novis argumentis ac documentis firmantur, aut denique ex ſolidis principiis antè poſitis novæ pro bono Eccleſiaſticæ Diſciplinæ concluſiones ducuntur. Atque hoc titulo Patri Viatori pro ſuo opere aliquas ab amantibus veritatem gratias deberi diffitendum minimè eſt.

Sed nec eo capite hic Theologus laude vacuus dimittendus eſt, quòd, quæ alii ejus in hac arena ſocii incertis involvunt verbis & contortis ſæpe phraſibus, ille aperto ſenſu plenáque exponat ſinceritate, ita, ut cum eo de objecto diſputationis minimè altercandum veniat. Sic *pag. 49.* „Quæſtionis, inquit, ſumma hæc eſt: an „præeminentia paſtoralis Petri, relatè ad curas paſtora„les cæterorum Apoſtolorum (idem intelligitur de of„ficio Papæ paſtorali reſpectivè ad Epiſcopos) ſit talis „ac tanta, ut formam Monarchicam præſeferat. Nos „affirmamus."

Dein *pag. 158.* „Probè notandum cupimus, nos „Epiſcopos tanquam meros Magiſtratus, aut tanquam „totidem Romanorum Pontificum Vicarios non habe„re; ſed eos tanquam veros Præſules intra propriæ dioe„ceſis limites & recognoſcimus & veneramur. Sed

„ſuſti-

„ſuſtinemus; eorum jurisdictionem à Romano Ponti-
„fice, tanquam à ſuo vero principio promanare, ab eó-
„que dependere; ita exigente Regimine Monarchicó,
„quòd demum omnia ad illud principium reſtituantur,
„à quo ſuum curſum deſumpſerunt."

Poſtea *pag. 181.* „Summus Pontifex in tota Eccle-
„ſia, ſicut Epiſcopus in commiſſa ſibi Diœceſi, pro-
„prius eſt Sacerdos, qui fidelium confeſſiones excipe-
„re, ac facultatem illas excipiendi alteri delegare va-
„let . . . . Si Epiſcopi non lædunt jurisdictionem Paro-
„chialem, neque Papa jurisdictionem Epiſcopalem.
„Et ſi primi, cùm velint, eam lædere poſſunt: imò
„planè demere, cùm opus eſt; ita pariformiter de Pa-
„pa, relatè ad diœceſes univerſæ Eccleſiæ dicendum
„venit; cùm id gerere neceſſitas coget, aut Eccleſiae uti-
„litas. An autem hic poteſtatis uſus jurisdictionem præ-
„ſupponat, cordati dijudicent."

Porrò *pag. 257.* „Omnis jurisdictio ac poteſtas diſ-
„ponendi de beneficiis à principio non Apoſtolis ſed
„Petro illorum Principi à Chriſto data fuit. Ideo ſolus
„Papa in primordio Orientalis Eccleſiæ ordinavit & in-
„ſtituit dignitates & alia Eccleſiaſtica beneficia. Deinde
„Pontifex Max. conceſſit Archiepiſcopis & Epiſcopis
„prædictam poteſtatem, ut quilibet in ſua diœceſi bene-
„ficia ibidem conſiſtentia conferre poſſet. Hinc Epi-
„ſcopi in ſuis diœceſibus dicuntur Papæ Vicarii; nam
„totus mundus dicitur parochia Papæ. Omnis namque

 „con-

Digitized by Google

„conferendi poteſtas & jurisdictio ab ipſo Papa, tanquam „à fonte procedit, & fluit & refluit; adeo, ut nec minima quidem jurisdictio alicui aliter concedi poſſit Et „cuncti Prælati de mundo habent poteſtatem à Papa; ipſe „verò à ſolo Deo. Poteſtas utique omnis, quae ad politi„cam Eccleſiae gubernationem ſpectat, in ſummo Pon„tifice, ceu in fonte repoſita eſt, & ab eo immediatè ad „alios derivatur, ac veluti per rivulos quosdam & canales „transfunditur & permanat, & ab ipſo Capite in mem„bra transmittitur. Epiſcopi Apoſtolis quoad jurisdictio„nem minimè ſucceſſerunt; ſed à Romano Pontifice „eam obtinuerunt."

Benedicti XIV. Pont. Max. doctrinam in Libro de Synodo Diœceſanâ deinde ſequens, poſt eum hæc ſcribit *pag. 130.* „Ratio Monarchici regiminis, quod Chri„ſtus in ſua Eccleſia conſtituit, videtur expoſcere, ut to„tius Eccleſiæ jurisdictionis fons & origo reſideat in ejus„dem viſibili Capite, qui eſt Romanus Pontifex, atque ab „eo profluat in cætera membra. Hæc autem poteſtas ju„risdictionis adfert jus beneficia conferendi, cauſas au„diendi, leges & cenſuras ferendi, ac cætera praeſtandi, „quae ad ſubjecti gregis regimen ſunt neceſſaria."

Demum *pag. 131.* „Romanus Pontifex, qui Popu„lum Epiſcopis regendum aſſignavit, quàmplurima ſibi „reſervavit; ita exigente Regiminis Monarchici œco„nomiâ, & neceſſitate, ut pro qualitate & genere digni„tatis jura quoque jurisdictionis deberent conferri vel

„reſtrin-

Digitized by Google

„reſtringi, vel omnino denegari. Talia ſunt judicia in Cau-
„ſis Majoribus, ſententiae in rebus Fidei, Diſpenſationes,
„Abſolutiones, & alia id genus. Haec Sancta Sedes vel
„prorſus ſibi reſervavit, vel omnino Epiſcopis denegavit;
„nonnulla privilegia Metropolitanis conceſſit, potiora
„Primatibus & Patriarchis; caetera ſibi adjudicavit.
„Haec in confeſſo debent eſſe apud omnes. &c."

Haec ſunt principaliora capita, de quibus, eorúmque ſequelis, inter Febronium & ejus Adverſarios contenditur. Quae in pluribus illius Defenſionibus, quatuor Appendices Tomi primi Febroniani, nec non ejusdem Tomi ſecundi Partem priorem conſtituentibus, jam dicta ſunt, eadem, vel in parte etiam, hìc repetere, noxa foret, indigna viro, qui operam Publico utilem gratámque praeſtare ſibi proponit. Itaque Lectori hic porriguntur alia, quae dum Patri Viatori Italo refutando, & obſoletis ejus argumentis denuò evertendis primariò compoſita ſunt, inſimul, utì dixi, inſervient argumento Febroniano explicando, illuſtrando atque ampliando. Exiſtimatum autem eſt, nemini incommodum futurum, ſi ordo Capitum & Paragraphorum à Febronio inſtitutus, atque ab ipſomet Italo noſtro utcunque ſervatus, nunc iterum, quantum per materias liceret, teneretur.

Ediderat *Jo. Godefridus Kauffmans* S. Th. D. & Profeſſor Colonienſis, Librorum Cenſor ordinarius, anno 1767. *Apologeticon Theologicum pro ſtatu Eccleſiæ Catholicæ & legitimâ poteſtate Romani Pontificis contra*

Juſt.

Digitized by Google

Juſt. Febronii JC. librum ad reuniendos in Religione Chriſtianos. Huic libro, utì & aliorum trium Theologorum Febronii Adverſarium diſtinctis operibus, oppoſuit Joannes à Calore contrariam pro Febronio Apologiam, quæ huic Volumini inſerta eſt. Hanc vidit Doctor Kauffmans, antequam anno 1770. alteram ſui Theologici Apologetici editionem publicaret. Quare viſum fuit illi, huic editioni præmittere Præfationem quadraginta duarum paginarum, quâ laborat, ut Opus ſuum tueatur adversùs memoratum Joannis à Calore ſcriptum. Cujus ponderis ſint, quæ in galeato hoc Proëmio affert Colonienſis Doctor, Lector haud aegrè percipiet ex praeſente Opuſculo, in quo locis opportunis ad examen revocantur, quae graviora videbantur in memoratâ Praefatione; reliqua enim vel in anteceſſum refutata, vel ne commemoratione quidem digna viſa ſunt.

Illud interim doloris non minùs quàm admirationis materiam praebet, quòd dum adversùs hominum fraudes, corruptos mores & ambitum, veteris Diſciplinae caſtiſſimas regulas invocamus, ingentem invidiae & vindictae molem in nos accendamus, ſub cujus onere oppreſſi jacere timeremus, niſi magno animo ac ſummâ integritate ſuſtentati, graviſſimum illud opus tentaremus.

TITULUS

Titulus I.

De exteriore forma regiminis, quam in ſua Eccleſia Chriſtus Dominus inſtituit.

§. I.

De textibus ſacræ Scripturæ, quibus Romani ad fundandam ſuam Monarchiam abutuntur.

Poſtquam Febronius *Cap. I.* §. 2. circa locum Matthæi Cap. XVI. ℣. 18. *Tu es Petrus &c.* varias ſacrorum Scriptorum ſententias & Patrum interpretationes retuliſſet, quorum alii hæc Chriſti verba: *Et ſuper hanc petram &c.* applicant *Fidei* ſeu *Confeſſioni*, quam de devinitate Chriſti Petrus fecerat: alii intelligunt de ipſo *Jeſu Chriſto*, qui revera eſt proprium & eſſentiale fundamentum ſuæ Eccleſiæ: alii ipſi *Petro* utpote ſubjecto Primatûs capaci tribuunt; Italus noſter P. Viator à Cocaleo *pag.* 29. omnia iſta non *abſtractivè*, ſed *in concreto* ſumenda eſſe ſuſtinet: „ Sive ergo, ait, pro „ Petra ſumatur perſona Petri, ſive ejus fides, aut confeſſio, „ vel objectum propriæ religioni propoſitum, Chriſtus nempe

 „ perinde

Digitized by Google

„ perinde eſt; hæc enim omnia in perſona Petri includeban-
„ tur; conſequenter per hæc omnia Petrus à Chriſto conſti-
„ tutus fuit Petra, ſuper quam Eccleſia erat ædificanda. „
Sed errat vir bonus, ſi hoc quale-quale inventum componen-
dis Patrum ſententiis ſervire poſſe arbitretur; quandoquidem
horum plures Petrum à ſenſu per Chriſtum intento directè ex-
cludunt. Hoc facit Auguſtinus Sermone XIII. de verbis Do-
mini ſuper Evangelium Matthæi Cap. I. ubi: *Tu es ergo, in-
quit, Petrus, & ſuper hanc Petram, quam confeſſus es, ſuper
hanc Petram, quam cognoviſti dicens: Tu es Chriſtus filius Dei
vivi, ædificabo Eccleſiam meam. Super me ædificabo te, non me
ſuper te. Nam volentes homines ædificari ſuper homines dicebant:
Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ: ipſe
eſt Petrus. Et alii qui nolebant ædificari ſuper Petrum, ſed ſu-
per Petram: Ego autem ſum Chriſti.* Idem Sermon. 270. in
die Pentecoſtes: *Non ſupra Petrum, quod tu es; ſed ſupra Pe-
tram, quam confeſſus es.* Similiter Ambroſius de Incarnatione
Cap. V. n. 34. *Fides ergo eſt Eccleſiæ fundamentum: non enim
de carne Petri, ſed de fide dictum eſt, quia portæ mortis ei non
prævalebunt. Sed confeſſio vicit infernum; & hæc confeſſio non
unam hæreſim excluſit. Nam cùm Eccleſia multis, tamquam bo-
na navis, fluctibus ſæpè tundatur, adverſùs omnes hæreſes debet
valere Eccleſiæ fundamentum.*

Non diffiteor, verba iſta *ſuper hanc petram ædificabo Ec-
cleſiam meam*, à quibusdam Patribus, quos citat Italus pag.
39., ipſi Petro fuiſſe adſcriptam. Verùm iidem Patres et alii
eandem prærogativam nulli ejus Collegarum denegant. In
hunc cenſum referuntur Origenes *in Matthæum Tom. XII.
pag* 275. *edit. Huet.* Tertullianus *Lib. IV. contra Marc. n.* 39.
Hilarius *in Pſal LXVII. n.* 10. Hieronymus *in Cap* 2. & 62.
Iſaiæ, Cyrillus *in Iſaiam Lib. IV. Orat.* 2. *pag.* 4:6. *Tom. V.*
edit.

Digitized by Google

edit. Baſileen. an. 1565. S. Cyprianus *Epiſt.* 27. cujus verba dabimus infrà *Tit. VI.* §. 1. Sic pariter ſenſit ſcripsítque Nicolaus PP. III. in Sexto Decretalium *Tit. de Elect. Cap.* 17. nempe: „ Fundamenta militantis Eccleſiæ in montibus ſanctis „ Propheta rememorans, per montes Apoſtolos & Prædica„ tores patenter inſinuat, quibus tota hujusmodi ædificii fa„ brica innititur: qui firmæ baſes Eccleſiæ ſuper fundamento, „ præter quod nemo aliud ponere poteſt, quod eſt Chriſtus „ Jeſus, ſolidantur. „ Tantò majoris momenti eſt hoc teſtimonium, quòd à Romano Pontifice profectum ſit eo ſæculo, quo tantam Sedes Romana ſibi jam ſumpſerat auctoritatem. Pontifici jungamus Cardinalem magni nominis Nicolaum de Cuſa *Lib. II. de Concord. Cath. Cap.* 13. ſic loquentem: „ Sci„ mus, quòd Petrus nihil plus poteſtatis à Chriſto recepit aliis „ Apoſtolis: Nihil enim dictum eſt ad Petrum, quod etiam „ aliis dictum non ſit. Nonne ſicut Petro dictum eſt: Quod„ cunque ligaveris &c. ita aliis: Quæcunque ligaveritis &c. „ Et quamquam Petro dictum eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc* „ *petram &c.* tamen per petram, Chriſtum quem confeſſus eſt, „ intelligimus. Et ſi Petrus per petram tamquam lapis fun„ damenti Eccleſiæ intelligi deberet, tamen ſecundùm Hiero„ nymum ſimiliter alii Apoſtoli fuerunt lapides, de quibus ha„ betur Apocalipſis penultimo, ubi per duodecim lapides fun„ damenti Civitatis Hieruſalem, nemo dubitat duodecim Apo„ ſtolos intelligi debere. Ideo rectè dicimus omnes Apoſto„ los in poteſtate cum Petro æquales. „ Eandem veritatem in Scripturis ſacris manifeſtè depoſitam videmus: ſcilicet imprimis, uti dixit Cuſanus, *Apocalip. Cap. XXI. v.* 14. deinde *ad Epheſ. II. v.* 20.

Quod hactenus tradidi de loco Matthæi Cap. XVI, id ipſum adversùs Italum noſtrum *pag.* 45. *ſeqq.* aſſeram cum fun-

damento de textu Joannis XXI. *Paſce oves meas, Paſce agnos meos.* Agnoſcunt quidem Romani, Eccleſiæ miniſterium ſicut Petro, ita et aliis Apoſtolis commiſſum eſſe, ſed his, inquiunt, per illum, quippe cui ſoli Chriſtus dixerat *Paſce oves meas.* Sed videamus, an doctrina hæc conveniat cum doctrina Pauli: *Chriſtus,* ait Vas electionis ad Epheſ. IV. ℣. 11-15. *ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores et Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti: donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ ..... Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus.* Tale eſt ſacri miniſterii opus: Sed cui mandatum hoc opus? Omnibus Apoſtolis, reſpondet Paulus, omnibus Paſtoribus atque Doctoribus. A quo autem miniſterium ſuum acceperunt iſti? Num à Petro? Nequaquam, ſed à Chriſto. *Ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos &c.* Ergo Chriſtus omnes Apoſtolos, omnésque Paſtores poſuit, ſicut et Petrum, ut ædificent Eccleſiam ſuam. Atque ita quotquot ſunt, tot ſunt hujus ædificii à Chriſto adſcita fundamenta; quisque juxta menſuram ſuæ vocationis et proprii laboris. Proinde promiſſio iſta: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,* per eos omnes ſicut per Petrum impletur; ergo ad eos, ſicut ad Petrum, ſpectant prædicta verba.

A textu Joannis revertor ad jam laudatum Caput XVI. Matthæi, ubi Chriſtus Petrum alloquens, præmiſſis addit: *Et tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælis &c.* Qui Epiſcopos Romanos monarchicam

chicam jurisdictionem in univerſam Eccleſiam à Petro hæreditate accepiſſe putant, ii cum Italo noſtro in his Salvatoris verbis ſe præcipuè fundant. Per me id licet; dummodo non negetur cæteros quoque Apoſtolos easdem claves regni cœlorum non minùs accepiſſe; eas enim ſicut Petro, ita & aliis traditas fuiſſe teſtantur Patres omnes, ſignanter Origenes, Cyprianus, Hilarius, Hieronymus, Ambroſius, Gaudentius, Auguſtinus, Beda &c. E multis ſeligamus paucos. „ An etiam (quærit „ Origenes *in Matth. Tom. XII. n.* 11.) ſoli Petro dantur à „ Domino claves regni Cœlorum, nec quisquam Beatorum „ alius eas accipiet? Quòd ſi & id aliis commune eſt: *Dabo* „ *tibi claves regni Cœlorum*; quomodo & non ea quæ præce- „ dunt communia ſunt, & quæ ſubnectuntur tanquam in Pe- „ trum dicta? „ Nec aliter divus Hieronymus *Lib. I. adversùs Jovinianum*, ubi, „ at dicis, inquit, ſuper Petrum „ fundatur Eccleſia; licèt id ipſum alio loco ſuper omnes Apo- „ ſtolos fiat, & cuncti claves regni Cœlorum accipiant. „ Demùm, ut alios prætermittam, S. Auguſtinus. *Serm.* 149. *de Verbis Act. X.* & *Serm.* 295. *in Natal. Apoſt Petri & Pauli:* „ Numquid iſtas claves Petrus accepit, & Paulus non accepit? „ Petrus accepit, & Joannes & Jacobus non accepit, & cæteri „ Apoſtoli? Aut non ſunt iſtæ in Eccleſia claves, ubi quotidie „ peccata dimittuntur? Has claves non homo unus, ſed unitas accepit Eccleſiæ. &c. „

Verùm inquit cum ſuis Romanis Italus noſter *pag.* 30. ſi per hæc verba *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; & per illa *Tibi dabo claves regni Cœlorum*, nullum ſingulare privilegium, cur ergo ea proferens ad Petrum ſermonem vertit? Reſpondent Patres, ſignanter Cyprianus, Pacianus, Optatus, Auguſtinus, alii, noluiſſe Dominum de ſuâ Eccleſiâ & clavium poteſtate loqui niſi uni, ut hujus Eccleſiæ ſignificaret

unitatem, & Apoſtolos moneret, ne ſingularem Eccleſiam ſinguli meditarentur fundare, ſed ut in unius ejusdémque Eccleſiæ ædificationem omnes humero uno, & in ſolidum incumberent, anteſignano Petro, quem inter eos Primatem conſtituit.

Verba Chriſti Joannis XXI. *Paſce oves meas, Paſce agnos meos*, quæ Romani ad ſuſtinendam ſuam Monarchiam quoque uſurpant, ajunt Cyprianus *Lib. de Unit. Eccleſiæ. Opp. p.* 195. *edit. Maur.* & alii à Febronio *Cap. I.* §. 3. laudati Patres, non ſoli Petro dicta fuiſſe, ſed omnibus Apoſtolis, omnibúsque Presbyteris, quibus eandem hanc poteſtatem Chriſtus tribuit. Quocunque enim ſenſu accipiantur hæc verba, nihil majus latiúsve potuerunt exprimere poteſtate illâ, quam omnibus ſimul Apoſtolis Salvator contulit, ſive *ante* ſive *poſt* colloquium, quod Joann. XXI. cum Petro habuit. Etenim ANTE dixerat omnibus Joannis XX. ℣. 21. *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos..... Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* His verbis Apoſtolos conſtituit, ut ita loquar, juris & loci ſui poſſeſſores, miſſioni, quam ipſe à Patre acceperat; æqualem eis conferens, ut ſcilicet peccata abolerent, ac juſtitiam inter homines inſtaurarent, Spiritum ſanctum, cujus ſolius virtute hæc fieri poterant, eis inſufflans. Nihil tantæ auctoritati adjici, aut cujusquam egere poterat hæc divina Miſſio, niſi quòd immenſitas ejus erat explicanda per extenſionem ad omnes populos. Hoc autem POSTEA Chriſtus præſtitit, cùm jam jam in cœlos aſcenſurus adunatis Apoſtolis ſuis auguſta hæc verba protulit Matth. XXVIII. ℣. 19. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti; docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus usque ad conſummationem ſæculi.*

Quantam

Quantam gloriam quantámque auctoritatem ex hac promiſſione præcedentíque mandato ſibi ſumerent Romani Epiſcopi, ſi non omnibus Apoſtolis, ſed ſoli Petro hæc dicta fuiſſent; vix tunc nominare vellent illud ſibi commiſſum munus paſcendarum ovium Chriſti, in quo adeo gloriantur.

Nonnulli Romanarum partium videntur myſterium aliquod ſibi videre in ordine repetitorum iſtorum verborum: *Paſce oves meas*, & deinde: *Paſce agnos meos*, quæ Chriſtus ad Petrum direxit; quaſi agnorum nomine ſimplices fideles, ovium verò Paſtores & ipſi Apoſtoli à Chriſto deſignarentur. Verùm in prætenſo hoc myſterio Maldonatus, Jeſuita Hiſpanus, quamvis Romanæ Monarchiæ addictiſſimus, nil niſi aſpernandum vidit. „ Non eſt ſubtiliter diſputandum (inquit *in* „ *Cap. XXI. Joann. n.* 30.) cur Chriſtus agnos potiùs quàm „ oves appellaverit. Quod qui fecerit, videat etiam atque „ etiam, ne doctis hominibus riſum præbeat: ſatis enim con„ ſtat, eoſdem nunc agnos, & poſtea oves appellari. „ Ipſis ſanè Chriſti verbis convincimur, nihil de hac vocabulorum varietate curandum eſſe. Idem ille divinus Servator, qui Matthæi X. ℣. 16. Apoſtolis ſuis dicit: *Mitto vos ſicut oves in medio luporum*; iisdem dixit Lucæ X. ℣. 3. *Mitto vos ſicut agnos.* Sed neque SS. Patres in hac verborum varietate quæſierunt aliquid ſive myſterii, ſive argumenti. Quare S. Auguſtinus Tract. 47. in Joan. Tom III. col. 607. f. ait: *Petre amas me? Paſce oves meas. Hoc ſemel, hoc iterum, hoc tertiò uſque ad ejus triſtitiam.* S. Hilarius Lib VI. de Trinit. col. 904. c. inquit: *Petrum, paſce oves meas, ter meritum audire.* S. Ambroſius autem Lib. V. de Fide col. 551. c. *Tertiò meretur audire: paſce agniculos meos, paſce agnos meos, paſce oviculas meas.* Si tamen inter agnos & oves quædam differentia admittenda ſit, nónne per agnos aptè deſignantur Neophiti, aut

aut debiles Chriſtiani, quibus juxta mentem Pauli lacte adhuc opus eſt; per oves verò fortiores & doctiores. Cæterùm nihil obſtat, quo minùs fateamur, Petro & reliquis Apoſtolis munus fuiſſe demandatum ipſos etiam paſcendi Paſtores, quos Eccleſiis præficiebant; quod & eos feliciter præſtitiſſe ex eorum Epiſtolis intelligimus. De reliquo Petrum quidem à Paulo edoctum & correctum prodit Scriptura; id autem à Petro erga quemvis alium Apoſtolum nullibi videmus præſtitum.

Poſt hæc, dum Chriſtus Petrum ſic alloquitur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*; non dixit *tuam* Eccleſiam, aut portæ inferi non prævalebunt adversùm *te*. Similiter ad eum hæc verba dirigens: *Paſce oves meas, paſce agnos meos*, non dicit *tuas* oves, aut *tuos* agnos: quo oſtendit, Petrum ejúsque ſucceſſores ad meram adminiſtrationem, non ad principatum, maximè Monarchicum, vocari. Bini illi textus S. Scripturæ, cùm metaphorici & allegorici ſint, uti ſolâ lectione claret, nil præter Petri Primatum inde deduci poteſt, & per nullam Dialecticæ figuram, aut Theologiæ normam inde exſculpi poteſt Papæ inerrantia, ejus auctoritas ſupra univerſale Concilium, aut regimen Monarchicum, ab unius ſummi Pontificis arbitrio & definitione abſolutè dependens.

De textu Lucæ *Cap. XXII. ℣.* 32. agemus infrà §. 3.

§. II.

Claves immediatiùs Eccleſiæ traditæ ſunt, quàm S. Petro.

„ Scholaſtici poſt Magiſtrum Sententiarum & S. Tho-
„ mam *Claves Eccleſiæ* ſemper appellant, non *Claves S. Petri*:
„ quia

„ quia immediatiùs Eccleſiæ traditæ ſunt, quàm S. Petro, il-
„ liquc commiſſæ ſunt, ùt Eccleſiæ perſonam gerenti. Unde
„ ligandi ſolvendique poteſtas in Eccleſia tanquam in ſubjecto
„ proximo reſidet, in Petro & ejus ſucceſſoribus tanquam in
„ ſubjecto remoto. „ Ita Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. Sæc. XIV. Diſſert.* 8. *n.* 53 Hanc doctrinam, utcunque Italo noſtro *pag.* 54. *ſeqq.* diſplicentem, verbis & ſenſui ſacræ Scripturæ conformem eſſe, facilè probabimus.

Cùm Dominus noſter Matthæi Cap. XVI. ℣. 19. verbo futuri temporis B. Petro nomine totius Ordinis Hierarchici (quem ob Primatum ſuum ille referebat) ſic deſpondiſſet: *Et ego tibi dabo claves regni Cælorum*; tum demum eas Eccleſiæ in ſuo Ordine Hierarchico actu confert, quando 1) Matthæi XVIII. ℣. 17. Eccleſiam de & per ſe ſubſiſtentem ita conſtituit: *Dic Eccleſiæ &c.* de quo pluribus paulò infrà. 2) Per realem miſſionem: *Deſignavit Dominus & alios LXXII. & miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem civitatem & locum, quò erat ipſe venturus*, Lucæ X. ℣. 1. 3) Joannis XVII. ℣. 18. paulò antè, vel ſtatim poſt ſacræ Cœnæ celebrationem Patrem ſuum pro Eccleſiâ Sponsâ hoc modo exorans: *Sicut me miſiſti in mundum, ita & Ego mitto eos in mundum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & Ego in te; ut & ipſi in nobis unum ſint, ut credat mundus, quia tu me miſiſti, ut ſint conſummati in unum &c.* Quibus verbis liquidò apparet, Chriſtum non tam uni & ſoli Petro, quàm unitati infallibilem clavium poteſtatem detuliſſe. 4) Joannis XX. ℣. 21. *Sicut miſit me Pater, & Ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* Cùm miſſio vera & realis ſit collatio Jurisdictionis, juxta illud ad Romanos X. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Chriſtus omnes Apoſtolos atque Diſcipulos, qui

Digitized by Google

Epiſcopalem & Presbyterialem ordinem referebant, immediatè, individuè & collectivè miſit, ſicut ipſe à Patre ſuo miſſus fuerat, id eſt, cum juſtâ & ſpirituali auctoritate ad regendam Eccleſiam neceſſariâ. Sic & 5) collationem Sacerdotii (Lucæ XXII. ℣. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*) in commune & indiviſim omnibus creditam Apoſtolis eorúmque ſucceſſoribus nemo ambigit. His adjunge 6) teſtimonium divi Pauli Act. XX. ℣. 28. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus* (non Petrus) *poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.*

Itaque in Lege Evangelicâ Chriſtus ſex loquendi formulis Claves Eccleſiæ, id eſt, jurisdictionem & poteſtatem Eccleſiaſticam deſignavit, ſuíſque Diſcipulis contulit: nimirum *a*) facultate claudendi & aperiendi cœlum: *b*) poteſtate ſolvendi & ligandi peccatores: *c*) immediatâ miſſione Apoſtolorum atque Diſcipulorum: *d*) Sacerdotii ſui communicatione: *e*) auctoritate remittendi ac retinendi peccata: demum *f*) jure paſcendi oves Chriſti. Quibus etiam è Scripturæ locis, ultimo dempto, elucеſcit, Dominum ante & poſt Reſurrectionem ſuam ſemper Eccleſiæ ſacerdotali, quam Apoſtoli & Diſcipuli referebant, indiviſim & collectim poteſtatem & jurisdictionem multò priùs detuliſſe, quàm aliquid, ſeparatim ab aliis, Petro impartiretur.

Firmantur hæc egregiè à divo Bernardo, dum *Lib. III. de Conſideratione Cap. 4. n. 17.* Eugenium Papam ſic alloquitur: „ Erras, ſi ùt ſummam, ita & ſolam inſtitutam à Deo „ veſtram Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas ..... Non ergo „ tua ſola poteſtas à Domino; ſunt & medioeres & inferio- „ res. ..... Niſi tu putas alium eſſe, qui poſuit in Eccleſia „ *quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios* „ *verò Evangeliſtas, alios Doctores & Paſtores, ad conſummatio-*

„ *nem*

„ *nem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis*
„ *Chriſti.* I Cor. Cap. 12. ℣. 28. Atque hoc Corpus, quod
„ tibi ipſe Paulus ad Epheſ. IV. ℣. 16. ſuo vero apoſtolico
„ figurans eloquio, & Capiti convenientiſſimè aptans, *totum*
„ *ex eo compactum* perhibet, & *connexum per omnem juncturam*
„ *ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram unius-*
„ *cujusque membri, augmentum Corporis faciens in ædificatio-*
„ *nem ſui in caritate.*

Quòd ſi quis fortè cum adverſario noſtro Italo *pag.* 36. reclamet, poteſtatem Clavium, quam Chriſtus immediatâ miſſione Diſcipulis ſuis conceſſit, non tam ſpectare ad jurisdictionem *exterioris*, quàm *interioris* fori: huic opponimus, omnes antiquæ Eccleſiæ Patres id abſolutè interpretari de quacunque poteſtate ad Eccleſiam regendam neceſſariâ, tam in exteriore quàm interiore foro: atque illis multò magis habendam eſſe fidem, quàm iſtiusmodi argutis recentiorum diſtinctionibus, quas de induſtria meditantur, ut ſua privilegia & extraordinarias miſſiones, in juris communis perniciem faciliùs tueantur ac dilatent. Conſecrator Epiſcopi in ipſa conſecratione ait: *Epiſcopum oportet judicare.* At *Judicare* eſt verbum jurisdictionis exterioris: hæc ergo Epiſcopo confertur per Ordinem. Adde, quòd de jure divino ſumma totius externæ jurisdictionis in facultate excommunicandi conquieſcat: quam quidem immediatè creditam fuiſſe *Eccleſiæ* conſtat ex *Matthæi Cap. XVIII.* ℣. 17. 18., ubi poſtquam Chriſtus in ſingulari dixerat: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus,* mox in plurali ſubjungit, omnes alloquendo: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligota & in cælo &c.* volens per hoc intelligi, qualiter poteſtas ligandi atque ſolvendi (in quo conſiſtit poteſtas Clavium) à ſe principaliter collata

Digitized by Google

ſit Corpori Apoſtolorum horúmque ſucceſſoribus, qui nomine Eccleſiæ deſignantur tanquam hujus pars principalior.

Non ignoro, quòd Turrecremata, Cajetanus, Bellarminus, & alii Curiæ Romanæ obnoxii perſuadere velint, textum Joannis XX. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, intelligendum eſſe de *extraordinaria* poteſtate *Apoſtolatûs*, non autem de *ordinariâ auctoritate* ad Epiſcopos & Presbyteros, Apoſtolorum & Diſcipulorum Domini ſucceſſores, transmiſsâ. Verùm hæc interpretatio communi Patrum ſenſui repugnat, & vel ex eo corruit, quòd tota hæc miſſio, quanta quanta eſt, Sacerdotio Chriſti, velut cauſæ efficienti incumbat, & continuò ejusdem planè virtutis atque auctoritatis in Eccleſia ſit, usque ad conſummationem ſæculi, quia tam diu Sacerdotium Chriſti perdurabit.

Edmundus Richerius in famoſo ſuo Libello de Eccleſiaſticâ & Politicâ poteſtate Cap. 1. ſic docet: „Schola Pariſien- „ ſis, congruenter ad mentem omnium antiquorum Doctorum „ Eccleſiæ, perpetuò conſtantérque docuit, Chriſtum fundan- „ do Eccleſiam, priùs, immediatiùs atque eſſentialiùs claves „ ſive jurisdictionem toti dediſſe Eccleſiæ, quàm Petro: ſeu, „ quod eòdem redit: *Claves toti contuliſſe Eccleſiæ, ut per unum* „ *miniſterialiter exercerentur.* Quandoquidem tota jurisdictio „ Eccleſiaſtica primariò, propriè, ac eſſentialiter Eccleſiæ con- „ venit: Romano autem Pontifici, atque aliis Epiſcopis, in- „ ſtrumentaliter, miniſterialiter, & quoad executionem tan- „ tùm, ſicut facultas videndi oculo.„ Hæc ex Petavii Libro III. de Eccleſiaſtica Hierarchia Cap. 14. repetens Viator noſter Italus (qui ipſum Richerii Opuſculùm nunquam inſpexiſſe videtur) *pag.* 54. hæc inquit ſumma doctrinæ Richerii ab ipſomet ſcripta initio ſui Operis; hoc, addit, *impium* Richerii Syſtema, ab omnibus bonis, *diris devotum*, Febronius adoptat,

Digitized by Google

optat. Adverſùm hæc ego Capucino noſtro Italo audeo reponere, Richerii Syſtema, quoad hoc, neque novum eſſe neque impium, ſed hanc ejus doctrinam, veram, piam, & ſtatui ac inſtituto Eccleſiæ conformem. In eo autem ille perperam & ſiniſtrè docuit, quòd tam in memorato Opuſculo, quàm in quatuor Tomis Hiſtoriæ Conciliorum Generalium, Eccleſiæ ſtatum paſſim faciat *Ariſtocraticum*, quod æque malum ac falſum eſt, quàm eum reddere *Monarchicum*.

Dicit D. Kauffmans in ſuo Apologetico Theologico *Differt. I*, §. 10. *n.* 39. Richerium uno ante ſuum deceſſum anno pœnitentem agnoviſſe *Apoſtolicam Sedem infallibilem veritatis judicem*; & ad hoc probandum provocat ad Duvallii Doctoris Sorbonici teſtimonium. Verùm Colonienſis Theologus ignoràſſe videtur fidem peſſimam & ſimilem agendi modum, quo Duvallius & miniſtri Cardinalis Richelii immiſſo ſicario & ſtricto pugione hanc retractationem à Richerio extorſerunt, quam ille, ùt primùm ſibi relictus atque libertati reſtitutus fuerat, involuntariam declaravit & revocavit, Vide de his ejusdem Richerii Vitam conſcriptam ab Adriano Bailleto, anno 1714. Leodii editam *Lib. IV. à pag.* 345. *ad finem.* Adde etiam Febronii *Tom. I, pag.* 777. *ſecundæ edit.*

§. III.

Donum inerrantiæ in rebus fidei Corpori Eccleſiæ, non Romano Pontifici datum eſt.

Dominus & Salvator noſter, in cœlum aſcenſurus, *Eccleſiæ*, non uni ſolique Petro, ſpiritum veritatis pollicetur, Joannis XIV. ℣. 16. dicens: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum*

tum veritatis. At ſecundùm Doctorem gentium I. ad Corinth. Cap. 12. ℣. 14. *Corpus Eccleſiæ non eſt unum membrum, ſed multa: ſi totum corpus oculus, ubi auditus?* Itaque quod omnes tangit, neceſſum eſt, ut ab omnibus quoque approbetur; præſertim cùm *omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus circumdatus ſit infirmitate*, ac proinde fallere & falli poſſit, niſi *Eccleſiam columnam & firmamentum veritatis* (I. ad Timoth. Cap. 3. ℣. 15.) in conſilium adhibeat.

Tantum privilegium, quale eſt illud infallibilitatis, uni homini, quisquis ille ſit, neque poſſe neque debere agnoſci, niſi ex tali verbo Dei hoc ei tribuente, quod prudentioribus nullum rationabile dubium relinquat, omnes facilè fatebuntur. Porro ii, qui cum Italo noſtro Patre Viatore *pag.* 70. *ſeqq.* Petri in Romanâ Sede ſucceſſori hanc hominis conditionem ſuperantem prærogativam tribuunt, ad ſequentes textus divini verbi provocant: a.) Matthæi XVI. *Tu es Petrus &c.* b.) Ibid. *Tibi dabo claves regni Cælorum.* c.) Joannis XXI. *Paſce oves meas, paſce agnos meos.* d.) Lucæ XXII. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua &c.* De primo horum locorum dixi §. 1. quantum ſatis; de ſecundo itidem §. 2.; circa tertium, de quo pariter tractavi § 1. nonnulla hîc addam; de quarto nunc agam pluribus.

Utique Chriſtus *Lucæ XXII.* rogavit pro Petro, ne ejus fides deficeret; mandavit ei inſuper, ut fratres ſuos aliquando confirmet. Verùm imprimis hæc Chriſti pollicitatio, juxta ſenſum literalem Scripturæ, à pluribus Patribus adoptatum, ad ſolum tempus Dominicæ paſſionis extenditur, quo ſcandalum Crucis in univerſos Domini diſcipulos, maximè verò in B. Petrum, qui ter Magiſtrum ſuum negavit, erat debacchaturum. Unde Matthæi XXVI. Dominus eos in hunc modum affatur, *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte: ſcriptum eſt*

enim

enim, percutiam Paſtorem & diſpergentur oves gregis. Reſpondens autem Petrus ait illi: Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandaliзabor. Ait illi Jeſus: Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam Gallus cantet, ter me negabis. Deinde in textu Lucæ, quem hìc ponderamus, ait quidem Dominus noſter: *Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos:* verùm 1.) non dixit Chriſtus Petro, Ego rogavi pro te, ne unquam erres, aut ſis infallibilis; ſed tantum, *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Habuit omnino Chriſti oratio ſuum effectum: erravit quidem Petrus, & ejus fides tantùm defecit quoad *actum*, non quoad *habitum*; nam ore, non corde Dominum negavit. 2) Qui antecedentia & conſequentia hujus textûs attentè conſiderat, primâ fronte videbit, Petrum, poſtquam ex titubatione trinæ negationis, quaſi ex graviſſimo ſopore emerſit, multò magis idoneum fuiſſe, tum ad Collegas fluctuantes confirmandos, tum ad Fratres diſperſos in Eccleſiam revocandos, ut ibidem reſurrectionem Domini præſtolarentur. Conſequenter hoc argumentum fallit à dicto *ſecundùm quid*, ad dictum *ſimpliciter*. 3.) Poteſt haud dubiè S. Petrus & quilibet ejus ſucceſſor ſingulares perſonas, aut diſgregatas Eccleſias, per ſacræ Scripturæ aut Canonum interpretationem in fide roborare. Hoc ſenſu B. Hieronymus Epiſtolâ ad Damaſum Papam petiit facultatem dicendarum Hypoſtaſeon, id eſt, interpretationem Symboli Nicæni: *A Paſtore*, inquit, *præſidium ovis flagito: diſcerne, ſi placet, non timebo tres Hypoſtaſes dicere, ſi jubebis.* Eadem quoque eſt ratio Theodoreti & aliorum, qui ſanctam Sedem perfugio habuerunt. 4.) Non poteſt ambigi, quin Lucæ XXII, agatur de fratribus confirmandis in fide, quam Petrus nomine omnium Diſcipulorum Matthæi XVI. ediderat:

ediderat: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*; etenim ejusmodi fides, propter ſcandalum Crucis, in dubium aut apud omnes, aut apud permultos Diſcipulorum Domini veniebat. Quocirca ſi hac voce Chriſti *Confirma fratres tuos*, fratrum appellatione Apoſtolos atque Diſcipulos intelligamus (ſicuti juxta hiſtoriæ & literæ circumſtantias intelligendi ſunt) certum eſt, eos, poſtquam Chriſti reſurrectione, præſentiâ, convictu, donis permultíſque miraculis, ac demum effuſſione Spiritûs Sancti abundè illuſtrati atque roborati ſunt, opus non habuiſſe, ut in hac fide, *Quòd Chriſtus verus eſſet Dei filius*, à S. Petro confirmarentur. At verò ſi 5.) nomen *Fratrum* amplietur, & ad quoscunque fideles extendatur, nemini Catholico dubium eſſe poteſt, quin B. Petrus facultatem illos confirmandi habuerit, quia hoc illi cum Primatu delatum eſt Matthæi XVI. & Joannis XXI. Itaque 6) vel ad literam ſumendus eſt textus Lucæ & reſtringendus ad Diſcipulos Domini propter ſcandalum Crucis titubantes: vel ad facultatem omnium fidelium confirmandorum, & hoc caſu idem jus non tantùm B. Petro, ſed omnibus etiam Apoſtolis atque Epiſcopis proportionatim & reſpectivè competit: *quia confirmare fratres nihil aliud eſt, quàm actus Hierarchicos exercere, illuminando per doctrinam, definiendo dubia circa hanc meta, profligando hæreſes & errores, obfirmando fideles in fide &c.* 7.) Sic in ipſa etiam naſcente Eccleſia, non à Petro ſolùm, verùm ab omnibus Apoſtolis impletum fuiſſe munus ſe ſe invicem ſermonibus & exemplis confirmandi, diſcimus ab exemplo Pauli, Petrum ipſum confirmantis in veritate Evangelica, quando apud Antiochiam diſſimulationem ejus redarguit. Ex quo tamen nemo inferet Paulo ſupra Petrum jurisdictionem fuiſſe datam, aut auctoritatem cum infallibilitate inſtruendi.

Si

Digitized by Google

Si Italus me hìc urgeat, quemadmodum fecit Febronio ratione textûs Matthæi XVI., ut inter varias Patrum interpretationes ſeligam & declarem, quam ego circa prælaudata verba Chriſti apud Lucam præferam & adoptem, dicam ei cordatè cum Natali Alexandro: „ in textu Lucæ Cap. XXII Chriſtum „ orâſſe pro S. Petri perſeverantia finali in vera fide & gratia, „ ne ſcilicet paſſionis ſuæ tempore, quo Apoſtolis graviſſima „ tentatio imminebat, ipſéque concutiendus erat & caſurus, „ fidem amitteret, ſed ut fide ſervatâ in ipſo lapſu, reſurge„ ret, fortiórque divinâ gratiâ factus, fratres, id eſt cæteros „ Apoſtolos in fide confirmaret; idque privilegium perſonale „ eſſe S. Petri, quod ad ſucceſſores non manaverit, *à maxima parte Patrum & Tractatorum Eccleſiaſticorum tradi*. „ Sunt ipſa Nat. Alexandri verba *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. Diſſert.* 4. *in Sæc. XV. & XVI. n.* 14. Ubi inſimul, quod de maxima parte Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum aſſeruit, probat. Quid poſt hæc faciemus viro, qui audet affirmare nullum Catholicum Auctorem allegari poſſe, qui verba Chriſti Lucæ XXII. *Rogavi pro te Petre*, de ſolo Petro intelligenda eſſe ſuſtineat, atque inſuper, nullum eorum, quos cum Natali Alexandro produxit Febronius *Cap. V.* § 1, *n.* 2. dixiſſe, promiſſionem in ſola Petri perſona concludi: „ Aliud enim, in„ quit ille, eſt morali applicatione Petri converſionem per „ hæc verba proponere, nullâ factâ mentione Pontificum, aliud „ verò dicere, quòd ſucceſſoribus non ſint applicanda. „ Sed numquid minùs verè cum turba Patrum à ſe allegatorum dixit Alexander, illo Lucæ loco *perſonale* Petro dari privilegium, *quod ad ſucceſſores non manavit?* Eſt vir ille Godefridus Kauffmans Doctor Colonienſis in Præfat. ſecundæ editionis ſui Apologetici Theologici contra Febronium *pag.* 5. Audet ille inſuper ibid. ſuſtinere, Febronium perperam ſupponere, acſi

Digitized by Google

verba Chriſti: *Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me*, fuerint prædictio trinæ abnegationis.

Non magis Pontificiæ infallibilitati ſuffragatur Traditio quàm Verbum Dei ſcriptum. De Traditione in his & ſimilibus non judicabitur certiùs, quàm ex Actis & Diſciplina antiquiorum Conciliorum. In his exulat pro parte Pontificum omnis ſtylus dictatorius; agnoſcunt ipſi votorum libertatem, maximè in rebus fidei, neque hìc ſibi ſumunt niſi Primatum directionis. Nonnulla Patrum dicta, quæ ab adverſariis adferuntur, commodam explicationem nanciſcuntur à diverſis applicationibus Textuum ſacræ Scripturæ, quos hactenus enucleavimus. Ex illis pro exemplo ſerviet locus divi Hieronymi non incelebris, quem modò retulimus, de alio non minùs decantato S. Irenæi Ep. & Mart. agemus *Cap. ſeq.* §. 6. Conferatur interim hìc locus ex epiſtola 239. S. Baſilii M. cujus verba referemus *Cap. ſeq.* §. 2.

§. IV.

Epiſcopatus in Eccleſia unus, omnibus Apoſtolis, & Epiſcopis eorum ſucceſſoribus communis à Chriſto inſtitutus eſt.

Eccleſiæ univerſalis cura Romanis Pontificibus credita fuiſſe dicitur; at idem de cæteris Epiſcopis dicunt Patres: attamen ſalvo ſemper Primatu Papæ. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum ſic omnibus Epiſcopis loquentes inducit Apoſtolos: „ Hanc Catholicam doctrinam ſcripſimus vobis, ad „ confirmandos & roborandos vos, quibus univerſalis Epiſco- „ patus creditus eſt. „ Conſtat eruditis, has Conſtitutiones ex diverſis ſcriptis, quæ portabant nomen Apoſtolorum, ſæculo V, compilatas eſſe.

In

Digitized by Google

In Concilio Carthaginenſi ſub S. Cypriano habito, apud Auguſtinum Lib. VII. de Bapt. contra Donat. Cap. 13. *Opp. Tom. VII. pag.* 64. *edit.* 1654. „ Venantius de Timiſa dixit: Chriſtus Dominus & Deus noſter ad Patrem proficiſcens Sponſam ſuam *nobis* commendavit. „ In eodem Concilio Clarus Epiſcopus Maſculæ *ibid. pag.* 66. ſic loquitur: „ Manifeſta eſt ſententia Domini noſtri Jeſu Chriſti Apoſtolos ſuos mittentis, & ipſis poteſtatem à Patre ſibi datam „ permittentis: quibus nos ſucceſſimus, *eâdem poteſtate Eccleſiam Domini gubernantes.* „ Probatum eſt autem, Eccleſiam ab Apoſtolis poteſtate æquali, & ab omnibus *in ſolidum* acceptâ, fuiſſe adminiſtratam. Sic ergo, & non aliter, ab Epiſcopis & Romano Pontifice adminiſtrata fuit.

Cyprianus Stephano Papæ ſcribens de Marciano Arelatenſi Epiſcopo, qui Novatianorum in peccatores acerbitatem æmulabatur, ſe ipſum huic Romano Pontifici in cura adminiſtrandæ Eccleſiæ ferè æqualem fecit: „ Cui rei (inquit *Epiſt.* „ 67) noſtrum eſt conſulere & ſubvenire, *Frater cariſſime,* „ qui divinam clementiam cogitantes, & *gubernandæ Eccleſiæ* „ *libram tenentes,* ſic cenſuram vigoris peccatoribus exhibemus, ut tamen lapſis erigendis & curandis vulneratis, bonitatis & miſericordiæ divinæ medicinam non denegemus. „ Quapropter facere te oportet pleniſſimas litteras ad Coëpiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos. . . . . . Idcirco enim, „ *Frater cariſſime,* copioſum Corpus eſt Sacerdotum concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum, ut ſi „ quis ex collegio noſtro hæreſim facere, & gregem Chriſti „ lacerare & vaſtare tentaverit, ſubveniant cæteri, & quaſi Paſtores utiles & miſericordes oves dominicas in gregem colligant. „ His verbis Cyprianus Epiſcopatûs univerſalitatem,

tem, pluribus pro indiviſo communem, diſtinctè exprimit, ſic tamen, ut etiam locum relinquat Primatui Pontificis.

Patres quinti Concilii œcumenici, in quo nec Romanus Epiſcopus ſedebat, nec pro eo Legatus, Collatione VIII ſic de ſe ipſis loquuntur apud Harduinum *Tom. III. col* 188. „ Et nos igitur, *quibus regere Eccleſiam Domini creditum eſt*, „ timentes maledictionem, quæ imminet his, qui negligenter „ opera Domini faciunt &c.

Eandem doctrinam continet Epiſtola Concilii Cariſiaci ſcripta ad Regem Ludovicum anno 558. in Collectione Harduini *Tom. V. pag.* 477. in qua Patres, „pro certo ſciatis, „ ajunt, quia cum noſtris parentibus, id eſt, cum Apoſtolis, „ Chriſtus Rex regnum ſuum, id eſt, Eccleſiam conquiſivit, „ ampliavit & rexit: & per nos & nobiſcum, utinam non ad „ judicium noſtrum dicamus, eandem Eccleſiam, id eſt regnum „ ſuum, quotidie acquirit, auget atque gubernat idem Domi- „ nus Jeſus Chriſtus, ſicut dictum eſt à Domino Eccleſiæ per „ Prophetam: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii*, id eſt, pro „ Apoſtolis creavi tibi Epiſcopos, qui te regant & doceant. „ Cum quâ *Eccleſiâ nobis à Deo commiſſâ*, Rex Chriſtiane & „ Domine.....pro vobis deprecari ſtudebimus.

Quæ adversùm hæc opponit Italus *pag.* 85. *ſeq.* tam levia ſunt ac modici momenti, ut vix attentionem & reſponſum mereantur. Sic, ait, indiviſus Epiſcopatus, à Chriſto vix inſtitutus, illico ab Apoſtolis cœpiſſet abrogari; ſi autem ille perduret, tot erunt Papæ quot ſunt Epiſcopi; & quis valeat Epiſcopos retinere, quominus è propriis diſtrictibus egrediantur? Verùm errat noſter, ſi putet communem pluribus eúmque univerſalem Epiſcopatum, quem Chriſtus inſtituit, ab Apoſtolis fuiſſe ſublatum: ſubſiſtit hæc communio in hunc usque diem; quanquam diviſis per Apoſtolos eorúmque ſucceſ-

ſores,

Digitized by Google

ſores, aucto fidelium numero, Eccleſiis, providè per Canones ſtatutum ſit, ne in caſibus ordinariis, & quamdiu Fides aut aliquid ſubſtantialè in Diſciplina non periclitatur, quisquam rebus alienæ diœceſeos ſe ſe immiſceat. Sed neque per hoc tot fient Papæ, quot ſunt Epiſcopi; eſt & manebit etiam ſtante hoc communi Epiſcopatu ſuus Romano Pontifici Primatus, quem commodè explicabit; quemadmodum ut id faceret Stephanus cum monuit Cyprianus in mox *cit. Epiſt.* 67.

De hac Theſi in Concilio Tridentino, teſte Card. Pallavicino *Lib. XVIII. Cap.* 14. *n.* 5. ita diſſeruit Petrus Guerrerus Archiepiſcopus Granatenſis: „Epiſcopos jure divino inſtitutos fuiſſe, & ex eodem Presbyteris eſſe majores: nam „Calvinus, Muſculus, aliique innovatores hanc illis prærogativam denegabant: Suam ſententiam ex eo confirmavit, „quòd Epiſcopatus unicus eſſet, cujus partem cuncti Epiſcopi obtinebant: Pontificem Romanum & Epiſcopos eſſe fratres, filios unius Patris, qui eſt Chriſtus, & unius Matris, „quæ eſt Eccleſia: æque inſtitutos à Chriſto fuiſſe ſecundos, „ac primum. Romanum quidem Pontificem tamquam Caput inſtitutum, ſed ſolùm tamquam cauſam beneficientem, „non generantem, quemadmodum caput noſtrum regit quidem & adjuvat membra reliqua, ſed ea non generavit. Petrum Apoſtolorum inſtitutorem haud fuiſſe, ſed Chriſtum, „adeóque Epiſcopis, utpote ſucceſſoribus Apoſtolorum, impertitam eſſe poteſtatem non à Petri ſucceſſoribus, ſed à „Chriſto. Attulit exemplum arboris, in qua multi quidem „rami, ſed unica ſolùm eſt virtus. Si Sacramenta, Hierarchia, ác primus Hierarcha inſtitutionem à Deo receperunt, „Sacramentorum etiam miniſtros, cæteroſque Hierarchas „(cum neceſſaria ad hoc poteſtate) à Deo fuiſſe inſtitutos.

Digitized by Google

„ Hæc certiſſima eſſe, & ab hæreticis negata, adeoque digna, „ quæ definiantur.

§. V.

Priora & feliciora Eccleſiæ ſæcula in Romano Pontifice non agnoverunt ſupremam & independentem Juris ferendi & dicendi poteſtatem.

Qui in aliquo Statu aut Rep. ſupremis juribus majeſtaticis gaudet, & per hoc Primatu *monarchicæ jurisdictionis* potitur, ei reliquæ omnes jurisdictiones particulares ita ſubordinantur, ut poſſit pro jure ſuo quasdam cauſas ad ſe avocare, judicia jam lata temperare aut reſcindere; quando econtra ipſe nullius alterius judicio obnoxius eſt. Itaque ſi Romanus Epiſcopus jure divino in univerſali Eccleſia talem jurisdictionis Primatum obtineat, jus etiam habebit per totam Eccleſiam cauſas quascunque, majores, minores, publicas, privatas, primæ etiam inſtantiæ, ad ſe avocandi, de aliis poſt appellationem novum judicium, à quo non ſit provocatio, ferendi, decreta ab Epiſcopis & Conſiliis prolata corrigendi aut reſcindendi, cùm à nullo tribunali Eccleſiaſtico judicari ipſe valeat.

Adversùm hæc fruſtra quis reponet, Romani Pontificis poteſtatem Canonibus ad certos limites fuiſſe coarctatam. Valet equidem hoc reſponſum ab iis prolatum, qui ipſi cum Proteſtantibus non alium adſcribunt Primatum *jurisdictionis* niſi *humanum*, & à Conciliorum decretis ac Principum conſtitutis tanquam ab unico fonte derivatum; tunc enim cùm auctoritatem non haberet niſi ab hominibus acceptam, regulis ac finibus ab iisdem hominibus poſitis ligatur, nec privilegia ſibi ab eis conceſſa prætergredi poteſt. At idem incaſſum

reſpon-

Digitized by Google

reſpondetur ab iis, qui Romano Pontifici *divinum monarchicæ Jurisdictionis Primatum* adſcribunt; reponent enim Romani (nec me quidem judice in ſuo ſenſu temere) Canonibus, in quibus jus non eſt niſi humanum, moderari ac reſtringi non poſſe poteſtatem, quæ ex inſtituto eſſe divino, & ab ipſo Chriſto collata agnoſcitur.

Fruſtra etiam Concilia œcumenica à Pontificis jurisdictione eximere quis tentaret; ſi enim ipſius jurisdictioni Epiſcopi collectim omnes diſperſi, aut etiam in Synodis provincialibus coacti ſubiiciantur, cur eidem non ſubiicerentur ducenti vel trecenti in unum collecti? An quod diſperſi nequeunt, poterunt congregati, eum ſcilicet judicare, quem judicem omnium eorum Deus conſtituit. Fortâſſe dicetur, à Conciliis generalibus Eccleſiam integram repræſentari, & ideo ipſis auctoritatem ſupremam competere, cui proinde ſubiicitur ſummi Pontificis auctoritas. Aſt hoc imprimis Romani non admittent; deinde, ſi Romanus Epiſcopus jurisdictionem divinam monarchicè in omnes Paſtores, ac proinde in univerſam Eccleſiam obtineat, eandem jurisdictionem & in ipſa Concilia, quæ ex Paſtoribus conſtant, quibúsque repræſentatur Eccleſia, habeat, oportet. Verùm omnes hæ ſequelæ, quæ ex prætensâ illâ univerſali ac divina jurisdictione naturaliter profluunt, vix aliis placebunt, quam Romanis, horúmque adulatoribus, præcipuè autem Italo noſtro *pag. 59. & alibi paſſim*, certè non Gallis.

Sanè non ferebant antiqui Epiſcopi, ut ſecum Romani Pontifices *cum imperio* agerent; quod iſti ſi attentarent, palàm eis reſiſtebatur. Sic Polycrates Epiſcopus Epheſi Victoris minas reiicit in Epiſtola Synodica, quam Paſchatis cauſa adversùs hunc Papam ſcripſit apud Euſebium *Hiſt. Eccleſ. Lib. V. Cap.* 24. ubi: „ Ego quinque & ſexaginta annos natus in

„ Domino,

„ Domino, qui cum fratribus toto orbe diſperſis ſermones „ ſæpe contuli, qui Scripturam ſacram omnem perlegi, nihil moveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur. „ Etenim ab illis, qui me longè majores erant, dictum ſcio, „ obedire oportet Deo magis quàm hominibus. „ Cum idem Victor, ut comminatus erat, Eccleſias Aſiæ à ſua communione aut actu excidiſſet, aut jam jam exciſurus erat, multi Epiſcopi, doctrinæ ejus licet conſentientes, & præcipuè Irenæus, per Epiſtolas acriori ſtylo ad eum ſcriptas, cœcum præcipitemque illius Zelum apertè damnarunt. Eum ergo ut judicem Collegarum ſuorum in controverſiis ad Religionem ſpectantibus non agnoſcebant; alioquin non ſolum ſic ad eum non ſcripſiſſent, ſed etiam communi conſenſu cum ipſo conſpirantes, Aſiæ Epiſcopos induxiſſent, ut à conſuetudine ſua diſcederent; judicis enim eſt æquum decernentis, & potiſſimum judicis divino inſtituto poſiti, inferioribus ſuis obedientiam præcipere.

Firmilianus & Cyprianus arrogatum à Stephano Papa imperium adhuc nervoſius repulerunt. Sic enim Cypriano ſcribit Firmilianus *inter Cypr. Epiſt. 75. p. 143.* „ Nos gratiam referre Stephano in iſto poſſumus, quòd per illius inhumanitatem nunc affectum ſit, ut fidei & ſapientiæ veſtræ „ experimentum caperemus. Sed non enim ſi nos propter „ Stephanum hanc beneficii gratiam cepimus, ſtatim Stephanus beneficio & gratia digna commiſit. Neque enim & Judas perfidia ſua & proditione, qua ſcelerate circa Salvatorem „ operatus eſt, dignus videri poteſt quaſi cauſam bonorum „ tantorum ipſe præſtiterit, ut per illum mundus & gentium „ populus paſſione Domini liberaretur. Sed hæc interim quæ „ ab Stephano geſta ſunt prætereantur; ne dum audaciæ & „ inſolentiæ ejus meminimus, de rebus ab eo improbè geſtis „ longiorem mœſtitiam nobis inferamus. „

In

In eadem cauſa ad Pompejum Epiſcopum ſcripſit Cyprianus *Epiſt.* 74. *pag.* 138. „ Quia deſideraſti in notitiam „ tuam perferri, quid mihi ad litteras noſtras Stephanus *fra-* „ *ter noſter* reſcripſerit, miſi tibi reſcripti ejus exemplum..... „ Inter cætera vel ſuperba, vel ad rem non pertinentia, vel „ ſibi ipſi contraria, quæ imperitè atque improvidè ſcripſit, „ etiam illud adjunxit &c. „ Notum eſt autem Sanctum Doctorem, omnésque cum eo Africæ Epiſcopos, non obſtante prætenſo Stephani mandato, in ſuâ ſententiâ de rebaptizandis hæreticis perſtitiſſe.

Non minùs validè S. Auguſtini temporibus Afrorum Eccleſia Zozimo & Cœleſtino RR. PP. Superioritatem cum vera juriſdictione conjunctam in illam attentare & exercere tentantibus obſtitit. Concilii Milevitani Canone omnis appellatio ad Romanam Eccleſiam, denuntiatâ excommunicatione Africanis prohibebatur; attamen Presbyter Apiarius ab Urbano Epíſcopo ſuo ob varia crimina excommunicatus, cauſam ſuam apud Zozimum intulit. Zozimus in Africam tres miſit Legatos dato eis libello in quatuor capita diviſo, quorum primo Epiſcoporum appellationes ad Romanum Pontificem approbantur. Lecto hoc libello in Concilio Carthagine coacto Zozimi placitis aſſentiri non poterant Patres Concilii. Verùm cum Zozimus Canones Concilii Nicæni cauſaretur, ſcripſerunt ad eum, ſe ob reverentiam huic Concilio debitam paſſuros, ut interim ex placitis ejus ageretur, donec de decretis Nicænis certiores facti fuiſſent. Quod ut aſſequerentur, Presbyterum Innocentem Alexandriam, & Subdiaconum Marcellum Conſtantinopolim miſerunt, qui ab Epiſcopis harum urbium ſinceras hujus Concilii deſcriptiones poſcerent.

Paucis pòſt annis Africæ Epiſcopi per Presbyterum Leonem Epiſtolam acceperunt à Cœleſtino, tunc Romæ Epiſcopo,

Digitized by Google

copo, ſcriptam in gratiam Apiarii, quem miniſterio ſuo Cœleſtinus reſtituerat, & in Africam cum Epiſcopo Fauſtino remittebat. In Synodo generali Africæ ob hanc cauſam congregata voluit Fauſtinus Apiarium à Romano Pontifice reſtitutum ab Epiſcopis Africanis in communionem ſuam accipiendum eſſe; ſed cùm per tres dies conteſtatum eſſet Fauſtinum inter & hos Epiſcopos, Apiarius à Deo immutatus, crimina, de quibus fuerat poſtulatus, derepente confeſſus, Eccleſiaſtico miniſterio privatus perpetuò manſit. Synodalem deinde Epiſtolam ad Cœleſtinum ſcripſerunt Africani Epiſcopi, in qua ſic loquebantur apud Harduinum *Tom. I. col.* 947. „ Deprecamur, ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere: quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum fuiſſe facilè advertet Venerabilitas tua..... Prudentiſſimè enim juſtiſſiméque providerunt (Concilia & Patres) quæcunque negotia in ſuis locis, ubi orta ſunt, finienda..... Quia illud quod pridem per Coëpiſcopum noſtrum Fauſtinum, tamquam ex parte Nicæni Concilii exinde tranſmiſiſtis, in Conciliis verioribus, quæ accipiuntur Nicæni, à Sancto Cyrillo Coëpiſcopo noſtro Alexandrinæ Eccleſiæ, & à venerabili Attico Conſtantinopolitano Antiſtite, ex authentico miſſis.... non potuimus reperire. „

Sic Canonem, quo omnis prohibebatur ad ſedem Romanam appellatio, defenderunt confirmarúntque Epiſcopi Africani. Sic Zozimi & Cœleſtini uſurpationes coërcuerunt. Appellationes ad Sedem Romanam tolerarunt quidem, ſed ob ſolam erga Concilium Nicænum reverentiam, à quo approbari dicebantur, & ad tempus tantùm, donec ſcilicet hujus Concilii exemplaria authentica accepiſſent. Ubi autem iis acceptis, Romanorum Pontificum Placita nullo

legis

legis Eccleſiaſticæ fundamento niti compertum eſt, illa rejiciunt, Canonémque ſuum præferunt Decretis Cœleſtini. Non ergo exiſtimabant ei jure divino, imò nec humano quidem, jurisdictionem propriè dictam eámque univerſalem competere.

Ante Epiſtolam ab Africanis ad Papam Cœleſtinum ſcriptam, de quâ jam egimus, illi in Concilio Milevitano II. apud Harduinum *Tom. I. col.* 879. hunc ſtatuerant Canonem: *Ad transmarina autem (judicia) qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur.* Itaque cùm Primatus jurisdictionis non poſſit ſtare *absque jure cauſas recognoſcendi* ab inferioribus judicibus jam latas, uti hodierni Romani non agnoſcunt ſolùm, ſed contendunt etiam, manifeſtum eſt, Concilia, à quibus *hoc jus* Romanis Epiſcopis explicitè & contradictoriè negatum eſt, etiam ipſum *jurisdictionis* Primatum negare.

Cùm Gregorius IV. in Galliam veniſſet, & rumor ſpargeretur, ipſum Epiſcopis, qui ex partibus erant Ludovici pii, excommunicationem minitari, ſcripſerunt ad eum Epiſcopi, nullam ipſi poteſtatem eſſe aliquem in diœceſibus ſuis, ſe invitis, excommunicandi, *aut aliquid præcipiendi;* & excommunicatum ipſum abiturum, ſi propoſitum ſuum exequi tentaret. Fleury *Hiſt. Eccleſ. Tom. X. Lib.* 47. *n.* 38. Hæc ita refert Auctor Vitæ Ludovici pii apud Ducheſne Collect. Tom. II. pag. 309. *Cùm rumor undique diffuſus ſereret..... de Papa Romano, quòd ideo adeſſet, ut tam Imperatorem, quàm Epiſcopos excommunicationis vinculis irretire vellet, ſi qui inobedientes eſſent ſuæ filiorúmque Imperatoris voluntati, parum quid ſubripuit Epiſcopis Imperatoris præſumptio audaciæ, aſſerentibus, nullo modo ſe velle ejus voluntati ſuccumbere, ſed ſi excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret,*

CUM ALITER SE HABEAT ANTIQUORUM CANONUM AUCTORITAS. Cum his nihilominùs confer quæ *Cap. II.* §. 2. de auctoritate Pontificis in certis caſibus mandandi monendíve ampliùs dicturi ſumus.

TITULUS II.

De cauſis & viis, per quas divino Eccleſiæ Primatui varia jura humana acceſſerunt.

§. I.

Petrus, & poſt eum Romanus Pontifex, an & quo ſenſu ſit Caput Eccleſiæ; quæ Eccleſia aliarum Eccleſiarum Mater & Magiſtra.

Sacra Scriptura, non *fidei* modò ſed & *eloquii* noſtri norma, non alteri niſi Chriſto dignitatem *Capitis Eccleſiæ* tribuit. Sic S. Paulus ad Epheſ. I. ℣. 17. 22. 23. *Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater...., omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit CAPUT ſuper omnem Eccleſiam:* dein ad Epheſ. IV. ℣. 15. *Veritatem autem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt CAPUT, Chriſtus:* porrò ad Coloſſ. I. ℣. 18. item II. ℣. 19. *Ipſe eſt CAPUT Corporis Eccleſiæ.... CAPUT ex quo totum Corpus, per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum creſcit in augmentum Dei.* Chriſtianos verò, non exceptis Apoſtolis, eorúmque primo, Paulus ad Rom. XII. ℣. 4. 5. *membra* vocat Corporis, cujus Caput eſt

eſt Chriſtus: *Sicut enim*, ait, *in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum Corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Quibus ultimis verbis ſe ipſum cum omnibus Collegis ſuis inter membra collocat Apoſtolus, Chriſto ſoli dignitatem Capitis relinquens. Ubi notandum, non dicere Apoſtolum, *membra Chriſti*, quod verè dicere potuiſſet; ſed *alter alterius membra;* ita ut, ipſo auctore, Petrus membrum eſſet non ſolùm reſpectu Chriſti, ſed & reſpectu omnium fidelium.

Hæc etiam ipſa eſt communis Patrum doctrina. Sic centies S. Auguſtinus Chriſtum dixit Eccleſiæ Caput, Petrum verò nunquam; ſed eum ſicut alios Apoſtolos inter membra reputat. Brevitatis amore hunc unum ipſius locum referam *Tract. CVIII. in Joannem. n.* 5. „ Sed quoniam per hoc, „ quòd mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, „ factus eſt Caput Eccleſiæ; illi (*Apoſtoli*) membra ſunt ejus. „ Ideo ait, quod ſequitur: Et pro eis ego ſacrifico me ipſum. „

S. Leo Papa *Serm. LXXX. in Nativit. Apoſt. Petri & Pauli Cap.* 7. Petrum & Paulum inter Eccleſiæ membra ponit, eos tanquam corporis oculos reſpiciens, Chriſto autem Capitis dignitatem ſervans: „ Quos, ait, gratia Dei in tan- „ tum apicem inter omnia Eccleſiæ membra provexit, ut „ eos in corpore, cui Caput eſt Chriſtus, quaſi geminum con- „ ſtitueret lumen oculorum. „ Adde S. Gregorium. M. *Lib. V. Epiſt.* 18.

Concilium Toletanum VIII. Can. 4. apud Harduinum *Tom. III. col.* 962 Epiſcopos, ne Romano quidem excepto, oculis corporis itidem aſſimilat, Chriſtúmque ſolum Caput agnoſcit. „ Cùm ſecundùm carnis aſſumptæ myſterium, Ec- „ cleſiæ ſuæ fuerit dignatus Caput exiſtere Chriſtus; meritò „ in membris ejus intentio Epiſcoporum officia peragere cer-

 „ nitur

„ nitur oculorum. Ipſi enim de ſublimiori celſitudine ordi-
„ num regunt & diſponunt ſubjectas multitudines plebium. „

Sic loquuntur Scriptura & SS. Patres circa nomen *Caput Eccleſiæ*; húnceque loquendi modum tenere fuiſſet ſecurius, quàm talem adhibere elocutionem, quæ ſicut quibusdam præbuit anſam ſuperbiendi, ita ſimplicium mentibus caliginem offundit, ne illorum uſurpata tam facilè diſcernere valeant. Hoc certè fecit Italo noſtro *pag.* 93. *&* *alibi.* Non ignoro, à Patribus Concilii Chalcedonenſis S. Leonem Papam *ſuum* vocari *Caput*; ſcio etiam, qualiter Concilium Florentinum declaraverit, Rom. Pontificem eſſe *Caput Eccleſiæ*. Potuerunt hæc dare occaſionem, & actu multis dederunt, attribuendi Capiti Eccleſiæ *miniſteriali*, quæ tantùm debentur *eſſentiali*, quod eſt Chriſtus. In fine quidquid dicitur ſive in Synodis, ſive à Scriptoribus Eccleſiaſticis de ſummo Pontifice tanquam Capite Eccleſiæ, ea omnia ſignificant, illum eſſe primum & principalem inter Eccleſiæ Miniſtros. Hoc rectè obſervavit Cardinalis Alliacenſis *Tomo II. Gerſoniano col.* 928.

Verùm, inquiunt, neceſſarium eſt Eccleſiæ viſibile Caput, *ſummâ præpollens autoritate*, ruiturâ alioquin Eccleſiâ in exitialem anarchiam. At Chriſtus, verum Eccleſiæ Caput, licèt oculis carnis inviſibilis, non eò minùs oculis fidei præſens eſſe debet. Non ille minùs Eccleſiæ ſuæ, ex quo in cœlis eſt, invigilat & ſubvenire poteſt, quàm cùm in terris degeret. Non eſt oblitus ſua promiſſa, ſe cum eâ ſemper futurum, & adversùs eandem non prævalituros hoſtes ejus. Finaliter divina hæc Reſpublica cum humanis ſocietatibus nullâ ratione comparari poteſt: tum quòd has usque ſe ſervaturum Dominus non ſpoponderit, ideóque eas hominum prudentiæ regendas permiſerit: tum quòd utriusque Reipublicæ diſpar omnino ſit conditio: Unaquæque enim ſæcularis poteſtas ſibi ipſi fingit ſuam

ſuam regiminis formam, ut hæc ſit alibi *purè monarchica*, alibi *purè ariſtocratica*, alibi *democratica*, alibi *per mixturas temperata;* Eccleſiaſtica autem eſt & manere debet *hierarchia*, *non competens uni ſoli*, ſed ùt ait Tridentinum, *conſtans ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris:* quapropter etiam in Jure Canonico non dicitur *Majeſtas*, ſed *Majoritas*, in cujus ſupremo ordine omnes ſtant Epiſcopi, non unus duntaxat eorum.

Circa alteram quæſtionem hoc §. propoſitam: *quæ Eccleſia* in ſenſu Conciliorum & Canonum *pro aliarum Eccleſiarum Matre & Magiſtra habeatur*, ita diſſerit Illuſt. Boſſuetus *Defenſ. Declarat. Cleri Gall. Part. I. Lib. I. Cap.* 1. „ Quod in fidei „ profeſſione eſt ſcriptum, Sanctam Catholicam, Apoſtolicam „ Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem ac Magiſtram, quidam ipſam Univerſalem Eccleſiam intelligunt; „ quæ propriè, ac ſtrictè, ùt ajunt, *Catholica* ſit: *Apoſtolica* „ verò, quòd Apoſtolicâ ſucceſſione gaudeat; ac *omnium Eccleſiarum* particularium, uti omnium fidelium *Magiſtra & Mater*, meritò appelletur: *Romana* porro ſit, vel maximè „ quòd Sedem Romanam ac Petri Cathedram Principem fidei „ & Caput communionis agnoſcat. Alii Romanæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ nomine, deſignatam volunt Sedem ipſam Romanam à Petro & Paulo fundatam, veréque „ Apoſtolicam, Catholicámque, eo ſenſu quòd ab ea in omnes „ venerandæ communionis jura dimanent: omnium Eccleſiarum Matrem ac Magiſtram, quæ nos lacte alat doctrinæ ſalutaris, eámque tradat qua vivimus omnes, Romanam fidem. „ Quis hæc non fateatur? „ Utrumque ſenſum, ait Boſſuetus, ſuâ declaratione complexi ſunt Patres Gallicani; utrumque etiam admiſit Febronius *Cap III.* §. *6* ita tamen, ut primas dederit primo. Addit idem illuſtriſſimus Præſul: „Quid „ plura poſtulas? Non *præcipuam*, inquis, ſed *ſolam*, atque

„ in

„ in ſe omnia continentem ejus authoritatem neceſſe eſt ut „ agnoſcamus; & ab ipſo ùt Capite accipere Patres in Conciliis Oecumenicis congregatos quòd ſine errore recta decidant. Hanc fidei ſummam eſſe prædicas, quâ evertâ omnia „ quatiantur. Addis tu quidem ad fidem Eccleſiæ; nova „ profers: Nos refugimus; nos à Spiritu Sancto doceri credimus in Synodis Oecumenicis Domini Sacerdotes; quódque recta decidant non à Summo Pontifice accipere, ſed à „ Spiritu Sancto, quo autore dicant illud Apoſtolicum: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis;* ſed à Chriſto Doctore: „ *Ego vobiscum ſum.* Hæc tu interpretaris: Peſſimè, ùt nos „ quidem credimus. „ Hæc clara ſunt, dilucida & ſolida. Adversùs ea D. Kauffmans *in Apologetico Diſſert. III.* §. 6. diſputat multis involutis ac ſesquipedalibus, plerumque ad rem non facientibus verbis, quæ in receſſu nihil probant, & Febroniana æque parum ac Boſſuetiana elidunt. Interim ea quemadmodùm *modò* dant anſam & qualecunque ſubſidium ad ſuſtinendas Ultramontanorum opiniones, ita & *olim* facilè potuerunt occaſionem præbere ad efformandas novas illorum ſententias, & hoc etiam medio ampliandam Pontificum authoritatem.

§. II.

Papa an & quatenus ſit Centrum unitatis?

III. Boſſuetus de hoc argumento agens, in Expoſitione Doctrinæ Chriſtianæ Cap. XXI. rectè ſtatuit: *Dei Filium, dum ſuam Eccleſiam unam eſſe, & ſupra Unitatem firmiter ædificatam vellet, tuendæ ac firmandæ Unitatis S. Petri Primatum inſtituiſſe, Sedémque Apoſtolicam hujus Unitatis CENTRUM ac radicem eſſe.* Habet hæc qualitas *Centri* magnam affinitatem cum illâ

Digitized by Google

illâ *Capitis*, de quâ §. *præced.* actum eſt. Ad utramque ſtabiliendam & declarandam utemur verbis Petri de Marca, quæ ab ipſo adverſario noſtro Italo *pag.* 41. mutuabimur. Sic autem Vir illuſtriſſimus *de Diſcrimine Cleric. Cap.* 3. *n.* 2. „Chri„ſtus Dominus noſter Apoſtolis omnibus & ſingulis *in ſoli„dum* Eccleſiam ſuam fundandam, docendam, & regendam „commiſit, eâ tamen lege adjectâ, ut Petrus inter eos Pri„matum gereret, & Caput eſſet Collegii illius Apoſtolici; „eo fine ſcilicet, ut præter communem cum aliis curam, uni„tatis conſervandæ in exercendo regimine ſollicitudo præci„pua, & ſpecialiter illi competeret. .... Ut ſcirent omnes, „Pontificis poteſtatem ſemper cum Petri, Eccleſiæ Capitis, „communione & unitate retinendam, ad quod ipſe, præci„puè cum poteſtate ligandi contumaces huic Unitati, cogere „poſſet." Ponderans deinde idem Auctor *num.* 3. ter repetitum mandatum Petro à Chriſto datum *paſcendi oves*, ſubdit: „Quibus verbis promiſſa Petro Capitis poteſtas pro tuen„da unitate in univerſalis Eccleſiæ regimine, illi præ cæteris „indulta eſt. Aliquid enim ſpecialiter datum neceſſe eſt in„telligi per ſententiam Domini ter repetitam, poſt acceptam „communiter eandem cum aliis poteſtatem. Cæteri quippe „Apoſtoli ſic unâ poteſtate inſtructi ſunt in ſolidum, ut ejus „inter ſe Diviſionem faciendam ...., non ignorarent .... „Petrus quoque partem ſibi excolendam aſſumpſit, quemad„modum & Paulus & reliqui Apoſtoli præſtitêre. Sed Pe„trus præter ſpecialem, ſibíque aſſignatam partem, univer„ſum Gregem à Chriſto paſcendum, & in *Unitate* regendum „accepit. .... *N.* 11. Quare poterit ille (Rom. ſcilicet Pon„tifex) ex officio, & vi poteſtatis ſibi collatæ *Unitatem tue„ri, ERUDIENDO IGNAROS, ET CONTUMACES LI„GANDO*, ſive cenſuris percellendo, cujuscunque ſint con„ditio-

„ ditionis, ſive Epiſcopi & Clerici, ſive Laici. . . . . *N.* 21.
„ Regiminis ſemel conſtituta forma expoſcebat, ut ſciremus,
„ Apoſtolos quoque ipſos huic regulæ à Chriſto præſcriptæ
„ ſubditos fuiſſe. Pares quidem in cæteris erant Petro; ſed
„ *in retinenda Unitate* eum reſpicere debebant ùt totius Colle-
„ gii Caput, & *Rectorem Unitatis &c.*

Duo media ſervandæ Unitatis hìc ponit de Marca in ſummi Pontificis poteſtate, ſcilicet *erudiendi ignaros*, & *ligandi contumaces.* Si contumaces cenſuris ligare & excommunicare valeat, haud dubiè illis etiam *mandare* (aut, ut in ſenſu Juris Canonici me explicem, eos *canonicè monere*) poterit circa ea, quæ ad tuendam & retinendam Unitatem pertinere noſcuntur. Hoc mandandi monendíque jus, hanc à via aberrantes reducendi authoritatem, ſi *Juriſdictionem* velis appellare, per me licet. Sed inde non ſequitur, quòd Papa ſub obtentu *Unitatis*, & *Centri* ejuſdem, poſſit novas leges univerſam Eccleſiam obligantes condere, cauſas judiciales ad ſe avocare, collationem beneficiorum tam minorum quàm majorum ſibi reſervare, Epiſcopos in exercitio functionum paſtoralium in propriis eorum diœceſibus per ſe vel per alios prævenire, imò illos ab eisdem excludere &c. Debet ille hanc tueri Unitatem per vias & conformiter ad regulas ab Eccleſia in SS. Canonibus præſcriptas. Hoc, de quo agimus, *Petri privilegium*, juxta effatum S. Leonis Serm. III. Cap. 3. *manet, ubicunque ex ipſius non fertur æquitate judicium;* tunc verò ex ſententia Hincmari Archiep Remenſis *non manet, ubicunque ex ipſius non fertur æquitate judicium.*

Unitatem in Eccleſia deſcribit & multùm commendat Apoſtolus in Epiſtolis ſuis ad Epheſ. IV. ℣. 3-5. nec non I. Cor. 1. ℣. 10. *Sollicitì ſervare unitatem Spiritûs in vinculo pacis. Unum corpus & unus Spiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocatio-*

Digitized by Google

vocationis veſtræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma. Obſecro .... ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententiâ. Quâ autem ratione utriusque hujus Unitatis Centrum erunt Romani Pontifices, ſi ipſi evadant ſchismatici, prout fieri poſſe nemo dubitat. Sanè nonnulli ex SS. Patribus Romanos ſuæ ætatis Pontifices pro ſchismaticis habuerunt, ſéque ab eorum communione ſegregârunt. Sic S. Firmilianus ſcripſit *Stephano* Papæ *Epiſt. 75. inter Cyprianicas pag.* 150. „ Peccatum „ verò tibi quàm magnum exaggerâſti, quando te à tot gregi- „ bus ſcidiſti! Excidiſti enim te ipſum: noli te fallere; ſiqui- „ dem ille verè eſt ſchismaticus, qui ſe à communione Eccle- „ ſiaſticæ unitatis apoſtatam fecerit; dum enim putas omnes „ à te abſtineri poſſe, ſolum te ab omnibus abſtinuiſti. „ En Romanum Epiſcopum per propriam ſuam excommunicationem à communione fidelium ſegregatum. Ecce etiam alium directè & reipſa à S. Hilario anathemati traditum: „ Anathema „ tibi à me dictum *Liberi*, & ſociis tuis...... Iterum tibi „ anathema, & tertiò *prævaricator Liberi.* „ S. Hilarius *Fragm. VI. pag.* 1337.

Inſtar horum Patrum idem deinde præſtiterunt integræ Eccleſiæ, ipsâque Concilia. Sic Africæ Illyrii & Dalmatiæ Epiſcopi omnes ſe à communione *Vigilii* ſejunxerunt ob damnata ab eo Tria Capitula. Non multò pòſt Epiſcopi Africæ in Concilio congregati eundem & eâdem de causâ ab Eccleſiæ corpore ſegregârunt. Vid. Fleury *Hiſt. Eccleſ. Lib. XXXIII. ad an.* 548. & 550. *n.* 26. & 32. Etenim ſicut quilibet fidelis pro ſchismatico habendus eſt, qui Petri ſucceſſorem pro Primate Eccleſiæ, pro ſuo Superiore, pro Centro unitatis, non recognoſcit, ita viciſſim ſucceſſor Petri ſchismaticus foret, ſi ſe Eccleſiæ Catholicæ non vellet ſubjicere; veluti defacto in

Digitized by Google

Concilio generali Piſano Papa *Gregorius XII.* ùt ſchismaticus, & *Joannes XXIII.* à Concilio Conſtantienſi ùt fautor ſchismatìs declaratus fuit.

Patet inſuper per Hiſtoriam, quantum & pariendis ſchismatibus, quibus à pluribus ſæculis Eccleſia dilacerata eſt, ipſi Pontifices contulerint. Probavit hoc Febronius imprimis de ſchismate *Orientalium*, qui ſi ex Epiſcoporum Romanorum nimio imperio, novíſque uſurpationibus, atque inexpugnabili eorum repugnantiâ adversùs privilegia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ad ſchisma non ſunt detruſi, moti ſaltem & multùm inclinati ſunt. Probavit illud pariter Febronius de ſchismate *Occidentali*, cui per immoderatas indulgentiàs, & varia imprudentia facta (ut alia taceam) proximam occaſionem à Romanis Pontificibus datam fuiſſe conſtat. Unde ex ſopore quaſi lethargico excitatus *Leo X.* ejúsque ſucceſſores, tantum abeſt, ut congruum remedium malo attulerint, ut ex contrario procurandæ unioni obſtacula potiùs poſuerint, tum impediendo, ne cogeretur Concilium, tum ne ſtabilis ac deſiderata à Patribus conſtitueretur reformatio. Quid Anglorum ſchismati viam ſtravit? Nónne dominatus intolerabilis, quo dudum in eos utebantur Romani Pontifices? Quid autem idem ſchisma firmavit immutabiliter atque conſummavit, niſi modus imprudens & arrogans, quo Romani cum Reginâ Eliſabethâ egerunt.

Hæc ſufficiunt de temporario impedimento Centri unionis, quod à materia & ab occaſione *ſchismatis* ponitur. Sed quid ſi viri Sancti, ſi integræ eæque inſignes Eccleſiæ Romanum Pontificem cum ſuis pro fautoribus & confirmatoribus *Hæreſeos* habeant, qui veritatem neque nôrunt neque diſcere amant? An tunc adhuc, & quousque hoc Romanorum ſentimenta durant, virtus centri in illis manifeſtabitur? Hoc evenit anno 376. cùm S. Baſilius ſic ſcriberet ad Euſebium Epiſcopum

ſcopum Samoſatorum *Epiſt.* 239. *edit. Benedict.* „ De rebus
„ Occidentalibus priùs ipſe didiciſti, narrante omnia fratre
„ Dorotheo, cui quales dandæ rurſus litteræ abeunti? Fortaſſe enim ſe itineris ſocium junget optimo Sanctiſſimo,
„ qui magno ardet ſtudio ac Orientem peragrat, & ab inſignioribus quibusque ſubſcriptiones ac epiſtolas colligit. Quæ
„ igitur per ipſos ſcribenda ſint, aut quomodo cum ſcribentibus conſilia conjungenda, equidem dubito; ſed ſi citò reperias, qui ad nos proficiſcantur, nobis exponere ne graveris. Mihi enim venit in mentem illud Diomedis uſurpare: *Utinam precatus non eſſes, quoniam*, inquit, *vir eſt ſuperbus.* Nam reverà animi elati, dum obſequio coluntur, ſolitò arrogantiores fieri ſolent. Etenim ſi nobis placetur Dominus, quoniam alio adminiculo indigemus? Si autem perſeveret ira Dei, quale nobis præſidium ſupercilii Occidentalis? qui veritatem neque norunt, neque diſcere volunt; ſed falſis ſuſpicionibus præoccupati eadem nunc faciunt ac priùs in Marcelli cauſa, in qua cum hominibus veritatem ſibi nuntiantibus delitigârunt. Ego ipſe citra communem formam ad eorum Coryphæum ſcribere volebam, de rebus quidem Eccleſiaſticis nihil, niſi quatenus ſubobſcurè inſinuâſſem, neque illos de rebus noſtris vera noſſe, neque viam, quâ addiſcere poſſint, amplecti; ac generatim admonuiſſem, hominibus, quos tentationes afflixerunt, inſultandum non eſſe, neque dignitatem æſtimandam ſuperbiàm: quod peccatum vel unicum id valet, ut inimicos Deo efficiat.

Dolens huc tranſcribo quod ex S. Hieronymo refert Gratianus Cauſ. XXIV. Quæſt. 3. Can. 33. *Veteres ſcrutans hiſtorias, invenire non poſſum ſcidiſſe Eccleſiam, & de domo Domini populos ſeduxiſſe, præter eos qui Sacerdotes à Deo poſiti fuerant,*

& Prophetæ, id eſt Speculatores. Iſti ergo vertuntur in laqueum tortuoſum, in omnibus locis ponentes ſcandalum.

§. III.

Vicarii & Legati Apoſtolici, ad juvandam executionem Canonum deſtinati, ſuâ authoritate ad fundandam abſolutam Monarchiam Curiæ Rom. abutuntur.

Summi Pontifices, vices ſuas præcipuis quibusdam Epiſcopis delegando, Primatum, Metropolitanorum, aliorumque jura non valuerunt evertere. Hæc delegandi ratio inventa potiùs fuit ad promovendam Canonum executionem, ſuáque omnibus jura tutiùs conſervanda. Inde Leo M. in Epiſtola 12. quæ eſt ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, cui vices ſuas commiſerat, diſertè ſic ſcribit Cap. 2. *Igitur ſecundùm ſanctorum Patrum Canones, ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos, Metropolitanos ſingularum provinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtrâ Fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ ſibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decrevimus: ita, ut à regulis præſtitutis nullâ aut negligentiâ, aut præſumptione diſcedant.* Similiter Hormisda in Epiſtola ad Joannem Epiſcopum, quæ eſt tertia apud Harduinum *Tom. II. col.* 1019, intacta vult eſſe Metropolitanorum privilegia, vicibus licèt Apoſtolicæ Sedis ipſi demandatis: *Servatis*, inquit, *privilegiis Metropolitanorum, vices vobis Apoſtolicæ Sedis eatenùs delegamus, ut inſpectis iſtis, ſive ea quæ ad Canones pertinent, ſive ea quæ à nobis ſunt nuper mandata, ſerventur, ſive ea quæ de Eccleſiaſticis cauſis tuæ relationi contigerint, ſub tua nobis inſinuatione pandantur. Erit hoc ſtudii ac ſolli-*

Digitized by Google

ſollicitudinis tuæ, ut talem te in his, quæ injunguntur, exhibeas, ut fidem integritatémque ejus, cujus curam ſuſcipis, imiteris.

Utraque hæc auctoritas Leonis & Hormisdæ refertur à Gratiano *Cauſa XXXV. Quæſt.* 2. *C.* 5. 6. Utraque verò clariſſimè demonſtrat, ſummos Pontifices vices ſuas in Provinciis delegâſſe & conſervanda, non ad uſurpanda Metropolitanorum jura; niſi fortè ipſi *aliquâ vel negligentiâ vel præſumptione à præſtitutis regulis diſceſſiſſent,* utì loco jam relato S. Leo rectiſſimè admonet, & nunc referenda verba S. Gregorii M. confirmant. Hic ſanctus Pontifex, dum *Lib. XI. Epiſt.* 69. Brunichildem Francorum Reginam rogat, ut cum ipſius veniâ mittere Legatum poſſit in Gallias ad coërcendos quosdam Epiſcopos, qui impudicè, ùt ait, & nequiter converſari dicebantur, Metropolitanorum incuſat negligentiam, qui ſi officio ſuo functi eſſent, de Legato ipſe in Gallias transmittendo nunquam cogitâſſet: *Sed quoniam,* inquit, *eos quorum eſt locus hæc inſequi, nec ſollicitudo ad requiſitionem, nec zelus excitat ad vindictam, ſcripta ad nos veſtra diſcurrant, ut perſonam, ſi præcipitis, cum veſtræ authoritatis aſſenſu transmittamus, quæ unà cum aliis Sacerdotibus hæc & ſubtiliter quærere, & ſecundùm Deum debeat emendare.* Sic Gregorius M., utì & alii Apoſtolicæ Sedis Antiſtites, Vicarios miſerunt & inſtituerunt ad tuendam Fidem, ad ſervandam Diſciplinam, juvandámque Canonum executionem, in quo proprium ſummorum Pontificum officium conſiſtit. S. Leo, qui ſuprà, dum Juliano Coënſi Epiſcopo vices ſuas in Oriente delegat, ſe ſe Epiſt. 86 Cap. 2. ita explicat: *Ut ſequeſtratâ earum actione cauſarum, quæ in quibusque Eccleſiis Præſulum ſuorum debent actione firmari, hanc ſpecialem VICE MEA functus aſſumas, ne hæreſis vel Neſtoriana vel Eutychiana in aliquâ parte reviveſcat: quia in Epiſcopo Conſtantinopolitano catholicus vigor non eſt, nec multùm aut pro ſacramento*

cramento ſalutis humanæ, aut pro ſuâ eſt æſtimatione ſollicitus. Itaque, ſi aliquando Pontificum Romanorum Vicarii Epiſcoporum cauſas cognoviſſe videantur, id fecêre quidem, aut quòd Metropolitani officium ſuum fortè omitterent, aut quòd ob rei gravitatem in pleniori Synodo, Metropolitanis ipſis aſſentientibus, eas placeret agitari. Confer ejusdem Gregorii M. *Epiſt.* 53. *Lib. V.* ubi Virgilio Arelatenſi Epiſcopo vices ſuas in Eccleſiis, quæ ſunt ſub regno Childeberti, committit cum addito: *Singulis ſiquidem Metropolitis ſecundùm priſcam conſuetudinem proprio honore ſervato.*

Itaque hæ Legationes primis Eccleſiæ temporibus non alio fine peragebantur, quàm ut ubique terrarum communio Sanctorum ſecundùm charitatem & terminos legis gratiæ ſuaviter conſtitueretur. Demum autem, & præſertim quidem ſæculo Gregorii VII. factæ ſunt ad conſtituendam ubique abſolutam Curiæ Romanæ Monarchiam. Hoc Hiſtorias Eccleſiaſticas illorum temporum ſtudioſè legens facilè advertet, atque in hoc etiam differentiam Regiminis & Politiæ obſervabit. Interim Galli, antiquorum & verorum Canonum tenaces, non alium in finem, neque aliâ auctoritate inſtructos Apoſtolicos Nuntios ac Vicarios admiſerunt, quàm illâ, quæ ex Leone M., Hormisda, & Gregorio M. mox deſcripta eſt; utprimùm autem hi poteſtatem majorem, Monarchiam redolentem, explicare tentarent, mox vigoroſas oppoſitiones à Gallicanis Conciliis ſensêre. Illuſtria hujus contradictionis exempla videmus in negotio Drogonis Metenſis, & Anſegiſi Senonenſis; hæc refert Febronius *Cap. II.* §. 10. *n.* 6. 7.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Papa ſupplens defectus Epiſcoporum & Metropolitanorum, eorum jura non præripit.

Ad Apoſtolicæ Sedis Primatum pertinet cæterorum Epiſcoporum excitare vigilantiam, imò & eorum ſupplere vices, ſi fortè deficiant. Atque ita quidem (uti §. præced. innuimus) ſummi Pontifices Legatos plerumque in Gallias aliáque regna miſerunt, non qui Metropolitanorum jurisdictionem opprimerent, ſed qui vel juvarent potiùs, vel etiam quandoque ſupplerent.

Ita quondam Alexander II., cùm ſimoniaca lues per Gallias latè graſſaretur, malúmque ad Archiepiſcopos usque pertinuiſſet, Epiſcopos quosdam ejus criminis reos dejici curavit in Galliis; quod quidem ideo aggreſſus eſt, quia Metropolitani officio ſuo non fungebantur: Id enim ipſe ſignificat in Epiſtola XVIII., quæ eſt ad Gervaſium Archiepiſcopum Remenſem apud Harduinum Tom. VI. col. 1092. ubi, *peſtem ſimoniacam*, inquit, *quæ hactenus veſtris in partibus, quaſi timida ſerpere ſolebat, nunc caput accepimus extuliſſe, & gregi dominico, tam timore quàm pudore remoto, graviſſimam jacturam inſtantiſſimè inferre..... Quod totum ſanè Archiepiſcopis imputamus. Nemo enim ſimoniacus emptionem iniret, ſi ſe conſecrandum fore deſperaret. Sed quia Archiepiſcopi ſine diſcretione conſecrant, multi indiſcretè ad Epiſcopatus aſpirant. Verùm cùm tempus acceperimus, adjuvante Deo & de conſecratis & de conſecratoribus juſtitiam judicabimus. At verò audito tuo erga ſanctam Religionem bono ſtudio, non modicè gaudemus, quem ſtrenuum cultorem ita in vineâ Domini operari audivimus, ut nulla Simonis propago in eâ, quantum ad te attinet, radicare poſſit. Et quan-*

quam ammonitione non videaris indigere, te tamen ammonemus, atque præcipimus; ut Joſſelinum Sueſſionenſi Eccleſiæ non conſecres Epiſcopum, qui Archidiaconatum ſimoniacè obtinuiſſe non contentus, Epiſcopari etiam pecuniâ contendit. Belluacenſem autem Epiſcopum, quem res eccleſiaſticas & populum Dei atrociter diſperdentem audivimus, ſi verum eſt, jubemus ita virgâ ſanctæ authoritatis ferias, ut cæteri, ſi qui ſunt ſimiles, ejus exemplo corrigantur. Porro Ambianenſis Epiſcopus à nobis ammonitus, ab injuriâ Corbeienſi Abbati illatâ, non veritus noſtram authoritatem, non modò non deſtitit, verùm etiam in dies eam multiplicat. Quare utrumque ad te maturiùs convoces, eorum contentioni finem impoſiturus. Quod ſi per te nequiveris, rem totam ad ſedem Apoſtolicam tempeſtivius per epiſtolam referas, ut apoſtolicâ authoritate hæc contentio ſopita conquieſcat. Hæc agas, & aliis quoque Eccleſiæ utilitatibus hortamur inſervias.

Ex hâc Epiſtolâ colligitur 1) ſolâ Metropolitanorum oſcitantiâ excitatam fuiſſe vigilantiam Alexandri II. Pontificis: 2) tantùm abeſſe, ut voluerit ipſe eripere jurisdictionem Archiepiſcopis, ut potiùs Gervaſio Archiep. Remenſi gratuletur, quòd ipſe in ſua diœceſi ſimoniacos abeſſe jubeat; ipſumque admonet, ut in Epiſcopos aliquos ſuæ Provinciæ, qui rei habebantur, animadvertat, ipſóſque *virgâ ſanctæ authoritatis feriat:* 3) tum tandem velle Alexandrum, ut illorum cauſa ad Apoſtolicam Sedem remittantur, ſi per ſe Gervaſius dirimere eas non potuerit: *Quod ſi per te nequiveris*, inquit, *rem totam ad Sedem Apoſtolicam tempeſtiviùs referas, ut Apoſtolicâ authoritate hæc contentio ſopita conquieſcat.*

Ita quoque Joannes XXII. in poſterioribus longè temporibus libellum deſtinavit ad quosdam Galliæ Epiſcopos, ut Petri Epiſcopi Cathalaunenſis cauſæ finem imponerent, quæ à Roberto Archiep. Remenſi inchoata, veluti deſerta & indiſcuſſa

diſcuſſa remanebat, ob alia ſcilicet negotia, quibus Archiepiſcopus ille implicitus detinebatur. Libellum hunc è cartophylacio regio acceptum edidit Gerbaſius *de Cauſis Majoribus pag.* 302. In eo Pontifex, non aliâ ratione motum ſe fuiſſe ait ad nominandos delegandosque judices, qui Epiſcopi Cathalaunenſis inceptam in Provinciali Synodo cauſam finirent, quàm quòd Archiepiſcopus Remenſis *agendis aliis implicitus, dicti proceſſûs perfectioni nequibat intendere: ac ne per detentionem perſonalem Epiſcopus ille diutiùs affligeretur:* ſunt ipſa Apoſtolicarum litterarum verba.

Poteſt etiam *extraordinaria* Romani Pontificis *poteſtas* locum habere aliquâ neceſſitate emergente, quæ ſit impedimento, quominùs via ordinaria locum habere queat. Sic propter bellorum vaſtationes & feritatem Longobardorum videmus S. Gregorium M. uni atque eidem Epiſcopo curam duorum Epiſcopatuum deferre, atque nonnullos in aliquam Eccleſiam *incardinare;* uti ipſe paſſim Libro II. Epiſtolarum loquitur: eſt autem incardinare, Epiſcopum, Abbatem, Presbyterum vel Diaconum in aliqua Eccleſia inſtituere; propterea autem tunc hoc Gregorius in Italia poterat facere, quia maxima ejus pars Paſtoribus carebat, ob Longobardorum prædas; atque ita Eccleſiis viâ ordinariâ de Paſtoribus non valebat provideri.

In eo ſententia noſtra differt ab opinione P. Viatoris Itali, quod ea, quæ hoc & ſuperiore §. diximus de *extraordinariâ* & ſupplente Rom. Pontificis authoritate, fundatâ tum in ejus Primatu, tum in unitate Epiſcopatûs, cujus ipſe præcipuam curam habere debet; ille *pag.* 134. *ſeqq.* ad *ordinariam* referat, atque eandem intueatur veluti concurrentem cum illâ Epiſcoporum, Metropolitanorum, nec non Provincialium Synodorum. Hæc & ſimilia in obſcurioribus ſæculis anſam

dederunt tam Tractatoribus Eccleſiaſticis, quàm Pontificibus ipſis, ut horum fimbriæ mirè extenderentur, ex eodem ſcilicet errore, quem in Italo noſtro hìc obſervamus.

§. V.

Plura Pontificibus per Canones tribuuntur, quæ ex nativo jure ſui Primatûs non obtinent.

Progredior in diſquiſitione cauſarum, quæ minùs attentis dederunt anſam ſibi repræſentandi naturam divini Primatûs aliam omnino, quàm à Chriſto fuit inſtitutus; ipſis autem Pontificibus & eorum Curiæ occaſionem præbuerunt fines ejusdem ultra condignum proferendi cum gravamine Eccleſiæ.

Ipſi agnoverunt Pontifices, nonnullas ſuæ Sedis prærogativas non ex alio fonte, quàm à communi conſenſu & conceſſione Eccleſiæ provenire. Hoc ſanè indicat Concilii Chalcedonenſis *Canon* 28. ibi: *Throno antiquæ Romæ, quòd urbs illa imperaret, jure PATRES PRIVILEGIA TRIBUERUNT.* Id jam antè recognoverat & confeſſus eſt Zozimus Papa *Epiſt.* 2. apud Conſtantium *col.* 943. ſcilicet: *Apoſtolicæ Sedi in honorem beatiſſimi Petri PATRUM DECRETA peculiarem quondam ſanxêre reverentiam.* Idem nempe Zozimus agens contra Africanos, qui ne appellationes quidem ferri tum ſinebant ad Apoſtolicam Sedem, Eccleſiæ ſuæ privilegia tuitus eſt, non jure divino, ſed Canonibus unis *Sardicenſibus;* quos quidem ipſe *Nicænos* falsò vocitabat, uti vidimus ſuprà *Tit. I.* §. 5. Gelaſius in Commonitorio ad Fauſtum, apud Harduinum *Tom. II. col.* 885. omnium clariſſime rem definit: *IPSI SUNT CANONES*, inquit, *qui appellationes totius Eccleſiæ ad hujus Sedis examen voluerunt deferri.*

Inno-

Innocentius I. in Epiſtolâ ad Victricium Rothomagenſem *Cap.* 3. Majores cauſas, poſt Epiſcopale judicium, referri vult ad Apoſtolicam Sedem: quâ authoritate? *SICUT SYNODUS STATUIT*, inquit ipſe; apud Conſtantium *col.* 749. Gregorius M. in *Epiſt.* 24. *Lib. VI.* quæ eſt ad Marinianum Ravennatem Epiſcopum: *Nunquid non ipſe noſti*, ait, *quia in cauſa, quæ à Joanne Presbytero contra Joannem Conſtantinopolitanum fratrem & Coëpiſcopum noſtrum orta eſt, SECUNDUM CANONES ad Sedem Apoſtolicam recurrit, & noſtrâ eſt ſententiâ definienda.* Nicolaus I. in Epiſtola 8. ad Michaëlem Imperatorem: *Quoniam*, inquit, *cùm SECUNDUM CANONES, ubi eſt major autboritas, judicium inferiorum ſit deferendum, ad diſſolvendum ſcilicet, vel ad roborandum; patet profectò Sedis Apoſtolicæ, cujus autboritas major eſt, judicium à nemine fore retractandum.* Harduinus Tom. V. col. 167. Apud eundem Tom. VI. col. 952. Leo IX. Epiſt. 5. ad Petrum Epiſcopum, *Sanctorum PATRUM CONCORDI DECRETO* factum eſſe ait, quòd ad Romanam & Apoſtolicam Sedem, *majores & difficiliores cauſæ omnium Eccleſiarum definiendæ referantur.*

Ipſe quinimo Innocentius III. *Epiſt.* 16. *Lib. I.* quæ eſt ad Capitulum ſanctæ Anaſtaſiæ, ſic ſcribit: *Ex illo ſingulari excellentiæ privilegio, quod unigenitus ille Filius Jeſus Chriſtus Apoſtolorum Princeps, Principi Petro conceſſit, SANCTORUM PATRUM POSTMODUM INSTITUTA MANARUNT, ut majores cauſæ ad Sedem Apoſtolicam perferrentur.* Deinde Epiſtolâ 48. ad Patriarcham Antiochenum: *Cùm ex illo generali privilegio, quod Beato Petro, & per eum Romanæ Eccleſiæ Dominus noſter indulſit, CANONICA POSTMODUM MANARUNT STATUTA, continentia, majores cauſas eſſe ad Sedem Apoſtolicam perferendas.* Plures in hoc argumentum egregias auctoritates congeſſit Joannes à Calore *in Apologia*

Digitized by Google

Febr. Art. XII. Itaque ſatis agnovêre ſummi Pontifices multa ſibi per Concilia & Canones, per tacitum vel expreſſum Epiſcoporum conſenſum, imò & per Imperatorum ac Regum conceſſiones tribui, quæ per ſe & ex naturâ Primatûs eis non competerent.

Opponit quidem his Italus *pag.* 133. „ Devolvere „ idem non eſſe ac conferre; conſequenter, quando Conci- „ lia vel Epiſcopi ad Romanam Sedem ſuas cauſas devolvunt, „ non conferunt Romanæ Sedi jurisdictionem ſuper cauſarum „ expeditionem; ſed reſignant ſupremæ jurisdictioni nova ar- „ gumenta, ſive recentes materias exhibent, ſuper quas juris- „ dictio Papalis judicia ſua ſive ſententias extendat.„ Verba hæc ſunt, nihil proficientia. Habet utique ſummus Pontifex ſua jura, ſuam authoritatem Primatui naturaliter cohærentem; ſed eam non indefinitam: habent ſua quoque jura Epiſcopi, Metropolitani, Concilia omnis generis, vetant autem Canones Spiritu Dei conditi, quibus omnes illi tenetur, ne alter alterius fines invadat, ipſo invito. Attamen hoc non impedit, quominùs pro bono Eccleſiæ alter alteri quidquam de ſuis juribus cedere, aut illud cum eo valeat communicare; ſicuti de facto favore Apoſtolicæ Sedis in variis eveniſſe conſtat, iis nominatim quæ *hoc* §. relata ſunt. Verùm inde concludi minimè debet, quaſi poſteriora hæc ad *naturam*, minùs ad *eſſentiam* Primatûs pertineant; aut (quod æque erroneum foret) quaſi ex adjectitiis his qualitatibus argumentum deduci poſſet ad formandam nobis genuinam de eodem Primatu ideam, & noſcendam veluti ab effectibus cauſam. Hunc autem errorem erraverunt, qui, Romanæ Sedis præſenti fulgore obcœcati, non diſtinguunt inter hujus Sedis jura *originaria* ſeu *divina*, & inter *humana* ſeu *adventitia*, quibus illa carere poſſet, & fortè

fortè propter abuſus, propter errores, qui in ceſſione intervenerunt, & propter plures alias cauſas ſimiles carere deberet: velut in judicialibus, beneficialibus, exemptionibus &c.

§. VI.

De Romanæ Eccleſiæ potentiore principalitate ex ſententia Irenæi.

S. Irenæus ſui temporis hæreticos refellens, Eccleſiarum Traditionem illis obiicit, erroribus eorum contrariam, quippe quæ ex doctrina Epiſcoporum, qui Eccleſiis hactenus præfuerant, dignoſci facilè poterat: „ Traditionem, inquit „ S. Martyr *Lib. II. adv. hæreſes Cap.* 3. in toto mundo mani- „ feſtatam, in omni Eccleſiâ adeſt perſpicere omnibus, qui „ vera velint videre: & habemus annumerare eos, qui ab „ Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores „ eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cogno- „ verunt, quale ab his deliratur.

„ Sed quoniam valdè longum eſt (pergit Irenæus) in „ hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſio- „ nes, maximæ & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à „ duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſti- „ tutæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem „ & annuntiatam hominibus Fidem, per ſucceſſiones Epiſ- „ coporum pervenientem usque ad nos, indicantes confundi- „ mus omnes eos, qui quoquomodo, vel per ſui placentiam „ malam, vel vanam gloriam, vel per cœcitatem & malam „ ſententiam, præterquam oportet, colligunt. „

Hucusque nihil, quo ſtabiliatur *Monarchia* Romanæ Eccleſiæ, & Epiſcoporum ejus in alios *Imperium.* Imò cum eis

eis Irenæus alias Eccleſias harumque Epiſcopos exæquat, utpote qui etiam ab Apoſtolis doctrinam inſtitutionémque acceperint. Verùm proſequitur Irenæus; *Ad hanc enim Eccleſiam* (Romanam) *PROPTER POTENTIOREM PRINCIPALITATEM neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt UNDIQUE fideles, in quâ ſemper ab his, qui ſunt UNDIQUE conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* En locus, ad quem appellit impetus defendentium jurisdictionem Papæ monarchicam. At, *potentior principalitas*, non eſt *ſola principalitas*, ſed ſaltem major & eminentior inter cæteras principalitates, quas aliis Eccleſiis non negat Irenæus.

Et verò ſi intelligi deberent de poteſtate Papali, cujusmodicunque ea ſit, quid ſequentibus verbis, *neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam*, ſignificaretur, niſi conſenſionem doctrinæ cum Eccleſiâ Romanâ, vel communionem eccleſiaſticam cum eâdem? Verùm eo ſenſu S. Pater profectò non dixiſſet, *AD hanc enim Eccleſiam*, ſed *CUM hâc enim Eccleſiâ neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam*; quandoquidem iſta elocutio *convenire ad*, ex uſu non adhibeatur ad deſignandam unitatem doctrinæ, aut ſocietatis, ſed translationis de loco ad locum. Hoc ultimo ſenſu eandem elocutionem Irenæus ipſe, aut ejus interpres (originario enim, id eſt, græco textu caremus) pluribus aliis locis uſurpat. Sic Lib. II. contra hæreſes Cap. 39, dicit: *Moris erat Judæis ex omni regione tempore hoc convenire IN Jeruſalem.* Item Lib. I. n. 12. de hæreticis ait: *IN omnem diem feſtum Ethnicorum primi conveniunt.* Dein Lib. II. cap. 39. *Omnes ſeniores, qui IN Aſia APUD Joannem Diſcipulum Domini convenerunt.* Demum Lib. III. Cap. 25. de Septuaginta Interpretibus Scripturæ loquens: *Convenientibus autem ipſis IN unum apud Ptolemæum.* Ex variis his exemplis patet, hanc vocem *convenire* ad mentem Irenæi, aut inter-

ter-

terpretis ejus, idem ſonare ac *ire*, *ſe conferre*, *congregari*. Unde concludendum, idem verbum non aliud ſignificare in textu, de quo agitur. Porro quid per *omnem Eccleſiam* intelligat ſanctus Pater, ipſe explicat ſubdens: *hoc eſt eos*, *qui ſunt undique*, *fideles*. Cùm enim Eccleſiæ integræ Romam ire non poſſent, poſtulabat ratio, ut mentem ſuam aperiret, has voces *omnem Eccleſiam* explicando per *fideles*, qui illuc ex omni Eccleſiâ confluebant.

Inde etiam colligitur, aliis illis vocibus *potentiorum Principalitatem* nullo modo deſignari ſupremam, multò minùs unicam ſeu ſolitariam; Eccleſiæ Romanæ, aut Epiſcoporum ejûs *juriſdictionem*. Iſte econtra earum genuinus ſenſus eſt, quòd, cùm Roma Imperii Caput eſſet, Sedes Imperatoris & Senatûs, Centrum totius civilis poteſtatis, neceſſe ſit ad eandem Urbem, ac proinde ad Eccleſiam in ea florentem, *undique* convenire fideles, ob negotia, ſeu privata, ſeu ſuarum Eccleſiarum. Ita, ùt Roma quaſi Concilium generale tunc eſſet perpetuò congregatum, ſicque fons purus Apoſtolicæ doctrinæ, cujus conſervationem juvabant aliarum Eccleſiarum fideles, quod ſic expreſſit ſanctus Pater: *in quâ ſemper ab his*, *qui ſunt undique*, *conſervata eſt ea*, *quæ eſt ab Apoſtolis traditio*. Idcircò Irenæus, ut coævos ſuos confunderet hæreticos, ſatis ducebat, ſi eis Romanæ Eccleſiæ teſtimonium objiceret. Convicti enim traditione hujus Eccleſiæ, ad quam fideles undique convenientes orbis univerſi fidem ferebant, omnium ſimul Eccleſiarum pondere reverà obruebantur.

Quod de Eccleſiâ Romanâ dixit Irenæus, hoc de Conſtantinôpolitana Gregorius Naziâncenus *Orat. XXXII.* ſcilicet ad eam undique ab extremis terræ convenire fideles: *Civitatis orbis oculum*, inquit, *ad quam extrema terra undique conveniunt*, *& à quâ veluti communi fidei emporio incipiunt*. Non propterea

Digitized by Google

voluit ſanctus Doctor Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ vel ipſius Epiſcopo monarchicam competere in omnes Eccleſias jurisdictionem, aut ab illâ nullam Eccleſiam, *etiam ex cauſâ utcunque legitima*, ad tempus ſeparari poſſe. Repeto, quod alibi dixi, omnibus neceſſe eſſe cum Romanis Pontificibus communione ſociari; ſed vel ex ipſius S. Irenæi ſententiâ ſuas habet hæc regula limitationes, ſuóſque modos. Etenim cùm Victor Papa à communione ſuâ Epiſcopos & Eccleſias Aſiæ reſecâſſet, eò quòd Paſcha die 14. Lunæ celebrarent, non ſolùm hunc actum palam condemnavit Irenæus, ipſúmque Victorem acriter reprehendit, ſed etiam in eorum communione perſeveravit, quos à ſuâ hic Pontifex ſegregaverat.

Atque ita abundè ſatisfactum putem iis, quæ ex decantato illo S. Irenæi loco ad affectatum triumphum usque cum ſuis exaltat noſter Italus, adeo, ut non dubitet *pag.* 7. nec non *pag.* 128. aſſerere, celeberrima illa S. Patris verba omnes Romanæ Apoſtolicæ Sedis adverſarios jugulo ſemper petitura. Interim hæ & ſimiles auctoritates Romanis ſunt titulorum loco, queis eorum prætenſiones fundantur, jura augentur ac muniuntur.

§. VII.

De incremento Pontificiæ poteſtatis per falſas Decretales.

Suppoſitionem Decretalium, quæ primis Pontificibus, Anacleto, Avariſto, Alexandro, Teleſphoro, Pio, Soteri, Victori, Zepherino, Urbano, Antero, Fabiano, Lucio, Stephanò, Sixto II. Dionyſio, Marcello, Euſebio, Melchiadi, Marco, & Damaſo affictæ ſunt, equidem non diffitetur Pater Capucinus Italus; verùm *pag.* 111 audet ſuſtinere, per eas *nibil ſubſtantiale* fuiſſe immutatum in Eccleſiâ: hujus regimen

men manſiſſe *monarchicum*, ùt antè fuit. Ut virum hunc erroris convincamus, juvat regredi ad illa tempora, quibus primùm Iſidorianarum Epiſtolarum uſus in Eccleſia apertè tentatus eſt. Accidit illud ſæculo IX. tempore Hincmari Remenſis, provocante ad falſas Decretales ejus nepote Hincmaro Laudunenſi. Hunc eapropter ille ita exagitat in *Opuſculo LV. Capitulorum Cap.* 43. *Opp. Tom. II. pag.* 544. „ Si illa, quæ „ de præfatorum Pontificum Apoſtolicæ Sedis epiſtolis dicis „ recipiendos venerandos Canones eſſe, qui, quod vis, ſan- „ ctum dicis & licitum, quod non vis, non ſanctum & illici- „ tum, acſi in voluntate tuâ cuncta ſint poſita, & non ſit, „ qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati: pande nobis, quæſumus, „ quid cenſeas de eorum Decretis, qui poſt Nicænum Con- „ cilium, & alia catholica Concilia, obſervanda Decretalia „ Conſtituta de eisdem ſacris canonibus promulgata ſanxerunt: „ ſicut Siricius, Innocentius, Zoſimus, Bonifacius, Cœle- „ ſtinus, Leo, Hilarius, Symmachus, Gelaſius, Hormiſda, „ Gregorius, & quique alii, quorum Decreta Eccleſia Ca- „ tholica & patres ac prædeceſſores noſtri ſervanda tenuerunt „ & venerati ſunt. Et quoniam in quibusdam à præfatis, „ quos appellas Canones, diſſonant, magiſtrali cenſurâ de- „ cerne, quæ ex his ſequi, & quæ refutare debeamus: „ quoniam, niſi tu ferulâ ſingularis authoritatis de noſtrâ con- „ ſuetudine iſta rejeceris, quæ ſicut & patres noſtri mentibus „ noſtris tenenda & ſervanda imbibimus, non videtur mihi, „ ut facilè ab Eccleſiaſtico uſu illa, quæ tenemus, generaliter „ valeas removere, de quibus ſatis ſupérque ſuperiùs potes „ relegere; quæ ſi tibi non ſuffecerint, nec plura ſufficient. „

Dein *pag.* 546. „ Velis enim, vel nolis, illi erunt canones, quos catholica Eccleſia *canones* vocat, & non erunt „ illi canones, quos tua ſocordia ad effrænationis tuæ liber-

„ tatem canones advocas. Erunt autem epiſtolæ venerabiliter
„ ſuſcipiendæ, à Sede Apoſtolicâ pro diverſorum Patrum con-
„ ſolatione datæ, quas canones vocas, & Concilia à ſanctis
„ Patribus inſtituta, ad auctoritatem erunt cuſtodienda & re-
„ cipienda, ſicut decrevit Gelaſius, & cæteri Sedis Romanæ
„ Pontifices, atque illi, qui in eisdem Conciliis, ſuggerente
„ ſibímet ſancto Spiritu, ſacros canones condiderunt, &
„ quos Sedes Apoſtolica & Eccleſia catholica canones vocat.„

Si genuinæ fuiſſet Epiſtolæ Decretales ab Hincmaro Laudunenſi allegatæ, debuiſſet ejus cauſa, uti petierat, ex illarum jure Romæ in ſupremo & *monarchico* Pontificis tribunali finaliter decidi. Vid. Febron. *Cap. IV.* §. 8. Cùm autem in eàdem causâ veri, ante hæc tempora in Gallia noti & ab omnibus agniti canones prævalerent, cauſa hujus Epiſcopi per viam appellationis extra Provinciam deportari haud potuit, ſed intra eandem, juxta formam à Sardicenſi Synodo præſcriptam, terminari debuit. De Marca *de C. S. & J. Lib. IV. Cap.* 6. *n.* 2. Tantum inter utrosque canones intereſſe tunc modò creditum eſt.

Decretum Gratiani, quo in ſcholis, in foro, & in Eccleſia utimur, falſis Decretalibus Iſidori, auctoritatibus Conciliorum, quæ nunquam extiterunt, demum locis SS. Patrum malè intellectis, & pejus explicatis farcinatum eſſe, ſatìs probavit Joannes à Calore in Apologia Febronii *Art. IX.* Videamus modò, an poſt ac per collectionem, evulgationem, ac receptionem tot & tantorum ſpuriorum documentorum nihil mutatum ſit in ſacro regimine & eccleſiaſticâ diſciplinâ in præjudicium ordinis Epiſcopalis. Centum circiter annis poſt publicatum hoc Decretum Gregorius Papa IX. edidit novam Collectionem Decretalium, in quinque Libros diviſam. Erat ea majore ex parte compoſita ex epiſtolis & reſcriptis Innocen-

tii III.,

Digitized by Google

tii III., *audacis* illius *Juriſperiti*, utì eum jure vocat Matthæus Pariſius ejusdem ſæculi Scriptor. Hic in *Cap.* 2. *X. de Tranſlat. Epiſ.* loquens de Translatione, Renuntiatione, & Depoſitione Epiſcoporum, audet dicere: *Tria hæc non tam inſtitutione canonica, QUAM INSTITUTIONE DIVINA, ſoli ſunt Romano Pontifici reſervata.* Hanc doctrinam diſciplinæ antiquæ apertè repugnantem, juri Synodorum Provincialium detrahentem, ſpiritui Eccleſiæ adverſam, non potuit Innocentius hauſiſſe, niſi in ſcholà Iſidori & Gratiani: unde rectè Ill. de Marca Lib. VII. Cap. 26. n. 8. eam vocat *inauditam ante hoc ſæculum, & à veterum moribus alienam ſententiam, cui ſtabiliendæ multum operæ poſuit, argumento utens à poſteris prorsùs abjecto.* Non defuêre viri docti & pii, qui differentiam notarent inter diſciplinam veterem & novam quoad elationem Pontificiæ poteſtatis & depreſſionem ordinis Epiſcoporum, atque ita in Eccleſiam inducta non ita pridem obſervarent jura monarchica, queis Italus noſter ante-Iſidorianam antiquitatem vindicare fruſtra conatur.

Sic inter alios S. Bernardus ad Eugenium III. *de Conſiderat. Lib. III. Cap.* 4. „ Murmur loquor & querimoniam „ Eccleſiarum. Truncari ſe clamitant ac demembrari. Vel „ nullæ Eccleſiæ vel paucæ admodùm ſunt, quæ plagam iſtam „ aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? Sub- „ trahuntur Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, Ar- „ chiepiſcopi Patriarchis; ſive Primatibus. Bonáne ſpecies „ hæc? Mirum, ſi excuſari queat vel opus.... Honorum „ ac dignitatum gradus & ordines quibusque ſervare poſiti „ eſtis, non invidere.... Erras, ſi ùt *ſummam*, ita & *ſolam* inſtitutam à Deo veſtram Apoſtolicam poteſtatem exi- „ ſtimàs. Si hoc ſentis, diſſentis ab eo qui ait: Non eſt po- „ teſtas niſi à Deo. Denique idem ait: Omnis anima pote-

 „ ſtatibus

„ ſtatibus *ſublimioribus* ſubdita ſit. Non ait *ſublimiori*, tam-
„ quam *in uno:* ſed *ſublimioribus*, tamquam *in multis*. Non
„ ergo tua ſola poteſtas à Domino: ſunt & mediocres; ſunt
„ & inferiores &c. „ Qui ſic diſcurrit: ille quidem perſpicit, Romanum Pontificem agere ex auctoritate falſæ Decretalis in cap. 12. Cauſa II. Quæſt. 6., vigore cujus *ſolus Papa habet plenitudinem poteſtatis: cæteri verò ab eo vocati ſunt in partem ſollicitudinis*, quam deinde Innocentius III. in *Cap. 4. X. de Auctoritate & uſu Pallii* adoptavit, minimè autem illum differere ex jure divino & poteſtate ſibi deſuper traditâ. Rectè Card. Cuſanus de Concord. Cath Lib. II. Cap. 13. *Papa non habet à canone, quo lædere poſſit jurisdictionem Epiſcoporum. NEC LEGITUR ANTIQUOS PONTIFICES SE DE HIS INTROMISISSE.*

Tantum à primis & purioribus ſæculis, horúmque diſciplinâ differunt jura Decreti & huic innixarum Decretalium, atque in his enuntiata poteſtas ſummi Pontificis & reſpectivè Epiſcoporum, ut hi ex celeberrimi & piiſſimi Gerſonis judicio hodie non videantur niſi *ſimulacra depicta*. Verba Chriſtianiſſimi Doctoris hæc ſunt *Opp. Tom. II. pag.* 172. „ Creſcente Clericorum avaritiâ & Papæ cupiditate, poteſtas &
„ auctoritas Epiſcoporum quaſi videtur exhauſta & totaliter
„ diruta, ita, ut *qui in primitiva Eccleſia æqualis poteſtatis*
„ *cum Papa erant*, jam in Eccleſia non videantur eſſe niſi *ſi-*
„ *mulacra depicta*, & quaſi fruſtra: Jam enim Papa Romanus
„ reſervavit omnia beneficia, jam advocavit omnes cauſas ad
„ Curiam ſuam &c. „

Hanc Epiſcoporum depreſſionem, & tantùm non annihilationem centum ante Gerſonium annis doluit Durandus Epiſcopus Mimatenſis, in Tractatu, quem *de Modo celebrandi Concilium* juſſu Clementis V. anno 1307. compoſuit. In eo ille

ille *edit. Paris. an.* 1671. *pag.* 34. *ſeq.* „ Quòd Papa non poteſt nec debet novas leges aut nova jura condere, contra „ ea, quæ apertè Dominus, vel ejus Apoſtoli, & eos ſe„ quentes Sancti Patres ſententialiter definierunt; quia aliter „ errare probaretur .... Quòd Epiſcopi poteſtatem & hono„ rem ſuum receperunt à Deo, à quo ordo prælationis eſt in„ ſtitutus, & à quo Epiſcopi in loco Apoſtolorum conſtituti „ ſunt in ſingulis civitatibus & diœceſibus .... Quòd Ro„ mana Eccleſia ultra & contra prædicta non poſſet, absque „ generali Concilio, habenas extendere plenitudinis poteſta„ tis ..... Quòd Dominus Papa non vocaretur *univerſalis* „ *Pontifex* Eccleſiæ, cùm hoc prohibeat Gregorius. „ Non intendebat Durandus negare poteſtatem ei, tanquam totius Eccleſiæ Primati debitam, & ab omnibus Catholicis agnitam. Hoc volebat, ne ſub titulo ejusdem Primatûs ſibi omnia arroget, præſertim in præjudicium Epiſcoporum & divini illorum juris, hanc *pag.* 69. memorabilem addens ſententiam: *Proverbium vulgare eſt: qui totum vult, totùm perdit. Eccleſia Romana ſibi vindicat univerſa: unde timendum eſt, ne univerſa perdat.*

Neſcio, inquit D. Kauffmans in Præfatione ſecundæ editionis *pag.* 35. quis ſit ille *Durandus* Mimatenſis Epiſcopus, cujus propheticam comminationem refert exultans Febronius, dicens, dimidium ejus jam eſſe impletum, dimidium alterum ſupereſſe patienter non ſuſtinens. Quis fuerit multis ille titulis venerandus Antiſtes Durandus, potuiſſet grandævus Profeſſor & Librorum Cenſor diſcere ex Febronio *Cap. VI. §.* 15. *n.* 1. ex ejus Vita, quæ Pariſienſi editioni laudati Tractatûs præmiſſa eſt, & multis aliis. Cæterùm minimè impatiens eſt ille videre alteram prophetiæ Durandi partem impletam; hoc impatienter ſuſtinet, non videre ſublatas cauſas, quibus haud temerè

temerè metuitur, ne hujus prophetiæ complementum tandem eveniat. Cum Durandi prophetiâ omninò concordat illa divi Bernardi Lib. II. Cap. 6. n. 10. & 11. ità ad Eugenium Papam ſcribentis: *Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi uſurpare aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. SI UTRUMQUE SIMUL HABERE VOLES, PERDES UTRUMQUE.*

§. VIII.

Complementum Monarchiæ Papalis ex Dictatu Gregorii VII.

Quamdiu Eccleſia Romana aliis Sedibus Patriarchalibus, quaſi libramento quodam æquabili, in officio continebatur, non poterat illa conceptus ſuos monarchicos liberè explicare. Aſt poſt ruinam Imperii & Eccleſiæ Orientalis, remanente uno Patriarchatu Occidentali, cœpit ille in Monarchiam declinare, concidente inſimul antiquâ ſanctiſſimâ & apoſtolicâ diſciplina. Effecit id Romana Curia, partim iis mediis, quæ hactenùs recenſuimus, partim ope Benedictinorum Cluniacenſium, quos à poteſtate Epiſcoporum omninò exemit, ac deinde etiam Epiſcopis oppoſuit, finaliter autem vel ipſorum quoque Imperatorum Occidentis attentata ſubjectione. Hujus rei non alium teſtem quàm ipſiſſimmet Gregorium VII., ordinis Cluniacenſis Monachum, proferre lubet, qui anno Domini 1073. ad Sedem Apoſtolicam aſſumptus, Synodum ex aliquot Italiæ Epiſcopis & Abbatibus Ordinis S. Benedicti conflavit, in qua ſequentes *XXVII DICTATUS*, ùt appellat, monarchicè ſtatuit, qui Libro II. poſt Epiſtolam 55. ejusdem Gregorii Papæ leguntur:

Quòd Romana Eccleſia à ſolo Domino ſit fundata.

Quòd ſolus Romanus Pontifex jure dicatur Univerſalis.

Quòd

Digitized by Google

Quòd ille ſolus poſſit deponere Epiſcopos vel reconciliare.

Quòd Papæ Legatus omnibus Epiſcopis præſit in Conciliis, etiam in inferiori gradu conſtitutus, & adversùs eos ſententiam definitionis poſſit dare.

Quòd abſentes Papa poſſit deponere.

Quòd cum excommunicatis à Papa non debeamus manere in eâdem domo.

Quòd Papæ ſoli liceat pro temporis neceſſitate novas leges condere, novas plebes congregare, de Canonicâ Abbatiam facere, & divitem Epiſcopatum dividere, & inopes unire.

Quòd ſolus Papa poſſit uti imperialibus inſigniis.

Quòd ſolius Papæ pedes omnes Principes deoſculentur.

Quòd Papæ ſolius nomen in Eccleſia recitetur.

Quòd Papa eſt unicum nomen in mundo.

Quòd Papæ liceat Imperatorem deponere.

Quòd illi liceat de Sede ad Sedem neceſſitate cogente, Epiſcopos transmutare.

Quòd de omni Eccleſiâ, quâcunque voluerit, Clericum valeat ordinare.

Quòd à Papâ ordinatus alii Eccleſiæ præeſſe poteſt, ſed non militare: & quòd ab aliquo Epiſcopo non debet ſuperiorem gradum accipere.

Quòd nulla Synodus absque Papæ præcepto debet generalis vocari.

Quòd nullum capitulum, nullúsque liber Canonicus habeatur absque Papæ auctoritate.

Quòd ſententia Papæ à nullo debet retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit.

Quòd Papa à nemine judicari debeat.

Quòd nullus audeat condemnare Apoſtolicam Sedem appellantem.

Quòd majores cauſæ uniuscujusque Eccleſiæ ad Apoſtolicam Sedem referri debeant.

Digitized by Google

Quòd Romana Eccleſia nunquam erravit, nec in perpetuum, Scripturâ teſtante, errabit.

Quòd Romanus Pontifex, ſi canonicè fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur Sanctus, teſte S. Ennodio Papienſi Epiſcopo, multis ei ſanctis Patribus faventibus, ſicut in Decretis B. Papæ Symmachi continetur.

Quòd Romani Pontificis præcepto & licentiâ ſubjectis liceat accuſare.

Quòd absque Synodali conventu Papa poſſit Epiſcopos deponere, & reconciliare.

Quòd Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Eccleſiæ.

Quòd Pontifex à fidelitate iniquorum ſubjectos poteſt abſolvere.

Nemo non videt, quantum diſtent hi Gregoriani Dictatus à principiis traditis in octo primis generalibus Conciliis, & à formâ regiminis Eccleſiaſtici in eisdem expreſſi. Fuêre hi Dictatus inſtar Inſtructionis & Commentariorum, ad quos Curia Romana pro aſſerendâ Papæ Monarchiâ, prioribus ſæculis incognitâ, collimaret, ad quos proinde Legati atque Nuntii ad aulas Principum mittendi inſtruerentur. Equidem hunc Dictatum, à Baronio *Tom. XI. ad annum* 1076. *n.* 31. *ſeqq.* laudatum, à Chriſtiano Lupo *Opp. Tom. V. pag.* 164. *ſeqq. edit. Venet.* fortiter defenſum, Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. VI. Diſſert. III. in Sæc. XI. & XII.* quoad formam contendit eſſe ſuppoſititium; attamen *pag.* 719. agnoſcit, *multa in eo eſſe, quæ Gregorii ingenio conveniant.*

Conveniunt ea certè ingenio Gregorii VII., qui contra conſuetudinem mille & ampliùs annis uſitatam in Eccleſia hunc morem introduxit, ut quaſi in rebus ſæcularibus atque feudalibus ſacramentum ab Epiſcopis exigeret, cujus formam legimus in ejusdem Epiſtolis, relatam in Decretales Tit. de Jurejur.

jur. Cap. 4. hoc tenore: *Ego N. Epiſcopus ab hac hora in antea fidelis ero S. Petro, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, dominóque meo Papæ C. ejusque ſucceſſoribus canonicè intrantibus .... Papatum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & regulas ſanctorum Patrum adjutor ero ad defendendum & retinendum (ſalvo ordine meo) contra omnes homines. Vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero canonicâ præpeditione. Legatum Apoſt. Sedis, quem certum eſſe cognovero, in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo. Limina Apoſtolorum ſingulis annis aut per me aut per certum nuntium viſitabo, niſi eorum abſolvar licentiâ, ſic me Deus adjuvet &c.* Sic Epiſcopi ſtylo ab illis temporibus deducto, & in hunc usque diem ſervato, Romano Pontifici tanquam abſoluto Monarchæ ſingulari ſacramento adſtringuntur, ut Papatum ſacræ Rom. Eccleſiæ, id eſt, Curiæ Romanæ prætenſiones, tum in Conciliis, tum extra ea defendant.

Ut autem diſtinctiùs intelligatur, Gregorii & ſubſequentium Pontificum mentem fuiſſe per hujusmodi juramenta ſibi poteſtatem abſolutè monarchicam aſſerere, adſcribam mandatum Paſchalis II., qui tertius à Gregorio VII. in B. Petri cathedrâ ſedit, fuitque pariter Ordinis Cluniacenſis Monachus. Ille igitur Tit. de Electione & electi poteſt. Cap. 4. ſcribens Archiepiſcopo Pannormitano, *Significâſti*, ait, *Reges & regni majores admiratione permotos, quòd Pallium tibi ab Apocriſariis noſtris tali conditione oblatum fuerit, ſi ſacramentum, quod à nobis ſcriptum detulerant, exhiberes .... Ajunt in Conciliis* (tale) *ſtatutum non inveniri. Quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia ulla præfixerint: cùm omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem, & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.* Non mirum, ſi ab illis temporibus Eccleſiæ non ampliùs canonibus & priſtino more; ſed abſolutâ poteſtate regebatur; & recte Al-

 mainus

Digitized by Google

mainus Libro de Eccleſiæ auctoritate Cap. VII. ad Sextum argumentum Cajetani, præmiſſam Paſchalis Decretalem *Significâſti* objicientis, reſpondit: *Ejuſmodi auctoritates eſſe ſummorum Pontificum, qui in pluribus ſuas nimis extendunt fimbrias, ſibique attribuunt, quod eſt Eccleſiæ proprium.* Operum Gerſonii Tom. II. col 998.

Poſt hæc, ut ſenſim ſine ſenſu Epiſcopi nativâ ſuâ poteſtate exuerentur, atque memoria priſtini regiminis penitùs deleretur, crebrò factæ ſunt Privilegiatorum & Mendicantium miſſiones; qui cùm ſua privilegia à ſolo Pontifice Romano derivent, in eo etiam uno, tanquam in ipſómet Chriſto, ſummam totius poteſtatis Eccleſiaſticæ & Religionis communicandæ collocârunt.

TITULUS III.

De cauſis, quæ vulgò majores dicuntur.

§. I.

De judice graviorum fidei controverſiarum.

Harum Cauſarum judicium Italus *pag.* 121. *ſeqq.* Epiſcopis abrogat. Petrus Gibert *Corp. Juris Canon. Tom. II. pag.* 118. ſequentes circa eaſdem tradit regulas, & ſingulas firmat auctoritate Canonum: I. *Nullus eſt germanus Juris Textus, qui vetet Epiſcopis ſeorſim ſumptis, ne graviores fidei controverſias, pro Diœceſibus ſuis definiant, nec eſſe convenit.* II. *Non extant Juris Textus, qui Conciliis non generalibus, authoritate*

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolicâ non munitis, vetant, ne de gravioribus fidei controverſiis judicent. Extant econtra quamplures, qui demonſtrant, id Epiſcopis licere. III. *Nullus occurrit Juris Textus, qui prohibeat prædictis Conciliis particularibus, ne inquirant, num quæ à Sede Apoſtolica definita ſunt, Verbo Divino ſcripto, vel non ſcripto, ſive Traditioni adverſentur; econtra reperire eſt, qui doceant id fieri poſſe ab illis Conciliis.* IV. *Sunt tantùm duo Textus Juris, qui expreſſè doceant fidei cauſas ad Sedem Apoſtolicam eſſe referendas, & nihil habent, quod deſtruat Regulas præcedentes.* Porrò bini illi Textus, quos in Regulâ quartâ memorat Gibertus, ſunt in *Canone* 12. *Cauſâ XXIV. Quæſt.* 1, nec non in *Cap.* 9. *X. de Bapt.* Prior horum Textuum deſumitur ex Epiſtola Innocentii I. ad Concilium Milevitanum an. 416. apud Petrum Couſtant *Epiſt. RR. Pont. Tom. I. col.* 896. his verbis: *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coëpiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris Autorem referre debere (veluti nunc retulit veſtra dilectio) quod per totum mundum poſſit Eccleſiæ in omnibus prodeſſe.* Verùm quæ hìc ad rem maximè faciunt prætermiſſa à Gratiano, ſupplenda veniunt ex ejuſdem Innocentii Epiſtolâ ad Victricium Rotomagenſem apud laudatum Couſtant *col.* 749. ſunt autem hæc: *Si Majores Cauſæ in medium fuerint devolutæ ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, POST JUDICIUM EPISCOPALE referantur.* Hæc verba *Vetus conſuetudo*, non reperiuntur apud Juſtellum, Harduinum & alios, qui eandem Epiſtolam ediderunt. Itaque ex ipſis Innocentii I. verbis patet altera pars præmiſſæ Regulæ quartæ, ſcilicet Majores Cauſas non referendas ad Sedem Apoſtolicam, niſi *poſt Epiſcoporum judicium*, quod ex ſententia Petri Gibert *l. cit. p.* 120. tam de Epiſcopis ſeorſim ſumptis, quàm de Epiſcopis in particulari Synodo congregatis, intelligi

 poteſt.

poteſt. Sic Synodus Milevitana (ad quam eſt illa Innocentii reſponſoria) ad hunc Pontificem non ſcripſit, *niſi poſt factas definitiones*. Conſilii Epiſtola proſtat apud Conſtantium *col.* 873, *ſeqq.* Agitur in eâdem de *novâ hæreſi*, *nimiùm pernicioſâ*. Inſinuant autem poſtrema Innocentii I. verba ad Patres Milevitanos, ideò referendas eſſe ad Sedem Apoſtolicam Majores fidei Quæſtiones, *ut earum definitio omnibus prodeſſe valeat*.

Alter Textus, qui eſt Innocentii III. in *Cap.* 3. *X. de Baptiſmo*, ex memorato loco Innocentii I. videtur interpretandus; idem enim ambo dicunt omnino: addit duntaxat ille novas cauſas faciendæ ad Sedem Apoſtolicam relationis; nempe 1.) Petrum præveniſſe cæteros Apoſtolos in reſponſione ad quæſtionem illis à Chriſto propoſitam, circa rem fidei. 2.) Chriſtum orâſſe pro fidei conſervatione in Petro, ſimilem autem orationem non fudiſſe pro aliis Apoſtolis: Innocentius I. non aliam rationem attulerat, quàm quòd Petrus eſſet Sacerdotii veluti fons. Hæc à verbis S. Scripturæ petita argumenta, quantum habeant roboris, vidimus *Cap. I.* §. 1, *ſeqq.*

Qualiter etiam in *difficilibus* fidei quæſtionibus ab Epiſcopis procedendum ſit, reſcripſit Gregorius M. *Lib. V. Epiſt.* 53. ad Virgilium Epiſcopum Arelatenſem, nempe: *Si qua inquiſitio de fide*, *vel fortaſſe aliarum rerum inter Epiſcopos cauſa emerſerit*, *quæ diſcerni difficiliùs poſſit*, *collectis duodecim Epiſcopis ventiletur atque decidatur.* Si autem *decidi nequiverit*, *diſcuſſâ veritate ad noſtrum judicium referatur.* Huic textui ſequentem Notam ſubjungunt eruditiſſimi Editores Benedictini: „ Cauſas fidei *majores* appellant, eáſque ſummo Pontifici reſervandas contendunt nonnulli. Non ita cenſuit S. Gregorius, niſi fortè in partibus decidi nequiverint præ nimiâ difficultate. Certè non niſi priùs inquiſitione factâ, & in partibus ventilatâ diſcuſsâque veritate, ad Sedem Apoſtoli-

„ cam

Digitized by Google

„ cam referuntur. Vid. Epiſt. 54. infra: *Cujus vehemens for-* „ *taſſe ſit dubietas . . . . examinatâ diligentiùs veritate*, &c. „ Vide Cyprianum Epiſt. 55. Hilarium Papam Epiſt. 8. Quid „ in ſimili caſu fieret apud Judæos, vide Joſephum Antiquit. „ Judaic. Lib. IV. Cap. 8., cujus teſtimonium recolimus „ Epiſt. 7. Indict. X. Lib. II. „

Licèt, inquit Italus noſter *pag.* 123., omni ævo Epiſcopi hæreſes damnârint, inde tamen non ſequitur, ex falſis Decretalibus Iſidori & ex evulgatione Decreti Gratiani factum eſſe, quòd cauſæ fidei ad Sedem Apoſtolicam referrentur, ejúsque *ſolius* judicio terminandæ eſſent. Equidem non diffiteor univerſalem Eccleſiæ Primatum ſuo modo poſtulare, ut ad eum cauſæ fidei, quando hæ totam Eccleſiam aut magnam ejus partem tangunt, referantur. Hoc jure poſtulàrunt Innocentius I. *Epiſt.* 30. *n.* 1. 2. Cœleſtinus *Epiſt.* 8. *n.* 1. & alii Pontifices. Sed inde non ſequitur, easdem cauſas ab iis cum *præteritione* Epiſcoporum, in quorum diœceſibus hæreſes enaſcuntur, multò minùs cum eorum *excluſione* tractari debere. Sanè prævium illud *Epiſcopale judicium*, quod Innocentius I. requiſivit, ſicut falſis Decretalibus & Gratianæo Decreto antiquius eſt, ita & hujus judicii ad Sedem Apoſtolicam *Relatio*. Cauſam inſuper hujus relationis & ejus finem exprimit Innocentius, nempe: ut Epiſcoporum condemnationi conformis ſententia Pontificis valeat Eccleſiæ per totum orbem prodeſſe. Hoc eſt quod Clerus Gallicanus anno 1682. ſolemni Decreto declaravit, ſcilicet: *In fidei quæſtionibus PRÆCIPUAS ſummi Pontificis eſſe PARTES, ejúsque Decreta AD OMNES ET SINGULAS ECCLESIAS PERTINERE; nec tamen IRREFORMABILE eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.*

Interim illud effecêre Iſidori Decretales, & quæ easdem inſecutæ ſunt in multis indiſcretæ Canonum Collectiones, ut quem-

Digitized by Google

quemadmodùm hæ in regimen Eccleſiæ quandam *Monarchiæ* ſpeciem inducere conatæ ſunt, vigore cujus omnia graviora negotia primæ Sedi reſervarentur, ita & omnes cauſas fidei in hunc cenſum referrent, earúmque cognitionem ab officio & poteſtate Epiſcoporum excluderent. Hoc certè in Conſilio Remenſi anni 1148. fecerunt & contra Divum Bernardum malè utique ſuſtinuerunt S. R. E. Cardinales, idémque utì pauló antè vidimus, nonnulli ſibi etiamnum perſuadent, haud dubiè ex præconceptu illo ſtatûs Monarchici. Quod de Janſenii negotio anno 1653. in Gallia ab Epiſcopis actum memorat Italus *pag.* 122. illi opponimus huic derogantia Cleri Gallicani Acta anni 1660., de quibus breviter Theodorus à Palude *in Floribus ſparſis Cap. IV.* §. 1., pluribus Jo. Gerbais *de Cauſis Majoribus pag.* 104 *ſeqq.*

Dixit Joannes à Calore in Apologia Febr. *Art. III. n.* 10. Epiſcopos acceptantes conſtitutionem ſummi Pontificis, etiam in materia fidei, id facere debere cum deliberatione, maturitate & *judicio.* Ergo, inquit D. Kauffmans in Præfat. ſecundæ edit. ſui Apologetici *pag.* 8. ad ſingulos Epiſcopos pertinet authoritas examinandi, an Conſtitutio *Unigenitus* ſit pura à labe erroris! Reſpondeo: pertinet utique hoc examen ad quemlibet Epiſcoporum ante Eccleſiæ acceptationem; quid enim eſt acceptatio ſine cònſenſu, quid conſenſus ſine deliberatione, quid deliberatio ſine examine, eorum ſcilicet, qui in Eccleſia ſunt judices fidei. Poſt hanc acceptationem ab Univerſalitate factam, non ſupereſt paucis ſingulis niſi cœca ſubmiſſio.

§. II.

§. II.

De Cauſis Epiſcoporum, & horum depoſitione.

Canones veros, qui Epiſcoporum Cauſas Provincialibus Conſiliis tranſcribunt, & Canones falſos, qui easdem viciſſim ſummo Pontifici reſervant, retulit Febronius *Cap. IV.* §. 8. Genuini hanc in rem Canones ſunt Nicæni, Antiocheni, Sardicenſes &c. quibus tota Eccleſiæ diſciplina ante receptas Iſidori Epiſtolas reſpondet. Sic quamvis ante tempora Concilii Nicæni nulla lex poſitiva occurrat, qua Epiſcoporum, ſed ne Clericorum quidem, judicandorum ratio præſcripta ſit, certiſſimum tamen eſt, judiciorum Eccleſiaſticorum poteſtatem jamtum fuiſſe penes Epiſcopos, atque adeo, ſi qui fortè ſuperioris illius ordinis prævaricati ſint, eos à Collegis ſuis (quippe à Spiritu Sancto ad regendam Eccleſiam Dei poſitis) pro ſceleris gravitate fuiſſe condemnatos. Hanc conſuetudinem, jam ante Concilium Nicænum in univerſa Eccleſia receptam demonſtrant exempla ex omnibus partibus Eccleſiæ. Sic Novatianus Antipapa Romæ primùm, tum in Conciliis quoque Italico & Africano damnatus eſt: Paulus Samoſatenus Antiochenus Epiſcopus in Concilio dejectus, & in ejus locum Domnus ſuffectus eſt: Privatus in Labeſitana Synodo, Feliciſſimus Afrique alii ſchismatici in Carthaginenſi ſummoti ſunt: Baſilides & Martialis proſcripti apud Hiſpanias.

Hanc diſciplinam poſt Concilium Nicænum Eccleſia Occidentalis (ut de Orientali jam nihil memorem) exactè tenuit. Sic refert Sulpitius Severus *Lib. II. Hiſtoriæ Sacræ* & S. Athanaſius *Epiſt. ad Monachos de Hiſt. Arian. n.* 76. Paulinum Trevirenſem anno 353. in Synodo Arelatenſi proſcriptum fuiſſe odiis & factione Arianorum. In hoc quidem Epiſcoporum judicio *formam* negotio accommodam ſpecto, non *juſtitiam* judican-

dicantium. Anno 362. Saturninus Arelatenſis Arianorum fautor in Concilio Pariſienſi exauctoratus eſt: Hoc teſtatur Epiſtola Synodica Epiſcoporum Gallicanorum ad Epiſcopos Orientis apud Harduinum *Concil. Tom. I. col.* 730. Anno 385. Inſtantius Priſcillianiſta in Concilio Burdigalenſi *indignus Epiſcopatu pronuntiatus eſt*, ùt ipſa Sulpitii verba ſonant *cit. Lib. II.*, qui dum hujus Concilii meminit, refert quoque *pag.* 151. audax Priſcilliani facinus, *qui ne ab Epiſcopis audiretur, ad Principem provocavit.* Anno 534. Contumelioſus Regenſis Epiſcopus adulterii crimine inſimulatus fuit; cúmque ſceleris fama pervenıſſet ad Joannem PP. II. ſcripſit is ad Cæſarium Arelatenſem, miſitque certos Canonum articulos (quos inter nominatim erant decimus quartus & decimus quintus Antiochenus, quos etiam Gratianus in Decretum ſuum intulit *Cauſ. IX. Quæſt.* 3. *Can.* 6. & *Cauſ. VI. Quæſt.* 4. *Can.* 5. (juxta quos Contumelioſi cauſa ab Epiſcopis Gallicanis judicanda erat; utì & ipſe reverà in Synodo à Coëpiſcopis exauctoratus fuit. Exſtat Epiſtola Joannis Papæ apud Harduinum *Tom. II. col.* 1155. Anno 555. Saffaraci Epiſcopi Pariſienſis cauſa in Concilio Pariſienſi II., quod à Childeberto Rege convocatum erat, retractata, illiúsque depoſitio confirmata eſt. Harduinus *Tom. III. col.* 335. Circa eundem annum incerti loci Concilium in minore Britanniâ celebratum fuit, in quo Macliavus Venetenſis Epiſcopus excommunicatus eſt. Vid. Gregor. Turonen. *Hiſt. Franc. Lib. IV. Cap.* 4. Anno 567. Salonius Ebredunenſis & Sagittarius Vapingenſis in Concilio Lugdunenſi dejecti ſunt, teſte eodem Gregorio Turonenſi, qui rem totam narrat *Lib. V. Cap.* 21. Anno 573. Promotus, qui & contra Canones, & contra Carnotenſis Epiſcopi jura in Caſtro-dunenſi Epiſcopus conſtitutus erat, à Concilio Pariſienſi IV. ſuggerente Pappolo Carnotenſi Antiſtite, eâ Sede pulſus eſt, intentatâ etiam excom-

communicationis pœnâ, niſi obſequeretur. Harduin. *Tom. III. col.* 405.

Anno 577. Prætexatum Archiep. Rothomagenſem in Pariſienſi Synodo à Rege Chilperico plurimis iisque infandis criminibus accuſatum, Regis odio falſisque teſtibus oppreſſum, imò & circumventum, atque ad falſam confeſſionem callidè inductum; à ſede ſuà in exilium pulſum memorat Turonenſis *Lib. V. Cap.* 19. Quo quidem in negotio iterum non tam judicii *æquitas*, quàm ejus *forma* ſpectanda venit. Anno 590. Ægidius Remenſis Archiep. crimine majeſtatis reus exauctoratus eſt in Concilio Metenſi, quod Childeberti Regis imperio convocatur, hiſtoriam facti referente eodem Turonenſi *Lib. X. Cap.* 19. Anno 603. Deſiderius Epiſcopus Viennenſis in Cabilonenſi Concilio dejectus eſt, Domnolo in ejus locum ſubrogato; Deſiderius verò in inſulam quandam exilio detruditur. Fredegarius *Chron. Cap.* 24. *Collect. Duche,ne Tom. I. pag.* 747. Anno 650 in Synodo Cabilonenſi contra Agapium & Bobonem Dinienſis urbis Epiſcopos lata ſententia depoſitiones, cujus forma Canone XX. ejusdem Synodi exprimitur, apud Harduinum *Tom. III. col.* 951. Anno 684. vel 685. in Concilio, quod in villa quâdam Regiâ à Theodorico & Ebroino congregatum eſt, plures Epiſcopi, nominatim Dido Cabillonenſis, dejecti ſunt. Idem *eod. Tom. III col.* 1757. Sub regno Ludovici pii tres Epiſcopos, nempe Anſelmum Mediolanenſem, Wolvodum Cremonenſem, & Theodulphum Aurelianenſem, majeſtatis reos in Aquisgranenſi Conventu dejectos narrat Theganus *de Geſtis Ludovici pii Cap.* 22. Idem Auctor *Cap.* 37. fidem facit, Jeſſe Ambianenſem Epiſcopum apud Noviomagum caſtrum *juſto judicio Epiſcoporum depoſitum eſſe*. Anno 835. Ebbo Archiepiſcopus Remenſis in Concilio apud Theodonis-villam, eò quòd Lotharii partes contra Ludovi-

Digitized by Google

dovicum patrem ſecutus eſſet, ab omnibus Epiſcopis canonicè exauctoratus eſt. Gallia Chriſtiana *Tom. IX. col.* 36. Circa idem tempus Aldricus Conomanenſis in Concilio Provinciæ judicatus, imò, appellato licèt Romano Pontifice, fuit à ſuâ Sede ejectus, utì colligere eſt ex Epiſtolâ Gregorii IV. ad Epiſcopos per univerſas Provincias conſtitutos, apud Harduinum *Tom. IV. col.* 1269.

Rothadus Sueſſionenſis anno 862. primò accuſatus in Concilio Sylvanectenſi, dubium an & judicatus: in Concilio verò Sueſſionenſi, quod paulò pòſt congregatum eſt, certiſſimè dejectus fuit, aliúsque, quanquam Apoſtolica Sedes appellata eſſet, in ejus locum ſubſtitutus. Annales Bertiniani ad annum 862. in Collectione Ducheſne *Tom. III. pag.* 214. Expoſtulavit Rothadus, quòd appellatione non obſtante ſua Sedes alteri credita eſſet. Excanduit Nicolaus I. Papa, non quòd Rothadus in Provinciæ Synodo judicatus eſſet, ſed, quòd nulla habita ratio privilegii Sedis Apoſtolicæ, contenti in Synodi Sardicenſis Canone IV. Verùm in æſtu concertationis ultrà progreſſus fuit Nicolaus, ex falſis Decretalibus probare niſus, quòd etiamſi Apoſtolica Sedès appellata non eſſet, Rothadus tamen *ſine Pontificis conſenſu* judicari non debuiſſet. Vide Epiſtolam Nicolai in Hincmari *Opp. Tom. II. col.* 626. Verùm id Provincialis Synodus Pontifici minimè conſenſit; utì intelligimus ex Epiſtolâ, quam de Rothadi negotio ad Nicolaum ſcripſit Hincmarus ejuſdem Synodi Præſes apud Baronium *Tom. X. ad annum* 865. *n.* 35. In ea valdè civiliter ait Archiepiſcopus: *Abſit à nobis, ut privilegium primæ & ſummæ Sedis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontificis ſic pro parvo pendamus, ut controverſias & jurgia, tam ſuperioris, quàm etiam inferioris ordinis, quæ Nicæni & cæteri ſacrorum Conciliorum Canones, & Innocentii atque aliorum Romanæ Sedis Pontificum decreta, in Synodis*

nodis Provincialibus à Metropolitanis præcipiunt terminari, ad veſtram ſummam authoritatem fatigandam ducamus. Quinimò ipſe Nicolaus I. in Epiſtola ad Salomonem Brittonum Regem Conciliorum authoritatem in judicandis deponendiſque Epiſcopis agnoſcit non modò, ſed & aſſerit quoque, prolato eam in rem teſtimonio deceſſorum ſuorum, Leonis IV. & Benedicti III., quibus quidem ita concinit: *Quorum veſtigia & Ego quoque ſecutus eadem cenſui, imò & cenſeo, nec ullam poſſe Epiſcopos ſui honoris ſuſtinere jacturam, quos non conſtat fuiſſe à duodecim Epiſcopis, præſente, primámque ſententiam Metropolitano Epiſcopo obtinente, cùm examinarentur, auditos.* Epiſtolam poſt alios edidit Harduinus *Tom. V. col.* 347.

Hadrianus II. fictarum Decretalium diſciplinam non minùs cupidè amplexus eſt, quàm id, datâ opportunitate, fecerat ejus anteceſſor Nicolaus: neque per eum ſtetit, quominùs Galli eandem acceptarent, cùm de Hincmari Laudunenſis causâ ageretur. Verùm quo plus inſtitit Hadrianus, eò magis obſtitêre Galli. In actis Concilii Duziacenſis anno 871. celebrati hujus negotii ſeries fuſiùs deſcribitur. Dedit quidem Hadrianus eâ de re pauló acriores litteras ad Carolum Imperatorem, & ad Epiſcopos illos qui Concilio adfuerant; ſed utriſque ſolidè & ex principiis antiquorum & verorum canonum reſponderunt, tum Imperator, tum Epiſcopi ipſi: illius Epiſtola reſponſoria proſtat in Hincmari *Opp. Tom. II. pag.* 701., horum in Collectione Conciliorum Harduini *Tom. V. col.* 1217., ſed non integra; totam edidit Gerbaſius *de Cauſis majoribus in Appendice pag.* 25. *ſeqq.*

Joannes VIII. Hadriani II. ſucceſſor, fretus jure illo miſerabili, quod efficta nuper Epiſtolæ Sedi Apoſtolicæ tribuere videbantur, multa contra antiquos mores tentavit. Etenim non Epiſcopos modò ex Galliâ citavit Romam, ſed & Presby-

teros quòque, ſi fortè rei habebantur. Vide ejus Epiſtolas 70. 145. & 288. Tandem autem ſic crevit Romana licentia, ut Carolus Calvus Eccleſiæ ſuæ jura tueri cupiens, ſcribendum duxerit ad Joannem VIII., ne ultrà in negotio Eccleſiaſticorum judiciorum innovaret. Exſtat egregia hæc Epiſtola Hincmari *Opp. Tom. II. pag.* 768. In eâ Imperator ſolemnem judiciorum Eccleſiaſticorum formam, ſive quæ Epiſcopos ſpectaret, ſive quæ Presbyteros, refert, firmátque ſimul, adductis canonibus Nicænis, Sardicenſibus, Antiochenis, Chalcedonenſibus, Africanis; Epiſtolis item Innocentii, Leonis, Gregorii, aliorúmque Romanorum Pontificum. Eſt hæc Epiſtola velut ſolemnis quædam proteſtatio contra jus illud novitium, quod Romani Pontifices ejus ætatis fictarum Epiſtolarum beneficio inducere, quoque prætenſam ſuam Monarchiam ſolidare conabantur. Superſunt etiam monumenta plura generoſæ obſiſtentiæ, cùm Epiſcoporum, tum verò maximè Archiepiſcoporum, præſertim Gallicanorum; quos quidem inter ſi primas olim tulit Hincmarus Remenſis in cauſa Laudunenſis Epiſcopi, ſecundæ certè Richerio Senonenſi denegandæ non ſunt, qui in causâ Goffridi Carnotenſis, in difficilibus quidem temporibus, non minùs tamen fortiter, antiqua Metropolitanorum Synodorúmque jura viſus eſt propugnare. Vid. Fleury *Hiſt. Eccleſ. Tom. XIII. Lib.* 64. *n.* 3. Longueval *Hiſt. de l'Egliſe Gallicane Tom. VIII. pag.* 31. *ſeqq.*

Ponamus modò in facie graviſſimorum horum monumentorum tenuia argumenta Itali noſtri. Sic autem ille *pag.* 140. „ Jurisdictio in Romana Sede non fuit ullatenùs immutata, „ ſed ſolùm illius uſus. Modò illa magis, modóque minùs „ ſuam explicuit poteſtatem; juxta nempe temporum, loco- „ rum, perſonarum, aliarúmque circumſtantiarum indigentias. „ Si res ſecùs ſe haberent, Eccleſia non tacuiſſet; Epiſcopi in „ Con-

„ Conciliis Oecumenicis poſt duodecim ſæcula celebratis aërem „ clamoribus impleſſent; & vi, ſin amore, jugum excuſſiſſent: & calamum vocémque impendiſſent; & omni meliori „ modo ſua jura vindicâſſent. Imperatores, Reges, Principes brachio ſuo in Conciliis œcumenicis, & extra operati „ fuiſſent, ut tam ſolemnis, tam gravis Pontificia deprædatio „ ceſſaret, rurſúsque juribus reſtitutis, ſua ſinguli poſſiderent. „ Verumtamen cùm Eccleſia univerſa contra prætenſas uſurpationes non reclamaverit, ſed diſciplinam hanc & retinet, „ & obſecundat, ſeditionis & temeritatis notam non fugit, „ qui eccleſiaſticam hanc diſciplinam condemnat, vel diris devovet. Non negamus identidem inſurrexiſſe adverſus Romanam Sedem aliquem Epiſcopum, vel Metropolitanum, aut „ Primatem, qui non dubitârunt de jurisdictione contendere; „ ſed numquam Primatum Pontificis evellere aut deprimere „ valuerunt. „ Hæc ille generatim de judiciis cauſarum Epiſcopalium, & cæteris juribus, vigore Canonum Spiritu Dei conditorum ordini Epiſcoporum, cum excluſione cujuscunque alterius, propriorum.

Verùm neque hoc neque alio in loco agitur aut de evellendo, aut de deprimendo *Primatu* Pontificis, ſed de inſpiciendis & *regendis ejus finibus*, prout hi in generalibus Conciliis, atque aliis ſacris canonibus, ab univerſali Eccleſiâ agnitis, pro ſingulis ſacri regiminis partibus poſiti fuerunt. His terminis probè cognitis, non erit arduum concludere ad formam & ad ſtatum univerſi. Verum eſt, quod Italus aſſerit, Romam modò magis, modò minùs ſuam poteſtatem explicuiſſe; ſed non debuiſſet eam extendere ultra vel contra præſcriptum canonum; hoc faciendo injuſtè egit & incompetenter. Hincmarus Archiep., dum in prælaudata epiſtola, quam pro Carolo Imp. ad Joannem PP. VIII. compoſuit (quæ eſt inter Hincmarianas

marianas XLVII.) celebrem illum locum Leonis M. *n.* 27. refert: „ Manet ergò Petri privilegium, ubicunque fertur ex „ ipſius æquitate judicium," rectè à contrario concludit: *Hinc certâ conſideratione datur intelligi, quia in judicando non eſt Petri privilegium, ubi non ex ipſius fertur æquitate judicium.* Reclamavit certè Eccleſia adversùs hos exceſſus poteſtatis per tot ora virorum Sanctorum, per Patres in Conciliis, præſertim in Viennenſi, Piſano, Conſtantienſi, Baſileenſi, quin & in Tridentino congregatos. Equidem illi non penitùs excuſſerunt jugum; ne malum (quod per Alpes paulatim & ſucceſſivè tranſiit, non impetu perrupit) pejus fieret, & ſchiſma cauſaretur. Sed nec obmutuerunt Principes ſæculares & nationes: De oblocutione Caroli Craſſi Imp. jam diximus; Gallicæ Nationis ſententias & inſtituta, Pontificum poteſtatem inde à ſæculis moderantia, pauci ignorant: quid eundem in ſenſum à noviſſimo ſolùm decennio plurimis in regnis ac provinciis catholicis actum fuerit, & adhucdum agatur (necdum enim hujus rei bonæ finis) omnibus notum eſt. Non hìc loquar de Populis, qui excedente Romanorum imperio fatigati, illud penitus abjecerunt. Hæc, ut alia non repetam, ſufficiunt ad declarandum Eccleſiæ & Nationum diſſenſum, & conſtans votum pro regimine SS. Canonibus conformi.

§. III.

De Translatione Epiſcoporum.

Quamvis SS. Canones Epiſcoporum Translationes ſeverè inhibuerint, iidem tamen canones certis caſibus eas non licere tantùm, ſed & utiles eſſe agnoverunt. Etenim Concilium Nicænum *Can. XV.* non quasvis translationes vetat, ſed eas tantùm, quæ fiunt *præter regulam.* Quare & Concilium Chalcedonenſe *Can. XX.* legem de translationibus ita temperat: *exceptis*

Digitized by Google

exceptis illis (ſc. Epiſcopis) *qui proprias amittentes Provincias, ex neceſſitate ad aliam Eccleſiam tranſierunt.* Si autem quæratur, penes quem ſit, fuerítve olim ipſa transferendi poteſtas, dicemus, cognitum imprimis eſſe, quòd omnia Eccleſiaſtica negotia per SS. canones Synodis Provincialibus tribuantur. Dein, quod ad translationes in ſpecie attinet, de his canon XVIII. Antiochenus ſic ſtatuit: *Si quis Epiſcopus ordinatus ad Parochiam minimè, cui eſt electus, acceſſerit, non ſuo vitio, ſed quòd eum aut populus vitet, aut propter aliam cauſam, non tamen ejus vitio perpetratam: hic & honoris ſit & miniſterii particeps, dummodo nihil moleſtus Eccleſiæ rebus exiſtat, ubi miniſtrare cognoſcitur. Quem etiam obſervare conveniet, quidquid Synodus perfecta Provinciæ, quod viſum fuerit, judicando decreverit.* Hæc Iſidorus Mercator in conficta Epiſtola Pelagii PP. II. ad Benignum Archiep. apud Harduinum *Tom. III. col.* 409. de Epiſcoporum Translationibus ritè intelligit. Itaque Canon rem totam Synodi Provincialis judicio componi jubet. Eadem mens fuit Eccleſiæ Africanæ, expreſſa in Concilio Carthagnienſi IV. *Cap.* 27.

Quod jam ad uſum & exercitium hujus juris Synodalis, per SS. canones recogniti, attinet, refert Euſebius talium Translationum exempla duo, primum *Lib. VI. Cap.* 11. Alexandri ab Eccleſiâ Cappadociæ, cui præerat, ad Hieroſolymitanam: alterum *Lib. VII. Cap.* 32. Anatolii ab Cæſarienſi Sede ad Laodicenſem. Utriusque translatio Cleri populorúmque votis perfecta eſt. Socrates *Hiſt. Eccleſ. Lib. VII. Cap.* 36. recenſet reprobâtque eorum factum, qui Proclo obſtiterant, quominùs ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam transferretur: reprobat inquam, tum adducto in medium canone Antiocheno, jam antè laudato, tum allatis tredecim exemplis Translationum uſurpatarum à viris etiam ſanctiſſimis. Porrò in tre-

Digitized by Google

decim illis exemplis unica eſt ſolùm Translatio, quæ Epiſcopi Romani *juſſum* præ ſe ferat, ſcilicet Perigenis, qui à Patrenſi Eccleſia tranſiit ad Metropolim Corinthi. Quanquam jubere hanc potuit Romanus Pontifex jure Patriarchico; *Patræ* enim & *Corinthus*, ambæ civitates Illyrici, Romano Patriarchatui erant obnoxiæ. Reliquæ verò duodecim, vel à Synodis, vel certè à Primatibus, ſeu Patriarchis imperatæ fuerunt. Alia Translationum, ſine auctoritate Romani Præſulis, in *Oriente* factarum exempla refert Theodoretus *Hiſt. Eccleſ. Lib. V. Cap.* 4. & 8. Sed neque aliam fuiſſe diſciplinam Eccleſiæ *Occidentalis* probat Concilii Toletani XVI, anno 693. celebrati *Canon. XII.*, & Capitularia Regum Francorum *Lib. I. Cap.* 137.

Interim certis argumentis apparet, jam ſub Carolo Calvo Romanos Pontifices ſe ſe Translationi Epiſcoporum immiſcuiſſe. Anno 876. Frotarius, poſtquam Eccleſiam Burdigalenſem, quam pluribus annis rexerat, ob frequentes infidelium barbarorúmque incurſiones deſerere cogebatur, favore Caroli Calvi Regis & Imp ad Bituricenſem tranſiit. Pro perficiendâ hâc translatione Frotarius in Synodo Pontigonenſi ejusdem anni conſenſum Gallicanorum Præſulum obtinere ſtudet; ſed huic petitioni unanimitàs Epiſcoporum *nullatenùs acquievit*, inquit Aimonii Continuator *Lib. V. Cap.* 33. Quare ad Apoſtolicam Sedem ſe convertens, hanc gratiam à Joanne VIII. obtinuit. Vide hujus Pontificis hâc de re Epiſtolas apud Harduinum *Tom. VI. col.* 10. & Ducheſne *Tom. III. pag.* 869. Verùm de hac Translatione, quamvis gravibus rationibus ſuffultâ, acriter adhuc diſputatum fuit in Synodo Tricaſſinâ an. 878 teſte Continuatore Aimonii *Lib. VIII.* Hoc futurum prævidens Papa Frotarium (qui forſan cenſuram vel depoſitionem metuebat) monuit, ut inſtructus ad Synodum veniret, *ut cùm de mutatione contra canones ſedium . . . . impetitus fueris . . . . illæſus*

Digitized by Google

illæſus evadere valeas, inquit ad eum Pontifex Epiſt. X. apud Harduinum *cit. Tom. VI. col.* 200. Conſule de hoc negotio Galliam Chriſtianam *Tom. II. col.* 31. *nov. edit.*

Hincmarus in Epiſtolâ ſuâ XLV. *Opp. Tom. II. pag.* 744. occaſione translationis Actardi Ep. Nannetenſis circa idem tempus ad Metropolim Turonenſem factæ, de hoc argumento fusè & præclare diſſerens, indeterminatâ elocutione refert, easdem *Synodali diſpoſitione, vel Apoſtolicæ Sedis conſenſione* fieri. Ex quo indefinito ſermone colligi poteſt, vagantem tum fuiſſe Translationum diſciplinam, ita, ut eæ *vel* fierent *Synodali diſpoſitione* juxta jus antiquum, *vel* celebrarentur *conſenſione Sedis Apoſtolicæ* juxta jus novum, per Decretales Iſidori non ita pridem in Galliam, ipſo Hincmaro teſte, introductum.

Prævaluit abinde adeo falſarum Decretalium auctoritas, ut in Galliis Epiſcoporum Translationes quidem perficerentur authoritate Sedis Apoſtolicæ, ſed ita, ut prærequirerentur Cleri plebiſque vota, nec non Metropolitanorum conſenſus. Hunc morem confirmat Ivonis Carnotenſis *Epiſtola* 146. Igitur quando Sæculo XII. Innocentius III. in *Cap.* 2. *X. de Translat.* Epiſcop. Translationes *jure divino* Sedi Apoſtolicæ reſervatas, contra apertam continuámque antiquitatis diſciplinam, aſſerit, novo juri innititur, quod nihil minus quàm divinum eſt.

In hanc Innocentii Decretalem ſequentia obſervat ill. de Marca *de Concordiâ Sacerdotii & Imperii. Lib. VII. Cap.* 26. *n.* 8. „ Emerſit effatum Innocentii III. Papæ, quem *audacem Juriſperitum* vocat Matthæus Pariſius, qui depoſitiones, „ ceſſiones & translationes Epiſcoporum ad ſolum Pontificem „ Romanum jure divino pertinere pronuntiavit. Adeo enim „ metuebat, ne Synodi Provinciales ſua jura repeterent, ut „ ſubſidium audaciæ à metu petens, inauditam ante hoc ſæ- „ culum,

Digitized by Google

„ culum, & à veterum moribus alienam ſententiam protulerit;
„ cui prætereà ſtabiliendæ multum operæ poſuit, argumento
„ utens à poſteris prorsùs abjecto. Ait enim res ſpirituales fa-
„ ciliùs inſtitui quàm diſſolvi; cùm tamen humanæ faciliùs
„ dilabantur, quàm ædificari aut formari poſſint. Unde pa-
„ tet, vinculum ſpirituale carnali fortius eſſe. Cùm autem
„ Deus ſibi reſervaverit diſſolutionem conjugii carnalis inter
„ hominem & fœminam, planum eſſe cum ſibi reſervâſſe
„ etiam diſſolutionem conjugii ſpiritualis, quod intercedit in-
„ ter Epiſcopum & Eccleſiam. Unde concludit, ſolum Pon-
„ tificem Romanum, qui eſt Vicarius Jeſu Chriſti, poſſe de-
„ cernere translationes & depoſitiones Epiſcoporum, idque
„ authoritate divinâ. Sed argumentum illud nimis probat.
„ Nam hinc potiùs ſequeretur, nullo caſu Papam poſſe diſſol-
„ vere conjugium ſpirituale; cum ipſe, quamvis Chriſti Vi-
„ carius, nullo caſu poſſit diſſolvere vinculum conjugii carnalis.
„ Meliùs dicam; argumentum illud nihil concludit; quoniam
„ unio Epiſcopi & Eccleſiæ conjugium tantùm eſt per meta-
„ phoram; & ideo, ſi ſummo jure agamus, comparari non po-
„ teſt cum vero conjugio. Certum quidem eſt, Athanaſium &
„ alios veteres ordinationem ſive intitulationem Epiſcopi in
„ quâpiam Eccleſiâ comparâſſe cum conjugio; ſed id ab iis
„ ſcriptum eſt per translationem, ut oſtenderent, quàm arcto
„ vinculo Eccleſiæ ille ſuæ eſſet adſtrictus. „

§. IV.

De Coadjutoribus cum futurâ ſucceſſione.

Coadjutores olim aſſumebant Epiſcopi, nulla ſpe data futuræ ſucceſſionis: ita enim cautum erat canonibus, ſignanter canone XXIII. Antiocheno, ne Epiſcopus ſucceſſorem ſibi conſtitueret. Hunc uſum, ùt ubique ita & apud Gallos viguiſſe,

Digitized by Google

guiſſe, vel unus probat Canon XXX. Concilii Arauſicani anno 441. celebrati, qui ſic habet: *Poſt omnia occurrit de imbecillitatibus fragilitatis humanæ, ut ſi quis Epiſcopus in infirmitatem debilitatémve aliquam & hebetudinem ſenſûs inciderit, aut officium oris amiſerit, ea, quæ non niſi per Epiſcopos geruntur, non ſub præſentiâ ſuâ per presbyteros agere permittat, ſed Epiſcopum evocet, cui, quod in Eccleſiâ agendum fuerit, imponat.* Hæc ita in regula & ex generalitate canonum. Interim non ſunt rari caſus, quibus ob Eccleſiarum neceſſitatem vel utilitatem in canone diſpenſatum fuit.

Sic jam ante Concilium Antiochenum Narciſſus Hieroſolymarum Epiſcopus, centeſimum & ampliùs annum agens, Alexandrum Coadjutorem ſibi aſſumpſit, conſentientibus vicinarum Eccleſiarum Epiſcopis. Euſebius *Hiſt. Eccleſ. Lib. VI. Cap.* 11. Poſt dictam Synodum Valerius Hipponenſis Epiſcopus ſenio & morbis confectus, obtentâ diſpenſatione ab Epiſcopo Carthaginenſi, totius Africæ Primate, S. Auguſtinum Coadjutorem ſibi aſſumpſit, & Hipponenſem ordinari curavit Epiſcopum, qui unà ſecum Eccleſiam regeret. Poſſidius *in Vita S. Auguſtini Cap. VIII.* S. Sacerdos, Lugdunenſis Epiſcopus, S. Nicetium nepotem ſuum Coadjutorem à Childeberto Rege obtinuit, teſte Gregorio Turonenſi *in Vitis Patrum Cap. VIII.* Adde Galliam Chriſtianam *Tom. IV. col.* 33. *ſeqq.* Alia ejus diſciplinæ exempla ex ſæculo VIII. occurrunt, imprimis in Hiſtoriâ Miraculorum S. Wulframni Epiſcopi Senonenſis circa annum 720. apud Mabillonium *Sæc. III. P. I. act. Benedict. pag.* 372. ubi: „ Viſum eſt Pontifici Malgerio præfatæ Metro„ polis, quod & omni Clero plebíque non mediocriter pla„ cuit, ut eundem Gradulfum abbatem ſibi ſubſtitueret, & „ vicarium ſub ſe benedictione inſigniret epiſcopali, ut res, „ quibus ſe minùs ſufficere perpendebat, ille ſuâ vice ſupple„ ret.

„ ret. Cùm verò dies deſiderata inſtaret, ut ſuper hoc nego-
„ tio Principi ſuggeſtio fieri deberet &c. „ Similiter in Vita S. Boniti Epiſcopi Arvernenſis circa annum 709. apud Mabillon. *l. cit. pag.* 90. nempe: „ Qui non poſt mutum languore correptus ad extremum eſt usque deductus, cernensque ſuæ migrationis imminere diem, divino afflatus ſpiritu, accepto conſilio, ſibi Eccleſiâ concordante, virum Dei ſibimet ſucceſſorem, ſuasque Sedis digniſſimum judicat Sacerdotem. „ Atque ita per plura ſæcula Epiſcopis adjutores conſtituebantur in caſu neceſſitatis, & in Eccleſiæ commodum, cum aſſenſu & auctoritate eorum, qui ad electionem concurrebant, maximè ad ejus deſiderium, qui adjutorio indigebat alterius, nullâ tamen Romani Pontificis diſpenſatione interveniente.

Qui adversùs regulam, id eſt, contra canones, ſibi ſucceſſores in Epiſcopatu dare tentabant, eos coërcebat Romanus Pontifex ùt primarius eccleſiaſticorum Canonum Vindex. Conſuluerat anno 743. Zachariam Papam Bonifacius Epiſcopus de variis capitibus, ac nominatim de ſucceſſore ſibi ante obitum deſignando; ad hoc poſtremum ſic reſpondit Pontifex apud Harduinum Tom. III. col. 1882. *De hoc autem, quòd tibi ſucceſſorem conſtitui velle dixiſti, ut te vivente in loco tuo eligatur Epiſcopus, hoc nullâ ratione concedi patimur; quia contra omnem eccleſiaſticam regulam vel inſtituta Patrum eſſe monſtratur. Sed volumus, ut tibi miniſtret, & ſit in Evangelio Chriſti adjutor, dicente Apoſtolo .... Sin autem & eundem divina voluerit clementia poſt tui diem tranſitûs ſupereſſe, ſi eum aptum eſſe cognoveris, & in tuâ fuerit voluntate definitum, eâ horâ, quâ te de præſenti ſæculo migraturum cognoveris, præſentibus cunctis tibi ſucceſſorem deſigna, ut huc veniat ordinandus. Hoc nulli alii concedi patimur, quod tibi, charitate cogente, largiri cenſui-*

cenſuimus. Sic Romani Pontifices canones, pro officii ſui exigentiâ, non exequi modo, ſed etiam (annuente forſan Eccleſiâ) interpretari, imò & in eis quoque diſpenſare aggreſſi, Coadjutores ipſi, ægrè quidem initio, dederunt, cum ſpe aliquâ ſucceſſionis: tum verò aliquantò faciliùs: tandémque unis ſibi jus fecerunt dandorum Coadjutorum. Hoc expreſſiùs fecit Bonifacius VIII. in Sexto Decretalium Lib. III. Tit. 5. Cap. unico, ubi *Paſtoralis*, inquit, *officii debitum exequentes, declaramus atque ſtatuimus, Coadjutorum Epiſcoporum & ſuperiorum Prælatorum dationem intelligendam eſſe de Cauſis Majoribus, & referendam ad Sedem Apoſtolicam, ac ab ea (NB. conſuetudine non obſtante contrariâ) tantummodo poſtulandam.* Equidem Bonifacius non hujus doctrinæ *de Cauſis Majoribus* inventor eſt: jam diu ante eum in Sede Romana audita, defenſa & propagata erat, ſed quia forſan *in hypotheſi* applicatio in dubium eſt vocata, hoc ea edicto corroboranda & declaranda fuit. Quanquam autem Bonifacius hic præmiſerit theſin novam, quòd etiam Coadjutoris *fine ſucceſſione* (de quo Capitulum hoc loquitur) datio eſſet de reſervatis Papæ; tamen non auſus eſt eandem præſcribere pro uſu & praxi; ſed ceſſit obſervantiæ inveteratæ, ut regulariter ejusmodi Coadjutor dari poſſet & accipi absque præſcitu Papæ, adjiciens nihilominùs, hanc aſſumptionem fieri *authoritate Apoſtolica* per illos, ad quos pertinet.

§. V.

De creatione novarum Sedium Epiſcopalium, Metropolium Primatuum &c.

Si diviſio & deſignatio diœceſium, erectio Metropolium &c. ex eo capite, juréque divino, eſſet reſervata ſummo Ponti-

Digitized by Google

Pontifici, quia, ùt ait Viator Italus *pag.* 140. ci, tanquam immediatam jurisdictionem in univerſam Eccleſiam exercenti, Metropolitani ipſi omnésque Synodi ſubduntur: quâ ratione Patres Concilii Nicæni *can. VI* tractantes de limitibus & adminiſtratione diœceſium Ægypti & Orientis atque aliarum, ad ſtabiliendum earum jura & authoritatem, non recurrerunt ad Sedis Apoſtolicæ prærogativas in jure divino fundatas, ſed ad conſuetudinem & obſervantiam? *ANTIQUA*, inquit, *CONSUETUDO ſervetur per Ægyptum &c. Similiter & apud Antiochiam, cæterásque Provincias, ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis.* Quare Patres Concilii generalis Conſtantinopolitani *Can. II.* renovantes obſervantiam ejusdem diviſionis territoriorum non adduxerunt in illius favorem & firmitatem niſi canones Eccleſiæ? *JUXTA CANONES Alexandrinus Antiſtes, quæ ſunt in Ægypto regat ſolummodò, & Orientis Epiſcopi Orientem tantùm gubernent &c.* Si à ſolo Papa dependeret deſignatio & partitio Eccleſiaſticarum Provinciarum, aut ſi ea eſſet prærogativa Romano Primatui propria, quâ conſcientiâ ordinàſſent in eodem Concilio eodémque canone ſecundo centum illi & quinquaginta Patres, quòd *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat honoris primatum poſt Romanum?* Quo jure Patres Concilii Chalcedonenſis *Canone XXVIII.* confirmàrunt hanc præeminentiam, hoc privilegium, Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, eum declarando Patriarcham & Exarchum duarum vaſtiſſimarum diœceſium Aſiæ & Ponti, non obſtante, quòd Legati S. Leonis Papæ huic Conſtantinopolitanæ Primatiæ ſe fortiter opponerent. Nôrunt inſuper omnes, qualiter illius Sedis Archiepiſcopi (inter quos multi fuêre ſanctitate conſpicui, ſcil. Euphemius, Macedonius, Mena, Eutichius, Ignatius &c.) ſine interruptione perſeveraverint in uſu & exercitio Primatiæ, ſuæ Sedi à Concilio attributæ, nequidquam impedientibus

Digitized by Google

dientibus continuis Romanorum adverſùs laudatum canonem Chalcedonenſem vigeſimum octavum reclamationibus. Inde etiam dignoſcitur, quòd in hac, ſicut in aliis materiis diſciplinæ judicium Eccleſiæ & conſenſus Corporis Epiſcoporum majus ſemper robur habuerit, quàm ſolius voluntas Capitis; & quòd univerſalis Eccleſiæ atque Epiſcoporum conſenſus, ſive tacitus ſive expreſſus, illud ipſum ſit, quod dat vim & efficaciam legibus ſeu inſtitutis diſciplinaribus & œconomicis Eccleſiæ, non verò unum ſummi Pontificis arbitrium; quòdque ab illo ſuam originem trahat diviſio & diſtributio Diœceſium, nec non eccleſiaſticarum Provinciarum. Hoc non ignoravit falſarum Decretalium auctor Iſidorus, cùm *Can. 2. Diſt. XCIX.* ſub aſſumpto Aniceti nomine ſcriberet: „ Nulli Archie„ piſcopi Primates vocentur, niſi illi, qui primas tenent ci„ vitates, quarum Epiſcopos *Apoſtoli & ſucceſſores Apoſtolo„ rum* regulariter Patriarchas & Primates eſſe conſtituerunt. „

Atque hæc, uti quidem arbitror, ſufficiunt ad demonſtrandum, quòd Epiſcopi à Cauſis, quas *Majores* vocare Romanis placuit, non ſolùm non excludantur, ſed ex contrario potiorem in eis partem habeant, atque inde ab origine Eccleſiæ habuerint; quòd proinde ſummo Pontifici in his, ſicut in aliis (Primatu ſemper ſalvo) jure divino nihil ſingulare competat; ſed ne humano quidem, niſi in quantum id Eccleſiæ viſum fuit; quippe quæ omnibus his diſciplinæ inſtitutis ſuum dat eſſe & perdurare.

§. VI.

De Cauſis Majoribus univerſim.

Quæ à Febronio de ſingulis Cauſis Majoribus, & adverſùs prætenſas earundem reſervationes toto Capite IV tra-

dita & probata ſunt, ea Italus *à pag.* 130. *usque* 143. per media generalia diluere, & per hoc ſaluti ſui Syſtematis conſulere conatus eſt. Nos ejus argumenta hìc fideliter exponemus & ponderabimus. Et pro

Primo quidem ac principali fundamento ſuo ponit verba Benedicti PP. XIV. in ſuo Tractatu de Synodo Lib. I. Cap. 4. ubi, *Quoad poteſtatem jurisdictionis*, ait, *quæ jus adfert beneficia conferendi, cauſas audiendi, & cenſuras ferendi, ac cætera præſtandi, quæ ad ſubjecti gregis regimen ſunt neceſſaria; quæſtio eſt, inter Tridentinos Patres ſummâ contentione jam diu agitata, nec definita, de quâ Card. Pallavicinus Hiſt. Concil. Trid. Lib.* 18. *Cap.* 14. *& Lib.* 21. *Cap.* 11. *&* 13., *an Epiſcopi illam accipiant immediatè à Chriſto, an potiùs à ſummo Pontifice. Licèt autem eorum opinio, qui etiam hanc poteſtatem immediatè à Chriſto oriri propugnant, validis fulciatur argumentis; nihilominùs tamen, & rationi & auctoritati conformior videtur ſententia oppoſita. Ratio ſiquidem MONARCHICI Regiminis, quod Chriſtus in ſuâ Eccleſiâ conſtituit, videtur expoſcere, ut totius Eccleſiæ jurisdictionis fons & origo reſideat in ejusdem viſibili Capite, qui eſt Romanus Pontifex, atque ab eo profluat in cætera membra &c.* Huic fundamento ſequentia Italus ſuperædificat.

II. „ Non vertitur unquàm quæſtio de poteſtate Primæ „ Sedis, quæ *ſumma* & ſuî ſimillima ſemper eſt, ſed de variato ejus per tot ætatum, tot locorum, negotiorúmque „ varietates *exercitio* atque *uſu.* Hæc certiſſima norma eſt conciliandæ antiquæ diſciplinæ cum novâ. Huic ſummoperè „ concordiæ ſtudendum eſt, ſi Eccleſiæ incolumitati, ſi Apoſtolicæ Sedis amplitudini proſpectum volumus. Itaque

III. „ In ſacræ poteſtatis atque autoritatis *exercitio* variatum alternatúmque fuit, non in *poteſtate*, ſive in confirmationibus, ſive in conceſſionibus, ſive in translationibus „ Epiſcoporum.

IV.

IV. „ Premit ſe nonnunquam poteſtas Papæ, nec erumpit, niſi quaſi obſtetricante charitate, vel neceſſitate, vel „ conſuetudine. Rurſum, ubi conſuetudini ſuccedit deſuetudo, non exoleſcit poteſtas, cùm ex re erit, rursùs eruptura.

V. „ Siqua poteſtas quoad exercitium dicitur devoluta „ à Conciliis ad ſummum Pontificem, non per hoc ſignificatur, ab illis ei collatam eſſe; quia multa devolvuntur ab „ inferioribus ad ſuperiores, absque quod ea ab illis his conferantur; nova tantùm *materia* exhibetur, non nova *jurisdictio* aſſignatur.

VI. „ Germanorum Theologorum eſt, diſciplinæ per „ varia tempora diſcrepantias adnotare, priſcos uſus, priſcis „ Synodis approbatos, admirari, novos noviſſimis Synodis, „ Pontificúmque (decretis) firmatos ſequi, non ex novis ca„ lumniam priſcis, ſed ex priſcis auctoritatem novis aucupari.

VII. „ Quidquid particulares Synodi decernebant, non „ ita inconcuſſum firmúmque erat, ut quandoque poſteriores „ Synodi non infirmarent, vel Principes ipſi infectum vellent. „ Contra id verò, quod Prima Sedes ſtatuerat, inferiores „ Sedes inſurgere haut poterant, & Principes ipſi religioni „ ducebant infringere. „

Hæc ſumma Italicorum argumentorum, ipsíſmet adverſarii noſtri verbis expreſſa. Advertit ille & facilè agnoſcit, non eundem poteſtatis uſum in Romanâ Sede viguiſſe; & ſi quis, ait *pag.* 138 ſuſtineat idem exercitium ſemper ubique terrarum emicuiſſe, ridebunt hæretici, & tantò magis ab unitate Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ alienabuntur, quantò eam cernent infirmioribus muniri præſidiis, & toti pugnantibus antiquitati. Conſultius ergo tutiúsque eſt, has viciſſitudines fateri &c. Dixerat tamen *pag.* 137. mores Eccleſiæ hodiernos firmandos, & conquiſitis ab omni antiquitate præſidiis commu-

munienđos eſſe. Videamus, an & quatenùs id ejus præſtent argumenta, ad aſſerendas favore ejusdem Sedis *ex jure divino* reſervationes majorum Cauſarum.

ad I. Argumentum peccat tripliciter *ab abſurdo*. Horum primum eſt, quòd Brixienſis Italus cum Proſpero Lambertino omnium in toto orbe Catholico exiſtentium Epiſcoporum juriſdictionem ex Primatu Petri, velut ex fonte originari, immediatè in ipſos diffundi aſſerat. De hoc *abſurdo* (ſic illud jure nominat Gregorius Zallwein Salisburgenſis Univerſitatis Rector) vide Joannis à Calore Apologiam prò Febronio *Art. VII.* Alterum abſurdum eſt, quòd uterque Italus pro argumento ſeu principio Papalis Monarchiæ, tantos effectus producentis, ponat thema, quod vires humani intellectûs tranſcendere rectè aſſeruit laudatus Magnificus Rector; cuique in Concilio Tridentino à pluribus Patribus ſummâ contentione & validis argumentis fuiſſe contradictum, Pallavicinus & Lambertinus non potuerunt diffiteri. Tertium, quòd Brixienſis totam ſuam Majorum Cauſarum machinam lubrico huic divinæ & abſolutæ Monarchiæ fundamento ſuperædificet, quo ruente, illa neceſſariò collabitur: ponit nempe pro fundamento, quod eſt in quæſtione; & in quali quæſtione? ut in eà, quâ hodie luce hæ res ſunt, de tam abſurdis ne quæſtio quidem deberet ampliùs moveri. Ex his reflexionibus fluit reſponſio

ad II. Etenim hoc argumentum non procedit niſi ex ſuppoſito præcedentis. Utique ſi amplitudini Sedis Apoſtolicæ, ex ſenſu modernorum Romanorum & Italorum noſtrorum, proſpectum volumus, oportebit ſupponere, quòd illa *de jure* obtineat & ſemper obtinuerit, non ea ſolùm, quæ prætendit hodie, ſed quæ unquam prætendit aliàs, etiam in maximè turbidis Eccleſiæ ſæculis; quòdque Papæ nunquam valeat objici eum in jure petere *nimium*, quippe cui debentur omnia,

Digitized by Google

omnia, quódque Epiſcopi & quicunque alii, ſaltem quoad *uſum* & *exercitium*, ſua ab illo *precariò* obtineant. Etenim, uti dicit noſter, Prima Sedes ſemper *ſumma* eſt & *ſui ſimilli-ma*, & non variavit *niſi in uſu*. *Summa* utique eſt ex ordinatione divinâ, ſcilicet comparativè, ſed non *ſola*. Sic ad Eugenium Papam S. Bernardus Lib. III. de Conſiderat. Cap. 4. *Erras, ſi ut ſummam, ita & ſolam inſtitutam à Deo veſtram Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas.* Sua ſunt Epiſcopis, ſua Pontifici jura propria, alia ex jure divino, alia ex humano, illa ſibi ſemper conſtant, hæc mutationibus obnoxia; Eccleſiæ jura omnia perpetua ſunt: quippe cui mundus nihil affricare, ſed nec quidquam auferre valet.

ad III. In Epiſcoporum confirmationibus, depoſitionibus, translationibus, ſummatim in diſciplinâ omnium vulgò dictarum Cauſarum Majorum, variatum fuiſſe, non potuit negare Italus; quâ nunc occaſione, quibus mediis, quibúſque cauſis citiùs in uno, ſeriùs in altero puncto variatum fuerit, hactenùs dictum eſt de ſingulis. Originariè & primis Eccleſiæ temporibus ad Ordinem Epiſcoporum ea pertinuiſſe vidimus; horum jura œcumenica & alia Concilia majora, non multò poſt redditam Eccleſiæ pacem celebrata, ſolùm declarârunt, non fundârunt & conſtituerunt. Quis modò tam circumſcripti animi erit, ut ſuſtineat, ex beneficio Petri talia egiſſe Apoſtolos, ex indulgentiâ Papæ Epiſcopos. Rectè ſtatuit noſter Brixienſis pag. 142. *nihil in hoc argumentorum genere validius, quàm aliquid oſtendere à priori* ET A POSTERIORI. De argumento *à priori* in hâc materiâ ſatis actum alibi; hîc de argumento *à poſteriori*; at ab hoc argumento, ſicut certum eſt, omnia, quæ prædiximus, inde ab Eccleſiæ primordiis non fuiſſe gubernata tanquam reſervata ſummi Pontificis, ita claret, tantum abeſſe, ut ex illis valeat illatio fieri ad ſtatum Ec-

 cleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ monarchicum, ut contrarium potiùs inde reddatur manifeſtum. Fuit haud dubiè Rom. Pontifex ſubjeſtum capax illorum jurium exercendorum, ita, ut Eccleſia, in eo perſonam Petri honorando, poſt longa annorum curricula, illorum exercitium illi ſeu ſimpliciter, ſeu ad tempus, ſeu privativè, ſeu cumulativè cum Synodis Provincialibus, permittere potuerit, uti aſtu in aliquibus, non tamen in omnibus, permiſit; verùm neque debet neque valet eapropter ſuſtineri, quaſi Papa in vim ſui Primatûs, & tanquam aliquid huic inhærens, illa potuerit ab Eccleſiâ exigere, ſibíque ea, utcunque invito Epiſcoporum Collegio, vindicare, aut ex his concludere ad colorandam abſurdam illam prætenſionem, de quâ ſuprà ad I. quæ quaſi baſis eſt totius hujus negotii. Conf. Joan. à Calore in Apologia Febr. *Art. XII.*

ad IV. Quis occultavit aut preſſit vim Pontificiæ poteſtatis, quando canon IV. Nicænus jus confirmandi electiones Epiſcoporum & de earum legitimitate cognoſcendi declaravit pertinere, non ad Papam, ſed ad Metropolitanum cum ſuâ Synodo? Quis, dum Concilium Antiochenum can. XV. omnes Epiſcoporum & Clericorum cauſas Synodo Provinciali ita transcripſit, ut non detur ab ejus judicio appellatio? Quis, quando Epiſcopi Africæ in cauſis appellationum Cœleſtino Papæ reſcripſerunt, ſe Nicænis quidem conſtitutionibus parituros, minimè verò RR. Pontificum eâ de re decretis? Quis, cùm Canon Carthaginenſis IV. prohibitam in regula Epiſcoporum Translationem propter Eccleſiæ utilitatem à Synodo Provinciæ authorizari poſſe declaravit? Cæterùm quando charitas aut neceſſitas, quæ non habet legem, erumpit, poteſt utique Pontifex extra ordinem quod in & ex ordinariâ ſuâ poteſtate non valet; hoc ſubinde etiam poteſt quilibet Epiſcopus; ſed ex alio longè capite ac titulo, quàm abſolutæ & monarchicæ

chicæ poteſtatis. De hujus extraordinariæ poteſtatis, in lege charitatis fundatæ uſu & reſpectivè abuſu vide ritè tractantem Thomaſinum apud Juſt. Febronium *Cap. III.* §. 2. *n.* 4. *ſecundæ edit.* Verùm ſic non poteſt dici *preſſa* poteſtas Papæ cùm non niſi *ordinaria* ſe ſe exerit; rectè verò *erumpit*, quando *extraordinariæ* locus fit: ſcilicet in caſu urgentis neceſſitatis vel evidentis utilitatis.

Quid & quantum in hâc materiâ valeat conſuetudo, expoſuit Febronius *Cap. VIII.* §. 6. Cùm autem ſub titulo conſuetudinis infiniti latere poſſint, & omni ævo latuerint abuſus in Eccleſiâ, ſic ea contra illos reclamare nunquam deſtitit, nec etiamnum ceſſat. Vid. Febron. *Cap. VI.* §. 15. Theodorus à Palude in *Floribus ſparſis ad Febr. Cap. VIII.* §. 4. Quare ſuccedentibus ſibi conſuetudinibus non ſimpliciter fidendum eſt, ſed videndum, num fortè ſub eis lateant uſurpationes & abuſus diſciplinæ noxii.

ad V. Si *per devolutionem* Italus hìc intelligat caſus particulares, in quibus illo, cui jus eſt actum ponendi, negligente aut impedito, *exercitium* ejus pro illâ vice devolvitur, plerumque ad ſuperiorem, quandoque ad inferiorem; inveniet argumenti ſui ſolutionem in Tomo II. Febroniano, tum in *Reſponſione ad Epiſtolam Ladislai. Lit. H.* tum in *Epiſtola de Subtractione Obedientiæ* §. *XIV.* Si verò nomine devolutionis talem *juris translationem* denotare intendat, quæ veram ejus alienationem importat, certum eſt, quòd in hoc ſenſu multa ab Epiſcopis & particularibus Synodis ad Pontificem devoluta fuerint; verùm ad cognoſcendum de horum valore & ſubſiſtentiâ, non ſufficit inſpectio ſola ſubjecti & perſonæ capacis, in quam talia jura (Ex. gr. Epiſcopalia, & quæ pro talibus per multa ſæcula ab omnibus habita ſunt) transferuntur; ſed ſupereſt, ut videatur, num hæ translationes (præſertim ſi non

cumu-

cumulativæ, ſed *privativæ* eſſe prætendantur) factæ fuerint de conſenſu eorum, quorum intereſt, an non repugnent bono Eccleſiæ, an ſint perpetuæ vel revocabiles &c. De omnibus his conſulendus Joannes à Calore *Art. XIII.*

ad VI. Eſt utique germanorum Theologorum & Canoniſtarum obſervare & notare mutationes diſciplinæ. Hoc, ſi quiſquam alius, diligenter præſtitit Febronius. Ad eorum officium non minùs pertinet, ſcrutari *cauſas & occaſiones*, quibus hæ mutationes evenerunt. Sed & in hoc ſtudioſum ſe exhibuit idem Auctor toto ſuo Opere, præſertim *Cap. III.* Privati ſanè Theologi eſt modernos Eccleſiæ uſus *in praxi* ſequi; verùm hoc non impedit, quominùs ille in ſcriptis ſuis laudet & imitetur Patres, qui in Conciliis Conſtantienſi, Baſileenſi & Tridentino pro reformatione Eccleſiæ, licèt necdum optato cum fructu, laborârunt; & quominùs cum Cardinale Lotharingo, & conſentiente ei in Tridentino Patrum turba, pro viribus laboret, ut *antiqui* reſtituantur ac *ſerventur canones*, *præſertim primarum quatuor Synodorum.*

ad VII. Quàm parum firma ſint, quæ Prima Sedes adversùs genuinos Eccleſiæ canones olim ſuſcepit & attentare pergit, jam dictum eſt hujus Capitis §. 2. Utraque poteſtas inſurgit adversùs noviora Romanorum inſtituta. Inde ſpes magna, futurum, ut (concordantibus & cooperantibus hunc in finem Epiſcopis & Principibus) omnia ſucceſſivè reducantur ad ſtatum canonicum, priſtinum & legitimum, quantum id patiuntur mutatæ rerum politicarum in Europâ circumſtantiæ, idque etiam abſque omni Concilio Generali. Quanta inde Eccleſiæ bona, quod decus!

TITU-

TITULUS IV.

De legum in Eccleſia ferendarum poteſtate; & de ſummi Pontificis circa eas officio ac jure.

§. I.

Non eſt in poteſtate ſummi Pontificis novum jus condere.

Hujus thematis fundamenta jam jacta ſunt *Tit. I.* §. 5., ex quibus generatim concluditur, Romano Pontifici vigore ſui Primatûs, ſecluſo conſenſu Eccleſiæ, non competere authoritatem ferendi leges, quibus omnes fideles obligentur. Hic eandem ſententiam firmabimus imprimis teſtimonio graviſſimorum Theologorum, tum conſenſu ſacrorum Canonum, demum exemplis & uſu Eccleſiæ.

De hoc argumento ita tempore Concilii Conſtantienſis celeberrimus Gerſon *de Poteſtate Eccleſiaſticâ Conſid. IV. Tom. II. col.* 232. „ Eccleſia poteſt condere leges obligantes & regulantes etiam ipſum Papam, tam quoad perſonam, quàm „ reſpectu uſûs poteſtatis: non ſic econtra poteſt Papa judicare totam Eccleſiam, vel uſum ſuæ poteſtatis limitare. Imò „ ſi Papa condat leges & canones, videtur obſervandum illud, quod ſententialiter dicit Auguſtinus: *Leges inſtituuntur, cùm promulgantur, firmantur, cùm moribus utentium approbantur:* hoc enim dicitur ad reprimendam præſumptio-

„ nem quorundam ſummorum Pontificum, vel eis adulan-
„ tium, qui videntur voluiſſe debere ſervari pro regula im-
„ mutabili de Papa reſpectu totius provinciæ vel totius Ec-
„ cleſiæ; *quod placuit Principi legis habet vigorem:* quaſi nul-
„ lum ſupereſſet examen ſupremum. „

Eodem tempore Franciſcus Zabarella, celebris & doctiſſimus Cardinalis, natione Florentinus, in ſuo *Tractatu de Schismate pag.* 559 „ Mos, inquit, inter antiquos obtinuit,
„ quòd omnia difficilia per Concilium terminabantur, & cre-
„ brò fiebant. Poſtea verò quidam ſummi Pontifices, *qui*
„ *magis ad modum terrenorum Principum, quàm Apoſtolorum,*
„ *Eccleſiàm rexerunt*, non curârunt facere Concilia: ex quâ
„ omiſſione prodierunt multa mala. Ex hoc apparet, quòd
„ id, quod dicitur, *quòd Papa habet plenitudinem poteſtatis*,
„ debet intelligi, non ſolus, ſed tanquam ad univerſitatem:
„ *ita quòd ipſa poteſtas eſt in univerſitate, tanquam in funda-*
„ *mento, & in Papâ tanquam in principali Miniſtro*, per quem
„ hæc poteſtas explicatur.„ Et paulo pòſt *pag.* 560. „ Multi
„ aſſentatores voluerunt placere Pontificibus per multa retrò
„ ſæcula, & usque ad hodierna ſuaſerunt eis, quòd omnia
„ poſſent. Ex quo infiniti ſecuti ſunt errores, quia Papa oc-
„ cupavit omnia jura inferiorum Prælatorum; ita quòd infe-
„ riores Prælati ſunt pro nihilo..... Oportebit determinare
„ Papæ poteſtatem, ut non ſubvertantur inferiores Poteſtates:
„ & ut Papa poſſit, non quod libet, ſed quod licebit.„

Tempore Concilii Baſileenſis Card. Cuſanus *Lib. II. de Concordantiâ Cap.* 9. „ Eccleſiaſtici canones non poſſunt niſi
„ per Eccleſiaſticam Congregationem, quæ Synodus vel
„ cœtus dicitur, ſtatui, & ideo niſi, quicunque ille fuerit,
„ aut Papa, aut Patriarcha, decreta ſecundùm canones eccle-
„ ſiaſticos promulgaverit, non poſſunt illa ſtatuta canones aut

„ eccle-

„ eccleſiaſtica ſtatuta vocari, & nihil habent firmitatis cujus-
„ cunque particularis ſtatuta, *niſi in quantum per acceptatio-*
„ *nem & uſum ſeu conſenſum confirmantur*, *ſeu Canonibus con-*
„ *ſentiant*. Unde textus Leonis Papæ, de Epiſtolis ſuorum
„ prædeceſſorum 19. *Diſt. Cap. Si Romanorum*. & Damaſi Pa-
„ pæ 25. *Quæſt*. 1. *Can. Omnia*. loquuntur de Decretalibus &
„ Epiſtolis de canonum diſciplinis promulgatis. „ Idem *Ca-
pite* 12. *ejusdem Libri:* „ Ille textus Nicolai Papæ, Gelaſii,
„ & aliorum, *qui dicunt*, *ſub obligatione obligare decreta per*
„ *Romanum Pontificem promulgata*, pro correctione morum
„ & diſciplinæ, intelligi debent ſecundùm Hincmarum ſubti-
„ liſſimum Archiepiſcopum Rhemenſem (cujus laudes idem
„ Nicolaus Papa *II. Quæſt*. 3. *Can. Excellentiſſimus*„ extollit)
„ *de promulgatis*, id eſt, quæ Papa vulgò promit de diſcipli-
„ nis ſacrorum Canonum, vel ipſius Synodi Apoſtolicæ, quæ
„ Sedes Apoſtolica ſæpè dicitur, cujus Papa os eſt. „ Demùm
Cap. 20. *ejusd. Libri II.* „ Sic Leo Papa ad omnes Epiſcopos
„ per univerſas Provincias conſtitutos, de omnium prædeceſ-
„ ſorum ſuorum Epiſtolis dicit: Omnia decretalia inſtituta,
„ tam à beatæ recordationis Innocentio, quàm aliorum om-
„ nium prædeceſſorum, *quæ in eccleſiaſticis ordinibus & cano-*
„ *num promulgata ſunt diſciplinis*, ita veſtram dilectionem cu-
„ ſtodire debere mandamus, ut, ſi quis in illa commiſerit,
„ veniam ſibi deinceps noverit denegari. *XIX. Diſt. Can. ſi*
„ *Romanorum*. Similiter loquitur Damaſus Papa, ùt habetur
„ 25. *Quæſt*. 1. *can. Omnia*. Et Hincmarus, contra Laudu-
„ nenſem hanc Epiſtolam pertractans, dicit advertendum,
„ quòd promulgare eſt vulgare eſt vulgò promere: & non
„ dicunt illi Pontifices *de ſimplici Legum vel Canonum promul-*
„ *gatione*, *ſed de Decretalibus de canonum diſciplinis promulga-*
„ *tis;* unde quando obviant canonibus, potiùs canonibus eſt

 „ obedien-

„ obediendum. *Diſt XIX. can. Ita Dominus. V. Hoc autem.*
„ & *Can. ſecundum, V. Quia ergo.*, ubi probatur majoris eſſe
„ authoritatis veterum canones, quàm Romanorum Pontifi-
„ cum decretales obviantes canonibus. „

Jacobus Almainus *de Authoritate Eccleſiæ Cap. VII. Opp. Gerſonii Tom. II. col.* 993. „ Si ſummus Pontifex habeat ju-
„ risdictionem ſuper totam Eccleſiam categorematicè: ergo
„ poterit in illud totum, etiam invitum, aliquam jurisdictio-
„ nem exercere. Conſequentia patet; quia poteſtas jurisdi-
„ ctionis fori exterioris in invitum exerceri poteſt: & falſitas
„ conſequentis probatur: Non poteſt illud totum categore-
„ maticè excommunicare aut interdicere, ùt notum eſt: *nec*
„ *ad aliquid ipſo renitente illud obligare*; ùt patet per illud Au-
„ guſtini: *Leges inſtituuntur, cùm promulgantur, firmantur,*
„ *cùm moribus utentium approbantur.* „

Cum his in ſubſtantiâ concordat Univerſitatis Salisburgenſis Rector Gregorius Zallwein in *Principiis Juris Eccleſiaſtici Tom. I. Quæſt.* 4. *Cap.* 2. §. 7. *pag.* 393. ubi: „ Accepta-
„ tio legum Eccleſiaſticarum, non quidem ex parte *ſubditorum*,
„ ſed *Epiſcoporum*, neceſſaria eſt. Cùm enim in Eccleſia de-
„ tur *Regimen Ariſtocratiâ temperatum*; cùm Epiſcopi ipſo
„ jure Divino ſint tales, & in partem ſollicitudinis vocati,
„ cùm Regimen Eccleſiæ datum ſit in ædificationem magis,
„ quàm deſtructionem, atque adeo debeat eſſe mite, manſue-
„ tum, charitate & humilitate plenum, non turbulentum,
„ aliorum juribus præjudicioſum, moribus, genio ac ingenio
„ hominum attemperatum, cùm ipſa Eccleſia ſit diffuſa per
„ totum terrarum orbem, & Pontifex non poſſit noſſe neceſ-
„ ſitates, conſuetudines, & obſervantias Eccleſiarum parti-
„ cularium, mores, genium ac ingenium hominum, adeó-
„ que ignoret, an lex optatum fructum ſit obtentura, pro-

„ fectò

Digitized by Google

„ fectò videtur omnibus ſimilibus legibus vel ex ipsâ naturâ „ rei, vel inſtitutione Chriſti tacitè imbibita eſſe conditio, ſi „ Epiſcopi acceptaverint, & acceptandum judicaverint .... „ Loquimur, inquam, de acceptatione *Epiſcoporum*, quos „ Deus unà cum Pontifice *conſtituit regere Eccleſiam Dei* .... „ Præterea undénam venire putamus, quòd plures leges Pon„ tificiæ apud nos in Germaniâ & alibi vim obligandi non ha„ beant, niſi quòd non ſint acceptatæ? Profectò huic ſen„ tentiæ hodierna praxis Germaniæ ſat apertè ſuffragatur: „ quotusquisque enim Epiſcoporum Conſtitutiones & Bullas „ Pontificias à præced. fel. mem. Pontifice (Benedicto XIV.) „ transmiſſas omnes & ſingulas acceptavit? &c. „

Quia non ſemper Concilium congregari poteſt, Pontifex Leges aut Canones condit *in actu primo*, ùt loquuntur Scholaſtici: actus autem *ſecundus*, id eſt, *formalis* & *actualis cauſa obligandi*, ab Eccleſiæ conſenſu dependet. Etenim Canones & Leges eccleſiaſticæ non ab uno Epiſcopo privatim, ſed ab Eccleſiâ verè aut interpretativè, explicitè aut implicitè conduntur. Ex quo fit, ut Papa Chriſtianos ullâ lege aut conſtitutione obligare nequeat, ſeclusâ Eccleſiæ approbatione ſeu conſenſu. Quamobrem Clerus Romanus Epiſtola XXXI. inter Cyprianicas ſcribit pag. 44. nov. edit. *firmum decretum eſſe non poſſe, quod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum.*

Quæſtio, quam hìc tractamus, agitata fuit anno 865. inter Nicolaum I. Rom. Pont. & Epiſcopos Galliæ. Utriusque partis argumenta referuntur in can. *Si Romanorum.* 1. *Diſt. XIX.* Scripſerant Galliæ Præſules Nicolao Pontifici, Paparum Decretales atque Bullas nequaquam obligare, niſi in quantum conformes ſunt canonum diſciplinis ac Conciliis antè receptis & approbatis. Dicit ex adverſo Nicolaus, Decretales Romanorum, quanquam Codice canonum minimè con-

tineantur, vim habere obligatoriam. Hoc quidem voluit eodem canone perſuadere Nicolaus Galliarum Epiſcopis; verùm horum replica & exemptio ipſimet canoni inſerta legitur, ſicque à Nicolao refertur: *Quanquam quidam veterûm ſcripſerunt, haud illa Decretalia priſcorum Pontificum in toto canonum Codicis Corpore contineri deſcripta.* Et aliquanto pòſt: *Si ideò non eſſe Decretales Epiſtolas priſcorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in Codice canonum non habentur deſcripta &c.* Quibus ex verbis ſatis apparet, laudatos Epiſcopos cenſuiſſe, Decretales RR. PP. non obligare, præterquam ſi Conciliis & Canonibus in Codice Canonum contentis, atque per hoc in Eccleſia receptis, congruerent. Sed neque his contrarius eſſe videtur Nicolaus ipſe, quando eodem canone *V. Quoniam.* hunc in modum ex S. Leone diſſerit: „ Quoniam „ inter ipſos canones unum B. Leonis Capitulum conſtat eſſe „ permixtum, quo ita omnia decretalia conſtituta Sedis Apo- „ ſtolicæ cuſtodiri mandantur, ut ſi quis in illa commiſerit, „ noverit ſibi veniam denegari; ait enim Capite decimo ſua- „ rum Decretalium: *Ne quid verò ſit, quod prætermiſſum à no-* „ *bis fortè credatur, omnia decretalia conſtituta, tam B. recor-* „ *dationis Innocentii, quàm omnium Deceſſorum noſtrorum,* „ *quæ de Eccleſiaſticis Ordinibus, & Canonum PROMULGA-* „ *TA ſunt diſciplinis, ita à veſtrâ Dilectione cuſtodiri manda-* „ *mus, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi noverit denega-* „ *ri.* „ Hæc verba S. Leonis (quæ etiam leguntur in Pſeudo-Damaſi *Canone* 12. *Cauſ. XXV. Quæſt.* 1. & à nobis etiam paulò antè ex Card. Cuſano relata ſunt) ex ejus Epiſtola 3. ad Epiſcopos per Campaniam &c. & univerſas provincias conſtitutos deſumpta, explicatè demonſtrant, Pontificum Decretalia non niſi *publicata*, id eſt *recepta*, authoritatem obtinere. Sanè hujus vocis *Promulgata* explicationem pluribus proſequitur

Digitized by Google

tur Hincmarus Remenſis in Opuſculo LV. Capitum adversùs Hincmarum Laudunenſem, qui ex Pontificum Epiſtolis plura delibaverat, quibus probaret, neminem iis obedientiam ſine temeritatis nota poſſe detrectare, atque adeo Remenſem Præſulem hujus criminis reum traduceret. Operoſiùs igitur *Tom. II. Opp. pag.* 413. *ſeq.* inquirit iſte in vocis etymon, collatis veterum eâ de re ſententiis. *Promulgo*, ſcribit ita dici, quaſi *promo vulgo*, ſive *primùm in vulgus edo.* Unde, inquit, „ Paulus in Gloſſis ſuis dicit hoc modo: *promulgari leges dicuntur, cùm in vulgus eduntur* .... Iſidorus quoque, ùt ipſe „ dicit, autore Tullio expoſuit dicens: *Promulgatum eſt foras prolatum*; *ùt lex dicitur promulgata: promulgatum autem ad omnium notitiam & totius vulgi intimatum.* „ Differentiam verò ſensûs, addit Hincmarus, inter divulgata & provulgata ſeu promulgata, enucleatores verborum hanc voluerunt eſſe, ut *divulgata* ſimpliciter tantùm dicantur ad notitiam omnium prolata, *provulgata* verò vel *promulgata* ita intelligantur ad omnium notitiam deprompta ut ſine refragatione ab omnibus ſerventur. Unde Petrus Couſtant in eruditâ Præfatione ad Epiſtolas Romanorum Pontificum §. 42. de hoc loco S. Leonis tractans, rectè ait, *Leonem ea TANTUM commemorare deceſſorum ſuorum decreta, quæ promulgata ſunt.* Ideo etiam ſæpeſatus Nicolaus Pontifex non ſimpliciter aſſerit Decretalibus epiſtolis deberi ſubmiſſionem, ſed tantummodo urget *Decretales Romanorum Pontificum DISCRETIONE MAGISTRA recipi debere.* Non minùs diſtinctè hâc de re mentem ſuam aperit S. Leo in Epiſtolâ ſuâ X. ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis ſcribens, Cap. 2. *Non nova inſtituentes, ſed vetera renovantes; ut in ſtatûs conſuetudine, quæ à noſtris patribus nobis eſt tradita, perduremus.* Id ipſum profitetur Innocentius I. in Epiſtola II. ad Victricium, ubi num. 2. *propter eos,* inquit,

inquit, *qui vel ignorantiâ vel deſidiâ non tenent eccleſiaſticam diſciplinam, & multa non præſumenda præſumunt, rectè poſtulâſti, ut in illis partibus iſtiusmodi, quam tenet Eccleſia Romana, forma ſervetur: non, quòd nova præcepta aliqua imperentur, ſed ea quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſervari cupiamus, quæ tamen Apoſtolicâ & Patrum traditione ſunt conſtituta.* Eodem quoque ſenſu ad Conſtantium Aug. ſcripſit Liberius Papa Epiſt. IV. n. 3. *Nunquam mea ſtatuta, ſed Apoſtolica, ut eſſent ſemper firmata & cuſtodita, perfeci, ſecutus ordinem morémque Majorum.* Vides hìc lector differentiam inter ſtatuta *Pontificis*, & inter *Apoſtolica.* Ad hanc Liberii Epiſtolam ſequentia notat Petrus Couſtant in Præfatione ad Epiſtolas RR. PP. §. 39. „ Præclara verò æquitatis „ regula! quam ùt à majoribus ſuis ſervatam Liberius teſtatur, ita & ab omnibus, ſi Eccleſiam verè amant, ſervari „ decet. Sua ſibi jura quique retineant, non invadant in „ aliena: de ſuâ auctoritate nihil detrahi per ſocordiam ſinant, „ nihil eidem per dominandi libidinem addi velint. „

Exempla, quibus ſæpe Epiſcopi Romanis Pontificibus univerſalem leges in Eccleſia ferendi poteſtatem contradixerunt, dedimus *Cap. I.* §. 5.

Hiſce contraria Viator Italus *à pag.* 146. *ad pag.* 165. non pauca protrudit, ſed quæ, plerumque in petitionibus principii conſiſtentia, reſponſum haud merentur. Tres quas ille allegat, RR. Pontificum Epiſtolas, excipimus; has nunc propiùs juvat intueri. *PRIMA* eſt Siricii Papæ de anno 385. ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem, in quâ ita Cap. XV. *Hæc quæ ad tua reſcripſimus conſulta, in omnium Coëpiſcoporum noſtrorum perferri facias notionem . . . . quatenùs & quæ à nobis non inconſultè, ſed providè . . . . ſunt ſalubriter conſtituta, intemerata permaneant. ALTERA* Innocentii I. ad Decentium Epiſco-

Epiſcopum Eugubinum anni 416, ubi num. 2. *Quod à Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari, nec ſuperinduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde videatur accipere exemplum .... Si qui à Romanæ Eccleſiæ inſtitutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas, ut ſcire valeamus, qui ſint, qui aut novitates inducunt, aut alterius Eccleſiæ, quàm Romanæ, exiſtimant conſuetudinem eſſe ſervandam.* Demum *TERTIA* Gelaſii Papæ, data anno 495. ad Epiſcopos Dardaniæ; in eâ ſcribit Pontifex, quod *Sedes B. Petri jus habeat reſolvendi quorumlibet ſententiis ligata Pontificum, utpote cui de omni Eccleſiâ fas eſt judicandi, neque cuiquam de ejus judicare judicio; ſiquidem ad illam de quâlibet mundi parte canones appellare voluerint, ab illâ autem nemo ſit appellare permiſſus.* Verùm

I. Siricius reſpondet ad poſtulata, quæ ejus prædeceſſori Damaſo propoſita fuerant. Nihil in his *novi* ſtatuit Pontifex, ſed reponit tantùm & declarat, quæ ad rem erant ex ſacris canonibus jam antè promulgatis. Sic loquitur in eadem Epiſtola Cap. XIV. „ Nunc fraternitatis tuæ animum ad ſervandos canones, ad tenenda decretalia conſtituta magis ac magis incitamus, ut hæc quæ ad tua reſcripſimus conſulta in omnium Coëpiſcoporum noſtrorum perferri facias notionem .... Et quanquam ſtatuta Sedis Apoſtolicæ vel canonum veneranda definita nulli Sacerdotum Domini ignorare ſit liberum: utilius tamen eſt .... ſi ea, quæ ad te ſpeciali nomine ſcripta ſunt, in univerſorum fratrum noſtrorum notitiam perferantur, quatenùs &c. „ Ad ſummi Pontificis officium præprimis pertinet cura canonum, hoc munus hîc explet Siricius, novam legem non condit; ſed reſpondet ex jure conſtituto.

II. Quæ ad Epiſtolam Siricii obſervamus, eadem & Innocentianæ conveniunt. Agitur in hac de uſuum Eccleſiaſticorum varietate, ortâ ex neglectu traditionum. Sic Epiſtolam orditur Pontifex: „ Si inſtituta Eccleſiaſtica, ùt ſunt à beatis „ Apoſtolis tradita, integra vellent ſervare Domini Sacerdo- „ tes; nulla diverſitas, nulla varietas in ipſis Ordinibus & „ Conſecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque, non „ quod traditum eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit; hoc æſtimet eſſe „ tenendum, inde diverſa in diverſis locis vel Eccleſiis aut „ teneri aut celebrari videntur, ac fit ſcandalum populis, qui „ dum neſciunt traditiones antiquas humana præſumptione „ corruptas, putent ſibi aut Eccleſias non convenire, aut ab „ Apoſtolis aut apoſtolicis viris contrarietatem inductam. „ Exponit in Epiſtolâ Pontifex, quid in Romanâ Eccleſia ſervetur circa varia Eccleſiaſtica inſtituta: circa oleum conſecratum, infantibus per ſolum Epiſcopum, circa oleum infirmorum etiam à presbyteris adminiſtrandum, circa jejunium ſabbati &c. Dein in ſuâ qualitate quà Primas, imò quà Patriarcha Occidentis, jure exigit, ut in Eccleſiis à S. Petro fundatis eadem in his & ſimilibus ad evitandam confuſionem ſervetur diſciplina, quæ ab Apoſtolis tradita, & usque eo in Eccleſiâ Romanâ ſervata fuit. Doctiſſimus Couſtantius ad hunc locum epiſtolæ ſequens ponit marginale: *Eccleſiæ OCCIDENTIS hoc ſequi debent, quod Romana.*

III. De loco ab adverſario ex Epiſtola Gelaſii deſumpto, qui totus Canoni Sardicenſi incumbit, & ex eo ſuam interpretationem accipit, prolixè egit Febronius *Cap. V.* §. 8. & 9., cui non eſt neceſſe hic addere quidquam. Sed de his pluribus agemus hujus Tituli §. 5.

§. II.

§. II.

Papa, ſi mandat, id facere debet ex Jure conſtituto.

Leges in univerſum feruntur, *Mandata* ad privatos vel ad ſingulares communitates diriguntur; at hæc eodem de fonte & ab eadem auctoritate promanant, quà illæ: unde quod in illis *quoad principium* obtinet, in his quoque locum & uſum invenit. Hoc circa mandata, quæ à Romanâ Sede prodeunt, omnium ætatum exempla comprobant; ita ut cùm Romani Pontifices aliquid mandare præſumerent, quod vel cum receptis canonibus non conveniret, vel Epiſcopis ſeu earum Eccleſiis grave eſſet, hi illicò contradicerent & obedientiam negarent. Eo ſenſu Hincmarus Remenſis nomine Caroli Calvi Imp. ſcripſit ad Hadrianum Papam: *Ergo jubete & judicate privilegio magni Petri juxta æquitatis ejus judicium, ne, ùt dicit ejus Coapoſtolus, vituperetur miniſterium veſtrum*, apud Sirmondum in Supplem. Concil. Gall. p. 273. Non multò pòſt, ſc. pag. 274. pergit Hincmarus urgere, etiam cum minis, obſervantiam Canonum, & ut cauſa (Hincmari Laudunenſis, de quâ agebatur) canonicè perageretur, *ne nos*, inquit, *& noſtros ſatis invitos ad id cogatis convertere, quod à quintâ univerſali Synodo & à Gregorio in Synodicâ ad quatuor Patriarchas præſcribitur; quod adhuc noſtris litteris ad exemplum inſerere noluimus, donec ſciamus, ſi duritiam mandatorum veſtrorum erga nos aliter ad benignitatem inflectere poterimus.* Scilicet ad dejectionem tendit decretum Synodi V. adversùs illos, qui contra ea quæ in eâdem Synodo conſtituta ſunt, agere conati fuerint, apud Harduinum *Tom. III. col.* 202. Gregorius autem Magnus *Lib. I. Epiſt.* 24. *hodie* 25. ei, quisquis ille ſit, anathema ſcribit, qui ea, quæ in Conciliis (inter

Digitized by Google

quæ generale V. nominatim complectitur) univerſali conſenſu conſtituta ſunt, ſolvere præſumpſerit. Petrus de Marca *Lib. IV. Cap.* 12. *n.* 7. Hincmarum non ſine ratione carpit, quòd quæ quinta Synodus & Gregorius pro *Fidei* definitionibus ſtatuerant, ille rebus etiam *Diſciplinæ* applicet. Rectiùs itaque docet Ill. Antiſtes Pariſienſis, in ſimili caſu ſummo Pontifici communionem & reverentiam quidem ſervandam, attamen labem, quæ Diſciplinæ ab eo inferretur, minimè admittendam eſſe. Hanc *eod. Lib. IV. Cap.* 8. *n.* 7. credit quoque fuiſſe ſententiam Ivonis Carnotenſis, cùm is Epiſtolâ 233. de negotio Inveſtiturarum & facto Paſchalis II. tractaret.

Quàm intrepidè ſæculo V. S. Hilarius Arelatenſis Antiſtes jura Metropolitica ſuæ Sedis adversùs S. Leonem M. occaſione appellationis ad ipſum à Celidonio Epiſcopo interpoſitæ tuitus ſit, & quâ animi firmitate; junctâ tamen humilitate, tanto Pontifici reſtiterit, legi poteſt in Diſſertatione Apologericâ pro Hilario Parte I. Cap. 8. 14. & 15., cujus meminit Febronius *Cap. IV.* §. 11. *n* 2. Non minùs nota eſt conſtantia, quâ S. Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſe manutenuit in poſſeſſione diœceſis Bulgaricæ, nihil territus mandatis ac inhibitionibus Hadriani II, nec intentatâ ei per Joannem VIII. excommunicatione. Vid. Natalis Alexandri *Hiſt. Eccleſ. Tom. VI. pag.* 265. *ſeq.* Sed neque hæc reſiſtentia Ignatii, neque illa Hilarii, oppoſita mandatis Pontificiis, quæ non credebant legitima, utriusque ſanctitatem minuit.

Cùm ſpuriæ Decretales Iſidori jam coepiſſent plura ſanctæ Sedi reſervare, triginta Epiſcopi congregati in Synodo Duziacenſi provinciæ Remenſis anno 864. Hincmarum Epiſcopum Laodicenum gravium criminum reum depoſuerunt. Ab hujus Synodi judicio Hincmarus illegitimè Romam provocat. Papa appellationem admittit, & cauſam ad ſe avocat. Adverſùs

Digitized by Google

ſùs hoc Pontificis factum Epiſcopi Galliæ ei dirigunt diffuſam & graviſſimam Epiſtolam, in quâ hæc inter cætera: *Veniens ad nos venerabilis frater Actardus tradidit nobis Epiſtolam à veſtra Paternitate filiolitati noſtræ directam, quam cùm in Conventu noſtro fecimus recenſeri, quædam in ea invenimus, quæ ſtuporem in mentibus noſtris non mediocriter induxerunt, fecerúntque nos non modicùm dubitare, utrùm aliter putaremus, an ita illa eſſent poſita, quemadmodùm perſonabant &c.* apud Sirmondum in Supplem. Concil. Franc. pag. 274.

Aliud juris Epiſcoporum, cui nullo mandato Pontificio derogari valet, ſpecimen dederunt Epiſcopi Galliæ anno 844. in Vernenſi Synodo, quando in causâ Drogonis Epiſcopi Metenſis (quem Papa Sergius prærogativa Archiepiſcopi atque inſuper Vicarii generalis per Galliam & Germaniam diſtinguere præſumpſerat) Canone XI. ejusdem Synodi ſtatuerunt, talia ſine voto & conſenſu omnium Epiſcoporum regni à Romano Pontifice ordinari non poſſe. Unde illud ſecutum eſt, quod ea occaſione ſcripſit Hincmarus Remenſis Epiſt. XLIV. Cap. 31. *Quod* Drogo *affectu ambiit, effectu non habuit, non conſentientibus quorum intererat.*

Idem accidit Anſegiſo ſenenſi Metropolitano, cui Joannes PP. VIII. ad inſtantiam Caroli Calvi Imp. titulum Primatis per Galliam & Germaniam dederat, opponentibus ſe Patribus Synodi Pontigonenſis anni 876. atque ita efficientibus, ut effectu deſtitueretur votum Anſegiſi, ex cauſis ampIè deſcriptis à laudato Hincmaro *cit. Epiſt XLIV.*, quæ omnia eò collimant, ut monſtretur, gratiam Pontificiam Anſegiſo factam repugnare canonibus & poſſeſſioni Metropolitanorum Germaniæ & Galliæ. Adde Febronium *Cap. IV.* §. 1. *n.* 4.

Congregati fuêre anno 948. in Caſtro Moſomenſi Epiſcopi duarum Provinciarum Trevirenſis & Remenſis ad deci-

dendam litem, quæ vertebatur inter Hugonem filium Comitis Eriberti, & Artaldum, qui antè fuerat Monachus, pro Archiepiſcopatu Remenſi, quem uterque eorum ambiebat. Præſentavit Hugo Synodo litteras Apoſtolicas Papæ Agapiti II., quibus mandaverat, ut huic Eccleſia Remenſis conferretur. Examinârunt has literas Patres Concilii, & invenientes eas canonibus parùm conformes, ſine hæſitatione ſententiam tulerunt pro Artaldo. Factum ſic narrat Flodoardus in Remenſi Chronico d. an. 948. *Veniens illuc Hugo Præſul, litteras quasdam ex nomine Agapiti Papæ miſit ad Epiſcopos per Clericum ſuum, qui eas Româ detulerat, nihil auctoritatis canonicæ continentes, hoc totum præcipientes, ut Hugoni Remenſe redderetur Epiſcopium. Quibus lectis, ineuntes Epiſcopi concilium cum Abbatibus & cæteris ſapientibus, qui aderant, reſponderunt, ut quod regulariter coeptum fuerat, canonicè pertractaretur.*

Plura ejus generis referre ſuperſedeo, quæ ſparſim inveniuntur in Operibus Febronii, & Defenſorum ejus.

§. III.

Romani Pontifices toti Eccleſiæ præſunt ùt Canonum defenſores ac vindices.

Hanc eſſe prærogativam Primæ Sedis, hoc officium Primatis in univerſa Eccleſia, alibi dictum ſatis. Hoc ſtrenuè executi ſunt primorum ſæculorum Pontifices, absque quòd eo aut quovis alio titulo ſibi arrogaverint jus aut poteſtatem novarum legum ferendarum.

SIRICIUS Papa, cum ad ipſum fuiſſet delatum impium Joviniani ſcriptum, errorem ipſum & fautorem erroris anathemate confixit; ſic tamen, ut non tam judicare ſe, quàm Apoſtoli præcepto obſequi, & ejusdem judicium denuntiare profi-

profiteretur. *Apoſtoli*, inquit Epiſtola 7. n. 4. *ſecuti præceptum, quia aliter, quàm quod accepimus, annuntiabant* (Jovinianus ac ſocii) *omnium noſtrûm tam Presbyterorum & Diaconorum, quàm etiam totius Cleri, unam ſcitote fuiſſe ſententiam, ut .... qui incentores novæ hæreſis & blaſphemiæ inventi ſunt, divinâ ſententiâ & noſtro judicio in perpetuum damnati extra Eccleſiam remanerent.* Undique in litteris Siricii eadem ſpirat erga Majorum regulas obſervantia. Epiſtolâ 6 n. 2. queritur, neglectas violatáſque Ordinationum leges, dum neophiti ac nonnulli alii, quorum ſatis explorata non erat fides ac morum ſanctitas, admittebantur in Clerum. Quâ de re ſic loquitur: *Perlatum eſt ad conſcientiam Apoſtolicæ Sedis, contra Eccleſiaſticum Canonem præſumi, &* (quosdam pro his) *quæ ita ſunt à Majoribus ordinata, ut ne levi ſuſurro debeant violari, proprias quasdam novas obſervationes inducere, & prætermiſſo fundamento ſupra arenam velle conſtruere.* Atque ut gliſcenti malo quàm citiſſimè occurrat n. 5. cavet, *ne quod ſemel aut ſecundò neceſſitas intulit* (ut ſcilicet ordinaretur neophitus) *id veluti lege licitum contra Apoſtolica præcepta* uſurpetur. Ideo autem promiſcuè dicit *contra Eccleſiaſticum Canonem* & *contra Apoſtolica præcepta*, quia Eccleſiaſticus ille Canon verbis nititur Apoſtoli, neophitum vetantis ordinari.

INNOCENTIUS I. quàm in retinendis regulis Apoſtolicis diligens fuerit, oſtendit præter alias complures litteras Epiſtola ejus ſecunda, quam Victricio Rotomagenſi inſcripſit, in quâ plura veteris diſciplinæ capita collegit, quæ Victricius non modò ſervaret ipſe, ſed & finitimis etiam populis & Epiſcopis ſervanda denuntiaret; *non quo*, inquit n. 2., *NOVA præcepta aliqua imperentur, ſed ea, quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſervari cupimus, quæ tamen Apoſtolicâ & Patrum traditione ſunt conſtituta; Scriptum namque*

eſt

ad Theſſalonicenſes Paulo monente, State & tenete traditiones noſtras. Quæ verba Innocentius ex Epiſtola quinta Siricii n. 1. exſcripſit. Idem Innocentius ab Exſuperio Toloſano interrogatus, *quid de his obſervare debeat, quos in Diaconii miniſteriis aut in officio Presbiterii poſitos, incontinentes eſſe aut fuiſſe, generati filii prodiderunt:* reſpondet Epiſt. 6. n. 2. *De his & divinarum legum manifeſta eſt diſciplina, & beatæ recordationis viri Siricii Epiſcopi monita evidentia commëarunt, ut incontinentes in officiis talibus poſiti, omni eccleſiaſtico honore priventur, nec admittantur accedere ad miniſterium, quod ſolâ continentiâ oportet impleri.*

ZOSIMUS Epiſt. 5. Proculum Maſſilienſem, & Simplicium Viennenſem Epiſcopos vehementer arguit, quòd ab Epiſcopis Taurini congregatis auſi ſint id extorquere, *quod contra ſtatuta Patrum & S. Trophimi reverentiam, qui primus* (ut pro certo ponebat) *Metropolitanus Arelatenſis civitatis ex hac Sede directus eſt, concedere vel mutare, ne hujus quidem Sedis poſſit auctoritas.* Cur verò id non poſſit, rationem ſubdit: *Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxêre reverentiam.* Huic non diſpar eſt illa ejusdem Pontificis ad Heſychium ſcribentis declaratio Epiſt. 9. n. 4. *Sciet, quisquis hoc poſtpoſitâ Patrum & Apoſtolicæ Sedis auctoritate neglexerit, à nobis diſtrictiùs vindicandum, ut loci ſui minimè dubitet ſibi non conſtare rationem, ſi hoc putat poſt tot probibitiones impunè tentari.*

COELESTINUS Papa Epiſt. 5. n. 3. eodem, quo Zoſimus ſenſu: *Quisquis verò conatus fuerit tentare prohibita, ſentiet cenſuram Sedis Apoſtolicæ minimè defuturam.* Et Epiſt. 3. *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur: ſimus ſubjecti canonibus, cùm canonum præcepta ſervamus.* His ſimilia alia non pauca facilè addi poſſent.

Cum

Digitized by Google

Cum hoc jure tuendi canones quandam affinitatem habet facultas, in eis pro re natâ diſpenſandi. Verùm ab hac non debet concludi ad poteſtatem condendi canones. *Si dicis ex poteſtate diſpenſativâ Papæ in canonibus argui poteſtatem ſtatuendi, nihil concludis; quia etiam Epiſcopus diſpenſat in canonibus; nec facit diſpenſatio canonibus præjudicium:* ita Cardinalis de Cuſa de Concordantia Cathol. Lib. II. Cap. 20. pag. 729. Quâ de re plura vide apud Gibert *Corp. Jur. Canon. Tom. II. pag.* 102. *ſeqq.* Ad hanc diſpenſandi facultatem pertinet illa Tridentini clauſula: *Salvâ in omnibus Sedis Apoſtolicæ authoritate*, de quâ agemus *Tit. V.* §. 4. Ex ea proinde Doctor Kauffmaus in Præfat. ſecundæ edit. *pag.* 11. perperam arguit, Concilia generalia ſummo Pontifici ſubeſſe.

§. IV.

Romanæ Sedis officium & ſedulitas in ſervando fidei depoſito, & in cuſtodia Apoſtolicæ Traditionis.

Depoſitum fidei cuſtodire primarium ſummi Pontificis munus eſt, atque in hoc ſe ſollicitum exhibere, non in ſuâ ſolùm particulari Eccleſiâ Romanâ, ſed & in quibuscunque aliis Eccleſiis etiam remotiſſimè diſtantibus. Ambroſius & Collegæ ad Siricium ſcribentes, hoc nominatim Eccleſiæ Romanæ tribuunt, quòd inviolatum ab eo ſervatur Symbolum Apoſtolorum. *Credatur* (inquiunt Epiſt. 8. n. 4. inter Siricianas apud Petrum Couſtant col. 671.) *Apoſtolorum Symbolo, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat.* Non exciderat Juſtiniani Imp. ævo præclara illa de Romanâ Sede opinio. Is quippe non modò in *Leg. 7. Tit.* 1. *Lib.* 1. *Codicis* ad Sedem Apoſtolicam referendum eſſe duxit, quidquid ad Eccleſiæ ſtatum pertinet, *quia Caput eſt omnium ſancta-*

rum Eccleſiarum, & *vel eo maximè*, *quòd quoties in his locis* (Orientis) *hæretici pullulârunt recto judicio illius venerabilis Sedis coërciti ſunt*; ſed & anno 536. die 16. Martii libellum Agapeto Papæ lubens dedit, in quo illud apertè profitebatur: *Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire*, *& à Patrum traditione non derivare. Quia non poteſt Domini noſtri Jeſu Chriſti prætermitti ſententia*, *dicentis*, *Tu es Petrus*, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; *hæc quæ dicta ſunt*, *rerum probantur effectibus*; *quia in Sede Apoſtolica inviolabilis ſemper catholica ſervatur Religio.* Agapet. Epiſt. 7. Neque igitur quidquam ſibi aut Sedi ſuæ præter modum arrogat Xyſtus III. cùm Joannem Antiochenum Antiſtitem ad Eccleſiæ unitatem reverſum Epiſt. 6. n. 5. ſic alloquitur: *Expertus es negotii præſentis eventu*, *quid ſit ſentire nobiſcum. B. Petrus Apoſtolus in ſucceſſoribus ſuis*, *quod accepit*, *hoc tradidit*: *quis ab ejus ſe velit ſeparare doctrinâ*, *quem ipſe inter Apoſtolos primùm Magiſter edocuit? Non hunc auditus ſermo per alterum*, *non ſermo lectus inſtruxit*, *doctus eſt cum aliis ore Doctoris. Non ſcripturæ*, *non Scriptorum*, *paſſus eſt quæſtionem*: *abſolutam & ſimplicem fidem*, *& quæ controverſiam non haberet*, *accepit.* Atque his etiam Xyſti verbis comprobatur utilitas, imò & neceſſitas Apoſtolicæ traditionis, maximè ubi aguntur graviſſimæ res, & ad fidem aut diſciplinam pertinentes controverſiæ.

Si jam ab Oriente trajiciamus in Africam, non aliam ibi de Sede Apoſtolicâ ſententiam obtinuiſſe deprehendemus. Ferrandus Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus, vir ſingularis doctrinæ laude florens, interrogatus à Severo Diacono Conſtantinopolitano, num *unus ex Trinitate Chriſtus* dicendus eſſet, ſic modeſtè reſpondit: *Loquantur & prædicent*, *quibus honor Sacerdotii docendi auctoritatem tribuit*: *nos diſcere parati ſumus*, *docere alios non præſumimus. Interroga igitur*, *vir prudentiſſime*, *ſi quid*

ſi quid veritatis cupis audire, principaliter Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem, cujus ſana doctrina conſtat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis. Juſtinianus, cujus juſſu Severus Ferrandum conſuluiſſe creditur, Hormisdam PP. ſæpius jam ac repetitis litteris ſuper ea re interrogârat, ac lentiorem in ſcribendo his urgebat verbis: *De hac intentione liberos nos properate reddere & ſecuros: hoc enim credimus catholicum, quod veſtro religioſo reſponſo fuerit intimatum.* Hormisd. Epiſt. 98. Eodem ævo Gallos de Sedis Apoſtolicæ auctoritate non aliter ſenſiſſe atque Afros, fidem facit vel una Aviti Viennenſis Epiſtola 36. De hac videatur Ill. Boſſuetus in *Defenſ. Declar. Cleri Gall. Lib. XV. Cap.* 7.

Quæ ita in Petri cathedrâ principaliter emicuit Apoſtolica fides, quam reliquæ Eccleſiæ veluti pro cynoſura habuerunt, hujus unitatem ac puritatem Petri ſucceſſores, poſtulante id univerſalis Primatûs jure atque officio, tam in Oriente quàm Occidente ſummo ſtudio & tantùm non infinitis laboribus ſervare ſtuduerunt. Inde tot per Romanos Pontifices damnatæ hæreſes, tot extincta ſchismata, quorum enumerationem hic facere ſuperfluum foret.

Quod in rebus *Fidei* præſtitêre Romani Præſules, hoc non minùs pro ſuo munere curârunt in aliis Chriſtiani orbis partibus circa receptos in Eccleſiâ Romanâ, ab Apoſtolis Petro & Paulo fundatâ, nec unquam in eâ intermiſſos uſus in obeundis Sacramentorum ac Liturgiæ ritibus, celebrandis feſtis, & in aliis id genus *Diſciplinæ* partibus. Sic à Clemente I. in *Epiſt.* 1. *n.* 44. traditiones Apoſtolicæ circa Ordinationes indicatæ & aſſertæ; à Cornelio *Epiſt.* 9. *n.* 6. firmatæ; à Siricio *Epiſt.* 10. *n.* 8. & Innocentio *Epiſt.* 3. *n.* 10. propugnatæ ſunt. Traditio circa Paſchatis celebritatem ab Aniceto & Victore ita vindicata, ut poſtquam uno omnium conſenſu definitum eſſet,

Digitized by Google

ne ullo alio, *quàm Dominico die*, *myſterium Reſurrectionis Domini unquam celebraretur*. Victor officii ſui eſſe duceret Aſiaticas Eccleſias ad unum cum Romanâ & cæteris concentum adducere. Stephanus, teſte S. Auguſtino *de Bapt. Lib. II. Cap.* 7. traditionem circa hæreticorum baptiſmum tuitus eſt. Marcellus & Euſebius, cœleſti divinóque vigore pleni, traditas ab Apoſtolis pœnitentiæ regulas ſic defenderunt, ut illos nec Maxentii tyranni furor, nec exſilii ærumnæ frangere aut emollire potuerint. Julius quàm utilem adversùs canonum circa Ordinationes violatores univerſæ Eccleſiæ operam in aſſerendis majorum ſanctionibus navaverit, ex ejus Epiſtolâ primâ, quæ eſt ad Euſebianos, perſpicuum eſt. &c.

Hæc hoc loco retuliſſe conveniebat, tum, ut quæ ad Romani Pontificis tanquam univerſalis Primatis ſublime munus circa legum eccleſiaſticarum curam pertinent, hìc non deſiderentur; tum ut ex hactenus dictis appareat, ea omnia neque ſupponere legislatoriam in illo poteſtatem, neque judiciorum propriè dictorum auctoritatem. Hoc poteſt, hoc debet ille, cui jure divino cuſtodia Fidei, Traditionis, & Canonum primariò incumbit, ut exhauſtis mediis mitioribus, & ſervatis Eccleſiæ Conſtitutionibus (quippe quæ illi dominantur) rebelles tandem reſecet à Corpore Eccleſiæ; illud autem non agat præproperè aut extra juris ordinem; quemadmodùm paulò antè laudatus S. Stephanus Papa in causâ licet juſtâ Rebaptizationis reſpectu S. Cypriani feciſſe creditur; unde inter alia à S. Firmiliano hanc exprobrationem debuit ſuſtinere: *Excidiſti te ipſum; noli te fallere &c.* Plenæ ſunt Pontificum Decretales minis ad refractarios; aſt non *quamlibet* minantur pœnam, ſed *congruam*, ùt ait Siricius Epiſt. 1. n. 19. Quo verbo quid ſibi velit hic Papa, liquidiùs explicat Cœleſtinus Epiſt. 4. in hunc modum: *Quæ enim ſolâ admonitionis auctori-*

tate

Digitized by Google

tate non corrigimus, neceſſe eſt per ſeveritatem CONGRUENTEM REGULIS vindicemus.

§. V.

Epiſtolæ Decretales quid ſint, & unde vim legis accipiant.

Ea erga Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſores ab omnibus Eccleſiis habita ſemper fuit reverentia, ut in orbe toto nihil ferè gravioris momenti evenerit, quod non ad eos ſit relatum. Hinc nominatim Afri ab Innocentio I. laudantur Epiſt. 30. n. 1. 2. quòd *antiquæ regulæ formam, quam toto ſemper ab orbe ſervatam nôrant, ſecuti, ſuper anxiis rebus, quæ tenenda eſſet ſententia*, Sedem Apoſtolicam conſuluiſſent. Quæ ad has conſultationes reddebantur Romanorum Pontificum epiſtolæ, ex illuc præſertim ſpectabant, ut catholicæ fidei dogmata vel fidelibus exponerent apertiùs, vel ut docerent præcepta morum Chriſtianæque pietatis officia, vel ut purioris diſciplinæ leges confirmarent jam ſtabilitas, vel in lapſum pronas erigerent. Sed & ea ſemper fuit Romanorum Præſulum religio, ut quæ conſulentibus reſponſa dabant, ea dirigerent ad paternarum regularum conſtituta, & (ut l. cit. ait Innocentius Papa) *ex Apoſtolico fonte ſemper manare* curarent. Porrò, cùm ante Nicænam Synodum Eccleſia Romana, & cum ea reliquus Occidens aliis diſciplinæ regulis, unâ collectione comprehenſis, uſa non fuerit, quàm ſacris Scripturis ac Traditione, ita, ut moribus & conſuetudine magis, quàm jure ſcripto, pleriſque in rebus regeretur; inde quando in monumentis primorum ſæculorum mentio fit *Canonis Apoſtolici*, id non tam de canonibus ſcriptis, quàm de publico Eccleſiæ uſu

Digitized by Google

& more per Apoſtolos tradito, intelligendum eſſe, rectè obſervavit P. Zech in *Præcognitis Juris Canonici Tit. XIII. n.* 265.

Subſecuto ævo Pontifices canonum ſcientiam atque obſervantiam commendantes, non modò *Synodorum Canones*, ſed & *Pontificum decreta* ſub nomine & rubricâ Regularum Eccleſiæ, quibus tantùm non æqua debebatur obſervantia, complexi ſunt. Sanè duo hæc ſimul commendat Siricius quando anno 385. Himerium Tarraconenſem Epiſt. 1. n. 20. *ad ſervandos canones & tenenda decretalia conſtituta* cohortatus, generale illud effatum pronuntiat: *STATUTA SEDIS APOSTOLICÆ, vel Canonum venerabilia definita, nulli Sacerdotum Domini ignorare ſit liberum.* Eadem ferè repetit Papa Cœleſtinus, qui poſtquam anno 429. ad Epiſcopos Apuliæ & Calabriæ Epiſt. 5. n. 1. ſcripſiſſet: *Nulli Sacerdotum ſuos licet ignorare Canones, nec quidquam facere, quod Patrum poſſit regulis obviare*, mox ſubjungit: *Quæ enim à nobis res digna ſervabitur, ſi DECRETALIUM norma CONSTITUTORUM pro aliquorum libito, licentiâ populis permiſſâ, frangatur?* His non obſtantibus certum manet, Decretales Pontificum Epiſtolas, cùm emanarent, *per ſe* vim legis non habuiſſe, etiam ſuppoſitâ quantâlibet ſummi Pontificis poteſtate. Hoc agnoſcunt Scriptores, etiam Romanæ Sedi addictiſſimi. Videatur inter alios Franc. Schmier *Jurisprud. Can. Civil. in Tractatu præambulo. Cap. I. Sect.* 2. *n.* 69. Sed neque tamen minùs verum eſt, easdem Epiſtolas authoritatem legis ſeu canonis univerſalis *dein* nactas eſſe; quod quâ ratione, & per quid factum ſit, nunc convenit exponi.

Hanc authoritatem aliunde repetunt ipſi Romanæ Sedis Præſules. Unde autem? Audiamus Innocentium I. qui Epiſt. 24. n. 4. rem paucis diſtinctè explicat, cùm reſponſis ad Alexandri Antiocheni conſultationes datis adjungit: *Gravitas*

itaque

itaque tua hæc ad notitiam Coëpiſcoporum, vel per Synodum, ſi poteſt fieri, vel per harum (litterarum) *recitationem, faciat pervenire, UT OMNIUM CONSENSU STUDIOQUE FIRMENTUR.* Hic duplicem obſervare eſt Apoſtolicæ Sedis decreta promulgandi modum: unum quidem, cùm Epiſcopis in Synodum coëuntibus, alterum verò, cùm Epiſcopis itidem, ſed ſingulis ac ſeorſim, denuntiata, eorum conſenſu confirmabantur. „ Ubi verò eſt conſenſus, ibi quoque deliberandi „ atque diſſentiendi facultas eſſe ponitur," ait hâc occaſione Petrus Couſtant. in Præfatione ad Epiſtolas Rom. Pontificum *n.* 47. *pag.* 50.

Pergit deinde vir doctiſſimus: „ Ipſa Innocentii verba „ non parùm illuſtrat, quod in Africâ geſtum legimus. Eò „ perlatæ & in duplici Synodo recitatæ ſunt Siricii litteræ duæ, „ in quibus, præter ſingularia quædam, & ſuburbicariis Ec- „ cleſiis propria, ſanciebantur decreta generalia. Neque reci- „ tatæ ſolùm, ſed etiam ex Epiſcoporum conſenſu receptæ „ fuêre; at non ſine temperamento. Decreto nempe, quo „ cavebatur, ne quis Epiſcopum *extra conſcientiam Apoſtolicæ* „ *Sedis* ordinaret, hanc Afri clauſulam addidêre, *id eſt Pri-* „ *matis*, ut quod ſuburbicariis Eccleſiis præſcriptum erat, ad „ ſuam ipſi conſuetudinem accommodarent . . . . "

Oſtendit poſt hæc Couſtantius, quâ ratione Pontifices Epiſcopo, ad quem *ſpeciali nomine*, ùt Siricius loquitur, generalia decreta mittebant, id negotii dare ſolerent, ut hæc ipſa decreta aliis per litteras nota faceret. Ita ſe geſſit Siricius ipſe, cùm Himmerio Tarraconenſi ſcriberet *Epiſt.* 2. *n.* 20. Innocentius I. *Epiſt.* 18. *n.* 2. latum à ſe de Bubalio & nonnullis aliis judicium Macedonibus ſignificans. Zoſimus *Epiſtolâ* 7. ad Patroclum Arelatenſem, ubi *ſcripta*, inquit, *noſtra in omnium facies notitiam pervenire.* His concinit Xyſtus III. qui *Epiſt.* 2. *n.* 6.

Digitized by Google

n. 6. Cyrillo Alexandrino de ſcriptis ad ipſum miſſis iſtud mandavit: *Hæc ad vicinorum fratrum notitiam pervenire volo per pietatem tuam; ut diſcant in re tantâ, etſi olim cuncta definita fuerint, non ceſſare tamen aut ſegnem eſſe Apoſtolicam Sedem.* Tum ſuæ cæterorûmque Sedis Apoſtolicæ Præſulum vigilantiæ cauſam hanc ſubdit: *Neque enim permittit nos quietos eſſe ab ejuſmodi curis omnium Eccleſiarum ſollicitudo.* Pluribus deinde aliis eo loco recenſitis id genus teſtimoniis, demum *pag.* 52. ſic concludit Petrus Couſtant: „Erat igitur ille, quod ſæpè iterandum „ eſt, promulgandorum Sedis Apoſtolicæ decretorum modus. „ Per optimæ probatiſſimæque fidei Clericos, vel etiam Epi„ ſcopos, mittebantur ad provinciarum Primates, niſi ad „ alios mitti ſpecialis quædam ratio ſuaderet. Tum ipſi Pri„ mates, ſive alii, quibus id negotii datum erat, eorum apo„ grapha cum Epiſcopis, vel ſingulis, vel in Synodo congre„ gatis, communicari, & *omnium CONSENSU ſtudióque*, „ ùt loquitur Innocentius, *firmari curabant.* „

Ex his concluditur & intelligitur, per quid Pontificum Epiſtolæ Decretales vim legis communis nanciſcantur: ſcilicet *per conſenſum Epiſcoporum.* Attamen non ſemper nova in ſuis Epiſtolis Papa proponit; ſed frequentiùs vetera, quæ jam ante canonis vigorem obtinuerant, inſinuat, renovat, explicat, mandat. His haud dubiè neque aſſenſus neque obſequium valet negari. Hûc ſpectant, quæ in epiſtola 135. Leo M. ad Neonem Epiſcopum Ravennatem ſcripſit; ubi *frequenter quidem*, ait, *in diverſarum ambiguo quæſtionum titubantia fratrum corda, Spiritu Dei inſtruente, ſolidavimus, reſponſionis formam vel ex ſanctarum Scripturarum diſciplinis, vel ex Patrum regulis colligentes.* Quæ ex duobus his auguſtis fontibus reverà manant Romanorum Præſulum decreta, vel ex ſe ipſis ſuâ pollent authoritate.

Præter

Digitized by Google

Præter hunc modum, alius adhuc erat Decretis Pontificum vim legis communis conciliandi; ſed iterum mediante Eccleſiarum approbatione ac conſenſu. Hoc fiebat per relationem talis decreti in Codicem Canonum ab Eccleſiis receptum. *Pontificum Epiſtolæ miſſæ ad privatas exteráſque Eccleſias ad ſedem Apoſtolicam pertinentes, robur accipiebant, atque obediendi inducebant neceſſitatem, cùm è privatis Scriniis in publicum Codicem eductæ promulgari, ac pro Decretali Conſtituto haberi cæperant*, inquit Zegerus van Eſpen Comment. in Canones Juris veteris & novi Diſſent. II. §. 3. Adde Theodorum à Palude in Floribus Sparſis ad Febr. Cap. III. § 2. Hac ratione rectè dixit Auctor *Princ. Juris Publ. Eccleſ. Cath. Cap. VIII.* §. 12. 13. Jus Canonicum, quo hodie utimur, nullâ lege expreſſâ, ſed ſolis moribus in Germaniâ ſtabilitum fuiſſe, illique tantùm eatenùs ineſſe robur, quatenus comitem habet obſervantiam, adeò quidem, ut alleganti textum, incumbat onus ſimul probandi obſervantiam.

Quando Febronius *Cap. V.* §. 2. *n.* 4. tradit Romanum Pontificem, cùm id neceſſitas vel utilitas poſtulat, poſſe leges univerſali Eccleſiæ adoptandas *proponere*; ociùs exſurgit P. Viator *pag.* 157. regerens: „Non dicit Febronius præcipere, „ mandare, leges incidere &c. ſed *proponere*. En, inquit, „ *Primatum meri ordinis*, cui Febronius meras propoſitiones „ ſive projecta concedit, non autem *intrinſecam jurisdictio-* „ *nem directivam & coactivam*, prout neceſſitas poſtulare vi- „ debitur.“ Sanè meri ordinis prærogativa non eſt, ſed permagnæ authoritatis & poteſtatis, ubi Pontifex (licèt *ad eſſe* legis ab ipſo dictata deſideretur conſenſus Eccleſiæ) poteſt, imò debet, jure ſuo, etiam *ipſe ſolus*, per totum Chriſtianum orbem fideles circa ejusdem legis intellectum inſtruere, illius obſervantiam mandare, urgere, finaliter rebelles ex præſcripto

canonum, & juxta eorum formam, à gremio Eccleſiæ abſcindere, quæ omnia jam præoccupaverat Febronius *Cap. II.* §. 4.

Titulus V.

De Conciliis generalibus.

§. I.

De neceſſitate & frequentiâ Conciliorum generalium.

„ Aliud eſt *utilitas* Concilii, aliud *neceſſitas.* Neceſſaria „ etiam eſſe Concilia ad frangendam Hæreticorum per„ tinaciam plurima confirmant Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ exem„ pla. An autem ad abſolutam firmitatem opus ſit, quæſtio „ eſt; & ajentis eſt probare . . . . Licèt quàmplurima bo„ na ſint, à Conciliis legitimis promanantia, non inde ta„ men ſequitur inſufficientia auctoritatis aut ſententiæ in Ro„ mano Pontifice." Ita Italus *pag.* 235. Et hæc ſumma doctrinæ ejus circa hanc materiam. Igitur, ut verba hæc aliquid ſignificent, neceſſarium erit *ſupponere* in Romano Pontifice inerrantiæ donum unà cum abſoluta monarchiâ; hâc ſublatâ, vel ſuppoſito illo tantum in prudens dubium vocato, totum & omne, quod ei ſuperædificatur, collabitur. Taceo, quòd *moralem* Conciliorum neceſſitatem adverſarius agnoſcat, de *phyſicâ* autem hìc agere, ne prudentiæ quidem ſit.

Teſtantur SS. Patres uno ore, Concilia ab Apoſtolis inſtituta fuiſſe ad dirimendas controverſias & reformandos mores, licèt ipſi ad ſtabiliendam fidem Conciliis non indigerent,

quia

quia erant ſinguli divino ſpiritu afflati. Ita Patres Concilii V. œcumenici, *licèt*, inquiunt, *Spiritûs Sancti gratia circa ſingulos Apoſtolos abundaret, ita, ut non indigerent alieno conſilio ad ea, quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, ſi oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati divinarum Scripturarum teſtimoniis unusquisque dicta ſua confirmârunt*, apud Harduinum Tom III. col. 188. Porro veroſimile non eſt, Apoſtolos iis præſertim temporibus, quibus fidei apud omnes gentes diſſeminandæ occupabantur, Conciliorum celebrationem præſcripturos fuiſſe, niſi eam Eccleſiæ neceſſariam judicâſſent. Ea etiam ratione Epiſcopi in ſua conſecratione juramento ſe obſtringunt, ſe, quotiescunque ad Concilia legitimè vocabuntur, ad ea acceſſuros, niſi causâ canonicâ fuerint impediti. Apparet illud quoque ex conſtanti Eccleſiæ praxi, ſiquidem ab Apoſtolis ad noſtra usque tempora in gravioribus Eccleſiæ negotiis & cauſis, ſive Diſciplinæ ſive Fidei, Concilia generalia adunata fuêre.

Verum equidem eſt, ſummum Pontificem & Paſtores per orbem diſperſos eandem obtinere authoritatem, & æque judicare poſſe de iis, quæ ad Eccleſiam pertinent, ac ſi eſſent in Conciliis coadunati; atque ideò etiam verum eſt, non ſemper opus eſſe univerſalibus Conciliis, maximè quando Eccleſia pace & tranquillitate fruitur. Sed aliquando ea perturbationibus, diſſidiis & ſchiſmatibus ita agitatur, aut ſcandalis, corruptelà & abuſibus ejus membra (ne Capite quidem excepto) ita afficiuntur, prout E. gr. contigit temporibus Conciliorum Nicæni, Conſtantienſis, & Tridentini, ut fieri omninò nequeat, quin innumeri fideles à virtute & fide deflectant, niſi Concilia habeantur. Atque ideo Euſebius *Lib. I. de Vita Conſtantini M. Cap.* 51. & S. Auguſtinus *Lib. I. contra Donatiſtas Cap.* 7. & 18. nec non *Lib. IV. contra duas Epiſtolas Pelagianorum*

rum Cap. ult. expreſſis verbis affirmant, dari aliquando controverſias, quæ aliter quàm per Synodos componi nequeant.

Sed neque medium illud, ut controverſiæ in Eccleſia ſubortæ ad ſummum Pontificem deferantur, ut ipſe eas definiat, dein ejus judicium ad Epiſcopos per totum orbem Catholicum diſperſos mittatur, ut conſentiant vel diſſentiant, ſemper ſufficit. Agnoſcunt hanc inſufficientiam ipſi Romani Pontifices: videlicet Innocentius I. in ſuà ad Clerum Conſtantinopolitanum epiſtola apud Sozomenum *Lib. VIII. Hiſt. Eccleſ. Cap.* 26. *p. m.* 361. S. Leo M. in epiſtolis 25. 54. & 72. Urbanus II. in epiſtolà Decretali ad Bibonem Tullenſem Epiſcopum apud Harduinum *Tom. VI. Part.* 2. *col.* 1662. Clemens VII. in Epiſtola ad Franciſcum I. Galliæ Regem. Paulus III. in bullà Indictionis Concilii Tridentini (vid. Febron. *Cap. VI.* §. 1. *n.* 7.) & alii plures. Ex his ſufficiat hìc referre teſtimonium Innocentii in jam memoratà epiſtolà, ubi de injuriis, perturbationibus, & contumeliis S. Chryſoſtomo illatis verba faciens ſic loquitur: *Sed quid adversùs iſta in præſenti faciemus? Neceſſaria eſt cognitio Synodi, quam & nos pridem congregandam eſſe duximus. Hac enim ſola eſt, quæ bujusmodi tempeſtatum motus ſedare poſſit.* At S. Chryſoſtomus & Clerus Conſtantinopolitanus ad ſummum Pontificem recurrerant, ùt conſtat ex eàdem epiſtolà.

Finaliter, ſi Concilia œcumenica nunquam neceſſaria ſunt, ergò fruſtra ab Apoſtolis Spiritu divino afflante inſtituta fuerunt; fruſtra etiam hucusque ab Eccleſià cum expenſis & laboribus plurimis celebrata ſunt, inanes ſunt & illuſorii tot de celebrandis Conciliis ſacri canones; iniquæ prorsùs ſanctorum & doctorum virorum querelæ de conciliorum generalium neglectu & intermiſſione, &c.

Oratores

Oratores Regis Chriſtianiſſimi, æque ac Cæſareæ Majeſtatis ad Tridentinam Synodum ablegati hæc inter alia habebant in mandatis Art. 34. *Decernat ſancta Synodus, ut non ſolùm Synodi Epiſcopales quotanno ſemel ad minimum, ſed etiam tertio quoque anno Provinciales congregentur, in quibus de his, quæ ad ſtatum Eccleſiaſticum pertinent, diligenter tractetur, de Miniſtrorum Eccleſiæ delictis maturè cognoſcatur, & in eos qui deliquerunt, ſeverè animadvertatur; & ut Concilia Generalia, niſi aliquod obſiſtat impedimentum, decimo quoque anno celebrentur.* Petitiones iſtæ anno 1563. Ripæ ſunt excuſæ.

§. II.

De generalium Conciliorum convocatione, & præſidio in eiſdem.

Cùm Primatus Petri & ſucceſſorum ejus ſit juris Divini quoad inſtitutionem, rectè edixit Julius PP. I. apud Socratem Lib. II. Cap. 17., nec non apud Sozomenum Lib. III. Cap. 10. Hiſt. Eccleſ. *Legem eſſe Pontificiam, ut pro irritis habeantur, quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani fuerint geſta.* Sic ad Orientales ſcripſit Julius, eos accuſans, quòd præter Eccleſiæ leges ipſum non vocâſſent ad Synodum, quam illi in cauſa Athanaſii Antiochiæ celebraverant. Inde concludit Bellarminus *Lib. I. de Conciliis Cap.* 12. Papâ renitente, nulla omninò Concilia celebrari poſſe, conſequenter ejus potiſſimùm eſſe illa convocare. Verùm, ſi ad naturam generalis Concilii attendamus, Canon ille, quo ſtatutum prætenditur, Synodum univerſalem absque Epiſcopi Romani ſententia haberi non poſſe, non multò magis Romano, quàm aliis Patriarchis, aut Epiſcopis gratificatur: ſiquidem ex Chriſti & Apoſtolorum inſtituto

ſtituto certiſſimum eſt, neque Concilia generalia celebrari, neque Canones Eccleſiaſticos formaliter & completè conſtitui poſſe absque aliorum Epiſcoporum ſententiâ, qui etiam omnes ad illa vocari & admitti debent. De cætero verum certúmque manet, primam ſententiam & ſuffragii prærogativam, in rebus communibus Eccleſiæ ſtatum contingentibus (qualis erat Athanaſii cauſa, quæ fidem reſpiciebat) Romanæ Eccleſiæ, quà omnium Primæ, deberi. Hanc illi vindicat, & ex conſuetudine aſſerit dictus Papa Julius in Epiſtolâ eadem de causâ ſcriptâ, quæ proſtat in Athanaſii Apologia contra Arianos. Opp. Tom. I. pag. 153. edit. Bened. ubi n, 35. *An ignoratis,* inquit, *hanc eſſe conſuetudinem, ut primùm nobis ſcribatur, & hinc, quod juſtum eſt, decernatur?* Ne autem ea his per errorem quis inferat, quaſi ab unius Pontificis judicio talia dependeant, conferenda cum illis ſunt, quæ proximè præcedunt nempe: *Oportuit, juxta eccleſiaſticum canonem, & non eo pactò, rem judicari: oportuit omnibus nobis reſcripſiſſe, ut ita ab omnibus, quod juſtum eſſet, decerneretur.*

Irrefragabilia ſanè ſunt ex Traditione pro Romano in Eccleſia, eóque univerſali, argumenta. Canone Nicæno ſexto Romano Epiſcopo Primatus agnoſcitur præ cæteris Patriarchis; quemadmodum & Synodus œcumenica ſecunda, & Judices cognitores in Concilio Chalcedonenſi canonem illum interpretati ſunt. Relectis enim Canone Nicæno VI., & Canone Conſtantinopolitano in Synodo Chalcedonenſi, judices pronuntiârunt, Primatum deberi Romanæ Sedi juxta canones: *Perpendimus, omnem quidem Primatum & honorem præcipuum ſecundùm canones antiquæ Romæ Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſervari.* Hunc quoque Canonem Nicænum reſpexit Novella Valentiniani, cùm ait, B. Petri merito, urbis dignitate & auctoritate, firmatum fuiſſe Primatum Romanæ Eccleſiæ.
Unde

Digitized by Google

Unde in vetuſtiſſima Canonum interpretatione, quam Paſchaſinus in Concilio Chalcedonenſi protulit, lemma Canonis Nicæni ita conceptum eſt: *Quòd Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum.* Ex his rectè concludit Petrus de Marca *de Concord. Sac. & Imp. Lib. V. Cap.* 12. *n.* 3., canonem illum eccleſiaſticum, de quo in ſuâ Epiſtola iteratò loquitur Julius, non eſſe alium, quàm canonem illum ſextum Nicænum, de quo hactenùs actum eſt.

In vim & conſequentiam hujus Primatûs ultrò concedimus, Papam per ſe ipſum aut Legatos ſuos debere *regulariter & ordinariè* Synodis generalibus præeſſe. Hoc ſi facere recuſet, tum, quando Eccleſiæ neceſſitas celebrationem Concilii poſtulat, contendimus, Eccleſiam, quæ eſt ſibi efficaciter ſufficiens, poſſe jus ſuum perſequi, ſiquidem ipſa Claves radicaliter poſſidet, quas etiam ipſimet Pontifici, quem deligit, reverà & formaliter confert.

Eſt inſuper Primatus, prout hactenus deſcriptus fuit, juſtus titulus & fundamentum Pontificii juris, convocandi generalia; ſcilicet accedente ſæcularium Poteſtatum conſenſu. Hoc Romanæ Sedi Febronius neque Capite VI. § 2. & 3., neque alibi negavit, quinimò expreſsè dixit, ſe ab hoc convocandi jure Papam non excludere; hoc ſolum voluit, hoc ſuſtinuit, jus illud non eſſe *excluſivum*, proinde non *reſervatum* ſummo Pontifici, neque humano neque divino jure.

Sanè nullus, niſi communis ſenſûs expers, ambigere poteſt, quin Imperatores, tanquam Juris Divini, Naturalis, & Canonici vindices, atque communes Epiſcopi externæ diſciplinæ, jus habeant cogendi Eccleſiaſticos ad Legis Divinæ, Naturalis & Canonicæ executionem: hócque titulo octo prima univerſalia Concilia indixerint, convocârint, congregârint, & tanquam Præſides atque ordinis publici aſſertores, direxerint,

rint, comprobârint, atque finitâ Synodo Patribus commeatum & facultatem diſcedendi conceſſerint. Hoc etenim claret ex Actis indubitatis octo primarum Synodorum generalium, quæ nullis cavillationibus obſcurari aut labefactari queunt.

Ex Apoſtolicâ diſciplinâ, Actorum XV. conſignatâ, Imperatores Synodales litteras partim ad Eccleſias, partim ad Romanum Pontificem mittebant, quibus Papam abſentem rerum geſtarum Synodo commonefaciebant, ut Eccleſias ſui Patriarchatûs de Actis faciliùs informaret; etenim pauci aut nulli Epiſcopi, præter Legatos Romani Pontificis (& ne hi quidem ſemper) octo primis univerſalibus Conciliis ex Occidentali Eccleſia interfuerunt.

Suppoſitâ regulâ, jus convocandi Concilium generale eſſe penes ſummum Pontificem, habet tamen ea exceptiones tam ferè communes, quàm ſit ipſa regula. Scilicet 1.) caſu, quo, exiſtente Eccleſiæ neceſſitate, vel præcepto, aut præcedente juramento Pontificis de congregando Concilio, ipſe tamen illud convocare contemnit. Eo caſu Turrecremata Card. S. Sixti, acerrimus ipſe Romanorum jurium defenſor, in Summa *de Eccleſiâ Lib. III. Cap.* 8. cum pluribus aliis Canoniſtis tradit, Cardinales habere poteſtatem Synodum congregandi. 2.) Si de Pontificis hæreſi, licèt ſecretâ, vel de hæreſis ſuſpicione agendum eſſet. 3.) Si ageretur de crimine gravi, notorio, incorrigibili Papæ, totam Eccleſiam ſcandalizante. Sanè prudens & rationabile eſt, tunc, cùm Papa ipſe accuſandus eſt, ejus ad hoc conſenſum non requiri. arg. *Cap.* 21. *X. de Reſcript.* Ipſe Viator Italus pag. 219. ex Gerſonii Tractatu de Poteſtate Eccleſ. Conſiderat. 12. tres quoque deſignat caſus, in quibus Congregatio Concilii facta ſine Papa legitima ſit, nempe *a*) „ Dum deſinit Papa eſſe per mortem naturalem, aut civilem „ ſeu canonicam, quæ eſt depoſitio, vel ſi cadat in perpetuam „ maniam,

Digitized by Google

„ maniam, aut ſi ad eum captivum non pateat acceſſus. *b*) „ Dum ſufficienter requiſitus de convocando Concilium, re- „ nuit contumaciter in perniciem Eccleſiæ, præſertim ſi tan- „ gat ipſum. *c*) Si Concilium poſtquam eſt à Papa legitimè „ congregatum, ſtatuat certum tempus & locum pro generali „ Concilio, ſicut infra triennium, vel de decennio in decen- „ nium, etiam ubi Papa renueret.“ Ex his, ait Italus, arguere licet, quòd ſi iſti caſus excipiantur, etiam in ſententiâ Gerſonii, regula tamen manet immobilis, quòd convocatio Concilii generalis ad Rom. Pontificem pertineat. Per me id liceat; attamen ſub modo & conditionibus prædictis; præſertim nunc, quando poſt diſciſſum in partes Romanum Imperium Orbis Chriſtianus non ampliùs ab uno Monarchâ regitur. Huic ſtatui Europæ innititur & accommodatur Conſtantienſis Concilii Decretum *Frequens*. Seſſ. XXXIX., ad quod Adverſarius pag. 217. provocat. Verùm hæc non mutant ſubſtantiam rei, nec primitivum ejus Eſſe. Illud ſingulare omnino, quod ille ibid. addit: „Abs re provocas (Febroni) ad exempla, quòd „ nempè octo Concilia generalia ab Imperatoribus coadunata „ fuerint. Quid ad te de hâc causâ, æquè Papis ac Conciliis „ œcumenicis infeſtâ, nec Principibus propitiâ? „

Porro longè aliud eſt, *Synodum haberi non poſſe absque Romani Pontificis ſententiâ*, & *Epiſcopum Romanum plenitudine poteſtatis*, ùt vocant, *Concilia poſſe diſſolvere*, *& quocunque voluerit*, *transportare*. Primum ordinariè & regulariter verum, ſecundum abſolutè falſum eſt, tanquam ſupponens abſolutam imaginariam Monarchiam.

Si in variis jam enarratis caſibus Concilium absque Papa, aut eo invito, convocari valeat, haud dubiè ille à ſic adunato Concilio quoque poterit judicari. Proponit autem quæſtionem Cardinalis Cameracenſis Petrus de Alliaco Libro unico de Ec-

cleſiæ & Cardinalium auctoritate Parte III. Cap. 4 *Si Papa in his caſibus recuſet judicari*, *Concilium quid faciet?* Quam ſic reſolvit: „ Reſpondetur, quod in hoc caſu, ſi hoc recuſet ſufficienter requiſitus, faciendum eſſet ſicut ſi Sede vacante ſimilis occurreret neceſſitas: Et ad hoc eſt evidens ratio, quia ubi vacante Sede, vel etiam renuntiante, Concilium celebrari non poſſet, nec per Eccleſiam remedium adhiberi, ſequeretur quòd Eccleſia non haberet ſufficientem fœcunditatem & fœcundam virtutem, ad ſe conſervandum & continuandum, & ſic poſſet penitùs deficere Politia Chriſtiana, quod eſt contra dictum Chriſti, *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* „

§. III.

Forma in antiquis Conciliis obſervata; & quatenus cum ea conveniant quæ in Tridentino acta ſunt.

Antequam abſoluta Monarchia in Eccleſia invaluerat, Acta Conciliorum ea omnia continebant, quæ tum ab ipſis Imperatoribus, aut eorum Senatu, qui Synodum dirigebat, tum etiam ab ipſis Patribus dicebantur aut gerebantur in publicis *Actionibus*, quas hodie *Seſſiones* vocant; præter quas Actiones publicas nullæ aliæ, Congregationes aut Conventus habebantur: ſed omnia palam & liberè proferebantur & peragebantur. Quod autem communi conſenſione atque ſuffragio decernebatur, pro ſynodali ſententiâ, à Spiritu Sancto dictatâ, habebatur; nullus autem, qui audiri volebat, quanquam hæreticus, à dicenda aut proponenda ſuâ ſententiâ excludebatur. Si qui autem Epiſcopi (quibus ſolis jus ſuffragii deciſivi in his Conciliis competit) vel propter ingraveſcentem ætatem, vel propter aliud impedimentum ad Synodum ſe ſe conferre non poterant,

terant, eò procuratores aut vicarios ſuos mittebant, qui tam facilè à Patribus, quàm ipſimet vicarii Sedis Romanæ, ad ſententiæ dictionem admittebantur; contrà quam factum eſt in Synodo Tridentina. Atque ita, quàm diu Eccleſia ſinceris canonibus regebatur, Concilia nullo aut facili negotio cogebantur & celebrabantur, ita, ut ſingulis diebus una Actio aut Seſſio perficeretur. Sed poſtquam dominandi libido, quæ inimica eſt Spiritui Eccleſiæ, omnem charitatem extinxit, reguláſque morum oppreſſit, ita, ut Curia Romana ſuæ privatæ utilitati velificaretur, multa peſſum ire cœperunt. Hinc factum, ut Synodus Tridentina ſub Paulo III. poſt ſeptimam Seſſionem, & deinde iterum ſub Julio III. per decennium, ſuſpenſa fuerit.

Ex Concilii Tridentini conſideratione diverſi diverſis, etiam piis & catholicis, creantur animi motus. Qui florentem Eccleſiæ primitivæ ſtatum, dum genuini canones & Apoſtolica diſciplina, probíque mores vigebant, minùs perſpectum habent, & ſoli Romanæ Monarchiæ aſſueti ſunt, illi ad ſolam Concilii Tridentini recordationem, quaſi ex ejuſdem receptione aurea ſæcula eſſent reditura (de ſola *diſciplina*, non de *doctrinâ*, hic loquor) incredibili exultant gaudio. Hoc inter alios facit Viator noſter Italus pag. 67. 112. 180. & alibi. Aliis verò ſecùs contingit, qui, cùm apprimè naturam regiminis Eccleſiæ à Chriſto inſtituti, & ductu atque afflatu Spiritûs Sancti ſub octo primis univerſalibus Conciliis ſervati, noſcant, neque ignorent, quantum à ducentis annis laboratum eſſet, ut Eccleſia in Capite & in membris reformaretur, & tum demum Synodi Tridentinæ decretis eatenus in Eccleſiæ emendatione certatum ſit, quatenus Curiæ Romanæ majeſtati & commodis, non gloriæ Dei & ſaluti Chriſtianorum, & potiſſimùm Eccleſiaſticorum conſuleretur: hi, inquam, cum Card. Carolo à Lotharingia & aliis Patribus Tridentinis longè diverſam, ſpiri-

Q 2 tui

Digitized by Google

tui quatuor primorum generalium Conciliorum conformem Reformationem deſiderant.

Scilicet in hac Tridentina Synodo Pontifices ſedulam operam dederunt, ut Epiſcopi Italiæ, qui dominationi Curiæ Romanæ aſſueti, ab ea & à nutu Romani Pontificis, tanquam abſoluti Monarchæ, variis titulis pendebant, triplo fermè aliarum Provinciarum Epiſcopos numero ſuperarent, ac proinde omnia ex animi ſui arbitrio, & Curiæ Romanæ ſtylo ac placitis decernerentur. Etenim in editionibus hujus Concilii legimus ex ſolâ natione Italicâ *centum octoginta ſeptem*, ex aliis verò omnibus provinciis & regnis ſolummodo *octoginta* interfuiſſe Epiſcopos. Narrat Joan. Bapt. Adriani Florentinus, qui Guichardini Hiſtoriam continuavit, qualiter Pius IV., ex familiâ Medicæorum oriundus, vix ſibi à Magno Duce cognato ſuo ſit paſſus perſuaderi, ut ad Synodi celebrationem animum adjungeret tandémque rationibus Ducis Hetruriæ victus anno 1563. denuo indixerit Concilium Tridenti, atque univerſis Epiſcopis Italiæ imperaverit, ut ſe ſe illuc conferrent, eúmque in uſum aliquos etiam de novo creaverit Epiſcopos; unde ſuffragiorum numero ſe ſe quidquid vellet, conſecuturum ſperavit. Occurrit hic memoriæ, quod in Conſtantienſi Concilio, dum de eo agebatur quis in votando modus ſervandus eſſet, dixit Cardinalis S. Marci apud Harduinum Tom. VIII. col. 226. nempè: *Licèt clarum de jure videatur, quòd perſcrutanda ſunt vota per capita ſingula; quia tamen plures ſunt Prælati Italiæ pauperes, quàm ferè de omnibus nationibus, prætereà Dominus noſter Papa fecit in numero exceſſivo prælatos cubicularios ultra quinquaginta. Dicitur præterea, quòd multos voluit ſibi obligare juramentis & muneribus, alios minis terruiſſe; & ita ſcrutando per capita nihil fieret, niſi quod vellet Dominus noſter.*

Claudius

Claudius Eſpencæus, qui cum Petro Danæſio Vaurenſi Epiſcopo Franciſci I. Regis Franciæ Oratore Tridentum contulerat, in Commentariis in Epiſtolam ad Titum, primâ Digreſſione *pag. m.* 473. de hac procedendi ratione ita conqueritur: *Verùm hæc ſive poteſtas ſive prærogativa & privilegium, cùm, ùt reliquæ majores Eccleſiarum cauſæ, penes Romanam Sedem hactenus fuerint, factum eſt poſterioribus ſæculis, ut, quod meritò in Concilio Baſileenſi. Ludovicus Arelatenſis querebatur, in Conciliis demum id fiat, & neceſſariò fiat, quod Nationi placeat Italicæ, ùt quæ ſola Epiſcoporum, qui & ipſi ſoli vocem illic deciſivam habent, numero Nationes alias æquet, aut ſuperet: ſicut ſcripſit Libro primo de Geſtis ejus Concilii Æneas Sylvius, nondum Pius. HÆC EST ILLA HELENA* (ſic proſequitur Eſpencæus) *QUÆ NUPER TRIDENTI OBTINUIT*, per hoc innuens, Curiam Romanam haud fermè aliter Tridenti decertâſſe, ut numero ſuffragiorum vinceret, quàm Græcos & Trojanos pro Helenâ ſuâ: ſiquidem memorat, *in Conciliis id fieri, ET NECESSARIO FIERI, quod unicæ placet Italicæ Nationi.* Unde à talibus Conciliis fruſtra æquam & plenam Reformationem exſpectaveris.

Eſpencæus memor eorum, quæ ſub Paulo III. ipſe Tridenti viderat, ſibi perſuaderi haud paſſus eſt, ut ſub Pio IV. cum Cardinale Lotharingico illuc denuò proficiſceretur. Ivit ergo cum hoc Tridentum Claudius Sanctius, Doctor Sorbonicus; unde 15. Junii an. 1563. ſequentia ſcripſit ad Eſpencæum:
„ Nunquam tibi meliùs Spiritus afflavit, quàm, ne huc venires. Credo enim, quòd propter indignitates, quæ hic committuntur ad impediendam Reformationem, mortuus fuiſſes. Franci ſinceriùs & ſtudioſiùs ſe gerunt aliis, qui nos ſæpe habent ludibrio propter adverſos caſus, quibus nunc affligatur regnum Franciæ. Quamprimùm huc appulimus,

Digitized by Google

„ tractabatur de Sacramento Ordinis. Hiſpani maximè urge-
„ bant, ut Synodus declararet, Epiſcopos inſtitutos à Chriſto,
„ & Presbyteris jure divino eſſe ſuperiores. Galli omnes ſe ſe
„ Hiſpanis adjunxerunt. Sed, ut conſequentia hujus propo-
„ ſitionis impediretur, Itali in hoc ſolo Canone decem aut
„ duodecim titulos in gratiam & favorem Papæ immiſcebant:
„ quibus titulis prætexebant ſolum Papam fuiſſe immediatè in-
„ ſtitutum à Chriſto, & reliquos Epiſcopos non habere pote-
„ ſtatem niſi dependentem à Papæ poteſtate, & ab ipſomet
„ Papa. Nullus eſt noſtrûm, qui non vellet eſſe in Sorbona,
„ etiam cum vitæ periculo. Mihi impoſſibile eſt tibi ſigillatim
„ omnia acta enarrare, quæ vidi & audivi in hoc Concilio. “
Hanc epiſtolam ex gallico in latinum redditam edidit Edmundus Richerius in *Hiſt. Concil. general. Tom. IV. Part.* 2. *pag.* 100.

Aliam eodem anno 28. Martii, etiam ex hâc Synodo, ad Alphonſum Salmeronem S. J. epiſtolam ſcripſit Gentianus Hervetus, in quâ ſe ipſum inducit Romanum Pontificem ita alloquentem: „ Ego verò de me tam præclarè non ſentio, ut
„ meum conſilium rebus hodie tam afflictis aliquid opis afferre
„ poſſe putem: hoc unum ſcio, ad profligandas hæreſes, &
„ populum Chriſtianum in officio continendum, non aliud
„ præſentius eſſe remedium, quàm ſi lapſa eccleſiaſtica repa-
„ retur diſciplina. Quàm ſit autem difficile eam reparare, ex
„ hoc facile eſt conjicere, quòd, cùm doctiſſimis & ſanctiſſi-
„ mis Cardinalibus Contareno, Sadoleto, Polo, reforma-
„ tionis negotium mandâſſet ſanctæ memoriæ Paulus III., res
„ habuit hunc exitum, ut nullus inde ſecutus fuerit effectus.
„ Quamvis ſit ea res ex ſe non multùm difficilis: ex eo quidem
„ eſt certè longè difficilior, quòd ſæpè contingat, ut Pontifices,
„ qui reformationem ſedulò cupere præ ſe ferunt, doctiſſimo-
„ rum & optimorum virorum, quos ad ſe accerſunt, operâ
„ non

„ non ad reformationem, quam in vulgus jactant, ſed ad ſuam „ ſtabiliendam potentiam abutantur. Hoc in te cadere, „ Sanctiſſime Pater, tantum abeſt, ut exiſtimem, ut te nihil „ eſſe magis in re & nomine *Pium* lubens & ſentiam & prædicem. Sed quoniam es in ſummo gradu poteſtatis collocatus, quo fit, ut multorum ſermonibus aures tuas patere neceſſe ſit, túque me conſilio nonnihil valere exiſtimas, non „ verebor ea ſcribere, quæ tuæ Sanctitati coram, ſi liceret, „ dicerem. Nullos, Sanctiſſime Pater, majores habes hoſtes, quàm tuos domeſticos, qui tibi perpetuò aſſentantes, „ & eâ ratione ad ampliſſimos honores ſibi viam munientes, „ divinam tuam poteſtatem & auctoritatem ſemper habent in „ ore: quam quidem ſi quiſpiam obſtinato animo denegaret, „ is in impiorum numerum eſſet meritò referendus. “ Hæc epiſtola, in quâ plura alia ad res Concilii Tridentini, præſertim ad politicam Romanæ Curiæ, pertinentia continentur, pluries edita, quoad ea quæ de emendandâ Eccleſiâ in eâdem narrantur, ſimillima eſt iis, quæ leguntur in ejusd. Herveti libello *de Reparandâ Eccleſiaſticorum Diſciplinâ* Pariſiis apud Nicolaum Cheneau anno 1561. impreſſo.

Sanè, qui Hiſtoriam Concilii Tridentini vel in ipſo Pallavicino legerunt, non ignorant, Patres in Decreto de Reſidentiâ conſtituendo, vel potiùs prorogando & declinando, ſex integros menſes, propter factioſas Romanæ Curiæ prætenſiones, inſumſiſſe, neque tamen ab Italiæ Epiſcopis obtineri unquam potuiſſe, ut reſidentia Epiſcoporum *juris* eſſe *divini* ſtatueretur. Si Nicænam Synodum excipiamus, vix unum ex octo primis generalibus Conciliis reperiemus, in quo tantum temporis, quantum in hoc ſolo Decreto condendo, impenſum fuerit. Intelligimus autem etiam ex jam memoratâ Herveti epiſtolâ, cur tam diu Patribus aqua in definiendâ Reſidentiâ hære-

ret,

Digitized by Google

ret, ab Alphonſo Salmerone reſponſum fuiſſe, *nunquam permiſſurum Pontificem, & qui ejus partes ſequebantur* (Epiſcopos Italiæ intelligit) *ut reſidentia juris eſſe divini ſtatueretur, quoniam hoc Pontificiæ auctoritati derogaret:* in eo nimirum, quòd pro animi ſui arbitrio non poſſet ad ſe Epiſcopos accerſere, aut, quò vellet, mittere. Atque hinc quoque claret, Concilium (quod materiam diſciplinæ) non fuiſſe omninò liberum, ſed, ùt idem ait Hervetus in calce epiſtolæ, *manifeſtam fuiſſe aſſeclarum Curiæ Romanæ conſpirationem.*

Cùm Sapientes haud difficulter intelligerent, depravatos Eccleſiaſticorum mores pabulum eſſe atque alimentum, quo hæreſes atque ſchismata hodierna foventur ac ſaginantur; hinc Ferdinandus Imperator & Carolus IX. Franciæ Rex cum omnibus aliis Catholicis Principibus ardenter flagitabant à Papa & à Tridentinis Patribus, ut, relictis diſputationibus de doctrina, quæ à Catholicis minimè in dubium vocabatur, totum tempus reparandis moribus Eccleſiaſticorum impenderent; quandoquidem notum eſſet diſciplinæ nævos cauſam certiſſimam ſchismati præbuiſſe. Verùm, hoc nunquam à Curia Romana impetrare potuerunt: quæ quidem pro vera Reformatione perſonatam & fucatam nobis exhibuit. Adeo autem parum eadem Curia per Concilium Tridentinum repurgata fuit, ut Pius IV. eo abſoluto magnam gratiam Patribus publicà oratione in frequentiſſimo Cardinalium Conſiſtorio habuerit, quòd in eccleſiaſticà emendatione tantam auctoritatis illius rationem habuerint, tantàque in eum moderatione uſi ſint, ut ſi is ſe ipſum & Curiam ſuam reformare voluiſſet, longè ſeverior in ſe futurus fuerit.

Quid, inquit Viator Italus *pag.* 243., adversùs Conciliorum generalium infrequentiam obſtrepitis, quando Eccleſia videt, Concilium ultimum œcumenicum, Tridentinum nempe, ab iis

ab iis ipſis, qui pro Conciliorum frequentiâ urgent inſtántque, executioni adhuc demandatum non eſſe? Eccleſia Catholica, addit, tot Conciliis non eget, ſed obſervatoribus potiùs eorum opus habet, quæ jam toties definita ſunt. Nec Concilia expedit congeri, cùm mala potiùs quàm bona exſpectantur. Quòd, quæ tali modo in Conciliis geruntur, neque à Nationibus agnoſcantur pro legitimis, neque recipiantur, neque obſerventur, nemo prudens mirabitur. Urgentur utique à viris bonis Concilia; ſed primis ſimilia. Talia expedit congregari; & ab his non niſi bona exſpectanda ſunt.

Zelus habendæ unionis in ſchismate tam deſperato fecit multa tolerari, quæ aliunde fuiſſent nec tolerabilia nec toleranda: inquit Gerſon in Dialogo pro Actis Synodi Conſtantienſis; Et mox addit: *Video, quòd Eccleſiæ reformatio nunquam fiet per Concilium, ſine præſidentiâ Ductoris affectati benè, & prudentis ſimul & conſtantis.* Juſtæ hujus obſervationis novum experimentum dederunt (uti vidimus & dolemus) Geſta Concilii Tridentini. Sed quod malo remedium, ſi & deinceps ex eodem modo actum iri prævideatur? quomodo reformabitur Eccleſia? Remedium ſubjungit ibid. Gerſonius; eſt autem ſequens: „ Provideant ſibi, dum ſciverint & potuerint membra per „ provincias aut regna, non quidem *in multiplicatione Conſtitutionum novellarum;* hoc magis interturbat quàm adjuvat: „ ſed *per executionem* vivacem & virilem *earum legum, quæ* „ *jam latæ ſunt* abundantiſſimè, ſupervacuis etiam reſecatis „ vel omiſſis. Video (*addit*) quòd in doctrinis, quæ fidem, „ quæ religionem, quæ bonos & Salubres reſpiciunt mores, „ vix invenietur in hâc tempeſtate, rebus, ùt ſunt, manentibus, nec habito forti favore potentiæ ſæcularis, terminatio debita, vel expedita juſtitia. “

Verùm hìc iterum intercedit Doctor Colonienſis ſecundâ editione ſui Apologetici *in Præfat. pag.* 29. dicens: „ Quidquid circa latebras ſecretiores Actorum Concilii Tridentini „ rimetur Febronius, illius authoritatem non convellet: omnia in illo diſciplinaria diligenti fuerunt conquiſitione librata „ & reſoluta . . . . Circa quæſtionem, *an jurisdictio Epiſcopalis ſit juris divini*, ſufficiat, Benedictum XIV. in ſuo libro „ de Synodo declarâſſe, quòd ſententia affirmans eam eſſe juris divini (attamen ſalvâ dependentiâ) gravibus momentis „ nitatur; atque idcircò liberum ſit eidem ſententiæ adhærere pro lubitu. Ad diſciplinam verò ſeu rectam gubernationem fidelium inutilem eſſe hanc quæſtionem &c. " An jurisdictio Epiſcoporum proximè à Chriſto proveniat nec ne, non eſſe quæſtionem purè ſpeculativam, ſed in praxi multæ conſequentiæ, agnoverunt in Concilio Tridentino, teſte Pallavicino *Lib. XXI. Cap.* 11, *n.* 1., Romani & ipſe Pontifex. Quare è re ſuâ putârunt, ejus definitionem totis viribus impedire. Cùm autem, auctore Benedicto XIV., cuique liberum ſit, primæ eæque veræ ſententiæ inhærere; liberum quoque erit Epiſcopis, omnia jura omnésque jurisdictiones, quas Chriſto (non, quæ Romano Pontifici) placuit eorum Ordini annectere, pro bono ſui gregis actu exercere, neque pati, ut in hoc ſuo divino munere implendo, & dicto bono procurando à quoquam impediantur.

Authoritatem Concilii Tridentini in *rebus Fidei* convellere Febronio nunquam fuit animus, neque hoc ei niſi per calumniam valet imputari. In *Diſciplinaribus* illud longè incompletum eſſe, ipſi Patres ſub finem Synodi agnoverunt.

Notanda adhuc veniunt, & cum præmiſſis conferenda, quæ Theodorus à Palude *in Floribus ſparſis ad Febr. Cap. VIII.* §. 1. retulit ex Pallavicino de Pontificis obſtinatione ſuas in

Triden-

Tridentina Synodo ſuſtinendi prætenſiones, Primatui non eſſentiales, non ſolùm cum neglectu reunionis Proteſtantium, ſed etiam cum comminatione & periculo novi ſchismatis. Unde convenit hìc iterum mirari prudentiam Patrum, malentium ad tempus cedere, quàm cum graviori damno & præjudicio Eccleſiæ ſuper his contendere.

§. IV.

De clauſula Conciliari: Sacro approbante Concilio. *Item de clauſula Tridentini:* Salvâ in omnibus Sedis Apoſtolicæ authoritate.

Cùm anteactis temporibus omnia Concilia explicatâ dictione ſententiæ ſingulorum Patrum celebrarentur, atque etiam omnium ſubſcriptionibus & ſyngraphis robur haberent: tandem rudibus ſæculis, poſt ruinam Eccleſiæ atque Imperii Orientalis, præſertim poſt Dictatus Gregorii VII., Pontifices Romani in illis, quas habuerunt Synodos, omnia ex privato motu, tanquam Monarchæ abſoluti, ſub hac formulâ edixerunt: *Nos, ſacro approbante* vel *conſentiente Concilio, ſancimus, decernimus, ſtatuimus &c.* Primus hac formulâ uſus videtur Innocentius III. in Concilio Lateranenſi IV. an. 1215. apud Harduinum *Tom. VII. col.* 18. Quare Cardinalis Aliacenus Tractatu de Eccleſiæ, Concilii generalis, Romani Pontificis autoritate, edito Tom. II. Operum Gerſonii, *Parte III. Cap.* 2. *col.* 952. „ Quærere, inquit, an errores contra Fidem in „ hoc ſacro Concilio (Conſtantienſi) damnandi, debeant per „ ſummum Pontificem damnari ſub hac forma: *Nos, hoc ſacro Concilio approbante, damnamus &c.* aut damnari debeant „ ſub iſta forma: *Sacroſanctum Concilium damnat &c.* non eſt

„ quæſtio inutilis aut ſupervacua, nec ad materiam Fidei, quæ „ tractatur, eſt impertinens. Patet: quia utraque forma in „ Decretis generalium Conciliorum reperitur. Nam, ſicut „ tunc fuit allegatum, ſecunda forma condemnandi habetur „ in multis locis Libri Conciliorum, & etiam Decreti & De- „ cretalium, ubi ſic dicitur: *Placuit ſacro Concilio*, vel *Con-* „ *cilium definivit*, vel *ſtatuit ſanctum Concilium:* Papa etiam „ aliquando dicit: *Sacri authoritate Concilii & conſenſu*, *atque* „ *reliquorum Fidelium & cunctorum Conſiliariorum noſtrorum* „ *conſultu*, *diffinitum eſt:* & primò habetur in multis Conſti- „ tutionibus Synodalibus, & maximè *in Juribus novis*.

„ Secundò dico, quòd prima forma ſit Theologiæ con- „ formior: quia in Actibus Apoſtolorum, authoritas definien- „ di attribuitur *Concilio*, & non ſpecialiter *Petro*, ubi dici- „ tur: *Placuit nobis collectis in unum &c.* Act. XV. 25. & bea- „ tus Gregorius 15. Diſt. Can. *Sicut*, ubi dicit, ſe quatuor „ Concilia, ſicut ſancti Evangelii quatuor Libros venerari, „ ſubdit cauſam, *quia univerſali conſenſu conſtituta ſunt.* Unde „ videtur ſequi, quòd authoritas diffiniendi, maximè in ma- „ teriâ Fidei, pertineat ad Concilium generale. “

Ad hæc cùm Cardinalis Cuſanus attenderet, Libro II. de Concordantiâ Cap. 8. rectè infert: *Sequitur juxta ſubſcriptiones Patrum* (in primis octo Conciliis generalibus) *vigorem ſtatutorum in Concilio, non ex Papa, nec ex Capite Concilii, ſed ex unico concordanti ſenſu, vigorem habere*, &c. *Et ſi aliquando reperitur Papam de conſilio Concilii hoc ſtatuiſſe* (*quod tamen nunquam legitur in antiquis Conciliis*) *hoc tantùm de conſilio affirmativo, & per quod conſenſus habeatur, intelligendum eſt.*

Hæc, licèt pauca, ſufficiunt ex unâ parte ad noſcendum genuinum principium atque fontem Synodalium Conſtitutionum,

num, ex altera verò ad intuendum progreſſus Pontificiæ authoritatis, hujúsque vias atque cauſas.

Novam eundem in finem adinventam clauſulam deprehendunt multi in Concilii Tridentini Seſſione VII., ubi dum de Reformatione agitur, hoc principium pro normâ ſtatuitur, ſcilicet: *Eadem ſacroſancta Synodus eisdem præſidentibus Legatis, inceptum reſidentiæ & reformationis negotium ad Dei laudem & Chriſtianæ Religionis incrementum proſequi intendens, ùt ſequitur ſtatuendum cenſuit: SALVA SEMPER IN OMNIBUS SEDIS APOSTOLICÆ AUCTORITATE.* Quæ clauſula etiam repetitur in Synodi concluſione *Seſſ. XXV. Cap.* 21. & ad omnia ac ſingula, quæ de morum Reformatione atque Eccleſiaſtica Diſciplina in hoc Concilio ſtatuta ſunt, expreſsè refertur. Sunt, qui contendant (amici illi ſint Romanæ Curiæ vel inimici, hîc non diſquiro) Synodum his Clauſulis univerſa Decreta ſua circa diſciplinam arbitrio mero Pontificis ſubjeciſſe, ità, ut ille eis adjicere, diminuere, immutare quidvis pro lubitu valeat. Ego aliud planè ſentio de prudentiâ & legalitate Patrum hujus Synodi. Etenim, ſi poſt ejus Decreta Pontifex agere poſſet, quaſi ea facta non forent, quis eſſet fructus tantarum operarum, atque impenſarum ad ea conficienda adhibitarum. Tam pravæ interpretationi non ſolùm reſiſtunt alia Concilii Decreta, ſed ea etiam deſtruitur per Juris antea vigentis diſpoſitiones. Concilium, quod Decreta ſua ob Eccleſiæ neceſſitatem atque utilitatem condidit, velle non potuit illa mero Pontificis arbitrio ſubmittere, ſed ſolùm conſentire, ut illa commutaret, vel in iis diſpenſaret, cùm utilitas vel neceſſitas id poſtularent. Arg. *Can.* 2. *Diſt. IV.* nec non *Cap.* 1. *Seſſ. XXIV. de Reform. Matrim. Concil. Trid.* item *Seſſ. VII. Cap.* 6. *de Reform.*

Digitized by Google

Tridentinum cit. Seſſ. XXV. Cap. 18. de Reform. ita diſponit: *Sciant univerſi, ſacratiſſimos Canones AB OMNIBUS exactè, & quoad fieri poteſt, INDISTINCTE, obſervandos. Quòd ſi urgens juſtáque ratio, & major quandoque utilitas poſtularent, cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id causâ cognitâ, ac ſummâ maturitate, idque gratis A QUIBUSCUNQUE, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum, aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.* Verba hæc, *ab omnibus indiſtinctè, à quibuscunque*, ſingularem attentionem requirunt. Hæ locutiones generales junctæ rationibus â Jure naturali petitis, & relatis in præfatione hujus Decreti, reſpiciunt Pontificem perinde, atque alios Epiſcopos, oſtendúntque, Concilium non potuiſſe velle ſubjicere Decreta ſua mero Pontificis arbitrio; ſed voluiſſe tantùm declarare, quòd Pontificis potiùs, quàm alterius cujúsve munus eſſet interpretari Decreta à Concilio condita, & in eis diſpenſare; quia ipſe primum gradum obtinet in Eccleſia univerſali, quam repræſentat Concilium, Decretorum auctor. Plura in hanc rem & de hac Conciliari Clauſulâ perapte Petrus Gibert *Corp. Juris Canon. Tom. I. pag.* 157. *ſeq.*

Probroſum haud dubiè foret Italiæ Epiſcopis, ſi his Clauſulis voluiſſent caſſam & irritam efficere Reformationem, adeóque ſibi ipſis & aliis iter munire Romam, ad redimendas pro libitu à Curia diſpenſationes: quando ex contrario nullum anterius Concilium, ad normam Apoſtolicæ Diſciplinæ habitum, legimus, in quo Patres, quantùm fieri poſſet, politiam Eccleſiaſticam & regimen fixum ac immobile non redderent, omnésque Epiſcopos, ne Romano quidem excepto, canonibus obſtringerent. Quidquid ſit de hoc Italorum ſenſu, de eo conſtat, quòd Theologi Galliæ, qui ex mandato Regis cum Cardinale Lotharingico ad procurandam reformationem

ſe

ſe Tridentum contulerant, inde ob deſperatam eandem reformationem tantoperè offenſi & malè contra Curiam Romanam animati redierint, ut palam & publicè de Curialium machinationibus, querimonias ſererent, atque inter alios Magiſter Claudius Sanctius (de quo §. præced.) quoties de Synodo Tridentinâ cum familiaribus ageret, alluſione factâ ad ſolemnem formulam & concluſionem Hieroſolymitani Concilii, *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*, gallicè feratur dixiſſe: *O qu'il y a bien du NOBIS en ce Concile.* Quâ voce indicabat, pleraque Decreta, ad Diſciplinam & Reformationem ſpectantia, non afflatu Spiritûs Sancti, ſed Curiæ Romanæ artibus fuiſſe condita. Profectò, ſi acta integra Synodi Tridentinæ haberemus, multa nobis Curiæ Romanæ arcana paterent conſilia, quæ nunc tenebris obruuntur.

Attamen hæc non impediunt, quominùs ego cum clar. Barthello *de Concordatis Germ. Diſſert. III. Cap.* 1. §. 16. dicam & ſuſtineam, „ Concilium illud convocatum fuiſſe ad re„ ducendos diſſentientes à noſtrâ ſanctâ Religione, maximè Pro„ teſtantes, qui idcircò multoties invitati, imò enixè rogati „ fuêre ad conveniendum. Patres autem ignorare non poterant, „ quòd attribuendo Pontifici imperium abſolutum, meróque „ ejus arbitrio ſubſtans, removerentur potiùs à reditu ad Ec„ cleſiam, quia conſtans eorundem querela erat, quòd Ponti„ fices Eccleſiam deſpoticè, & à Canone pactóve quocunque „ prorſùs libere regerent, imò declaraverant, hanc ferè uni„ cam ſuæ ſeparationis cauſam fuiſſe. Proinde vel Concilium „ non egiſſet ſat conſequenter ad propoſitum ſuum, vel ap„ paret ſatis veroſimile, quòd mero Pontificis arbitrio, ultra „ morem reliquorum Conciliorum, Decreta ſua ſubjicere non „ voluerit, ... Demum hæc ipſa Tridentini Clauſula, licèt „ non expreſsè, tamen tacitè, ſemper omnibus anteriorum „ Conci-

Digitized by Google

„ Conciliorum Canonibus appoſita cenſeri debet; quare au-
„ tem in Tridentino aliquoties exprimenda videretur, non fie-
„ bat, ut per eandem *novæ quidquam poteſtatis* ſummo Pon-
„ tifici attribueretur, ſed, ut antiqua illa, & ex Jure Divino
„ vi Primatûs eidem competens poteſtas & authoritas contra
„ impugnationes Proteſtantium ſtabiliretur firmiùs, & aper-
„ tiùs conſolidaretur. Sicuti verò reſpectu aliorum Concilio-
„ rum dicta Clauſula tacitè iisdem ſubintellecta id non opera-
„ tur, ut in ejus vim Pontifex liberè, & per ſolum Reſcrip-
„ tum contrarium Canonibus híſce tacitè derogare cenſeri
„ poſſit; ita neque intuitu Canonum Tridentinorum eidem
„ Clauſulæ expreſſis verbis appoſitæ id adſcribi poteſt, cùm
„ taciti & expreſſi eadem vis eſſe clarè dignoſcatur. "

§. V.

De authoritate Conciliorum generalium ſupra Pontificem ex Concordatis Germaniæ.

Adversùs ſuperioritatem Conciliorum redeunt P. Viator *pag*. 204. *ſeqq*. & D. Kauffmans *Præfat. pag*. 13. ad communes Romanenſium objectiones. Nos eos hâc in viâ non ſequemur, quia his omnibus abundè ſatisfecit Joannes à Calore *in Apologia Febr. Art. IV.* Illud nunc aſſerimus, hanc ſupremam univerſalium Synodorum authoritatem eſſe *unum ex præcipuis articulis Concordatorum Germaniæ;* conſequenter eandem non ſolùm ab hac Natione tanquam veram & legitimam agnoſci, ſed & ejusdem authoritatis pondere ac nexu ex publico & ſolemni, in hanc usque diem perdurante pacto, Romanum Pontificem ligari.

Fata

Digitized by Google

Fata Decreti Seſſionis IV. & V. Concilii Conſtantienſis expoſuit Joannes à Calore *cit. Art. IV. n.* 2. Ea ſummatim hæc ſunt: Die 29. Martii an. 1415. præſente Sigismundo Imp. de rebus in proximâ Seſſione pro authoritate Concilii expediendis deliberatur: Decretum conſentientibus omnibus Nationibus concipitur, & quidem cum addito *Et reformationem in Capite & membris.* Dein proponunt quidam Cardinales, verba illa conſultiùs omitti. Verùm Nationes 30. Martii, interprete Sigismundo, decreto & memoràtis ejusdem verbis firmiter inhærent. Interim, dum ipſa jam Seſſio generalis Quarta habebatur, ibíque oportuiſſet fideliter prædeliberata & concluſa prælegere, Cardinalis Zabarella, ſuo arbitrio uſus, in ipsâ recitatione Decreti omittit verba illa: *& reformationem Eccleſiæ in Capite & membris.* Verùm hoc ipſum ægrè tulêre Nationes; hinc non tantùm publicæ querelæ emergunt, ſed & mox peculiares eapropter conventus celebrantur, quibus etiam effectum eſt, ut Decretum, per Zabarellam decurtatum, Seſſione quintâ reſtauraretur, ibidémque verba ſuprà memorata rurſus adderentur, quod & factum eſſe plura manuſcripta demonſtrant. Vide de his omnibus & ſingulis Hermanni von der Hardt Acta Concil. Conſtantienſis *Tom. IV. pag.* 81. 84. 85. 86 & 98. & *ſeq.*

Concilium Baſileenſe hoc Decretum Conſtantienſe innovavit, & totidem verbis Seſſioni ſecundæ inſeruit. Conſtat autem, eo tempore hoc Concilium pro Oecumenico habitum, & ab Eugenio Papa confirmatum fuiſſe. Vide ejus Bullam de 1. Auguſti an. 1433. apud Harduinum *Tom. VIII. col.* 1586. Adde eundem *ibid. col.* 1590. *ſeqq.* Poſt diſſolutionem hujus Concilii, in Seſſione XXV. ab Eugenio & variis Patribus factam, reliqui, qui Baſileæ remanſerant, ſubſtantiam hujus Decreti Seſſ. XXXI. in Decreto *Placuit.* repetierunt.

Electores Imperii, nec ſuſpenſionem nec depoſitionem Eugenii IV., neque electionem Felicis in ejus locum à Patribus Baſileenſibus ſuſceptam probantes, pridie electionis Alberti II. in Regem Romanorum, neutralitatem ineunt: attamen præmemoratum Conſtantienſe Decretum de authoritate Conciliorum generalium ùt indubiam definitionem Eccleſiæ Catholicæ, Imperio non minùs quàm univerſali Eccleſiæ ſalutarem, ipſimet cum integrâ Germaniâ venerantur & agnoſcunt. Hinc in ſolemni Conventu 26. Martii 1439. ſub Alberto Rege Moguntiæ celebrato Natio declaravit, *quòd acceptet cum omni honore, reverentiâ & devotione primò Decretum per ſacrum Conſtantienſe Concilium factum, & per ſacrum Baſileenſe Concilium renovatum, de Autoritate & Poteſtate generalium Conciliorum. Item Decretum in Triceſima primâ Seſſione, quod incipit: Placuit divinæ pietati &c.* Proſtat hoc Inſtrumentum acceptationis in libello ante nonnullos annos edito, & hoc annò 1771. Francofurti reimpreſſo ſub titulo *Concordata Nationis Germanicæ integra. pag.* 38. *ſeqq.* Eandem ſuam mentem circa acceptationem horum Conciliarium Decretorum declaravit Germanica Natio in Aviſamentis Moguntinis anni 1440., nec non in unione Electorali de 1446. apud L. B. de Gudenus *Cod. Diplom. Mogunt. Tom. IV. pag.* 290., ubi pro baſi Concordatorum cum Eugenio IV. ineundorum Electores Imperii hoc ponunt: *Zum erſten, das Pabſt Eugenius die Decret in dem Concilio zu Conſtenz geſetzet, und in dem Concilio zu Baſel erneuert, inhaltende die Gewaltſam der gemeinen Concilien erkennen und verjehen ſolle, von Wort zu Worte, als die Form darüber begriffen inheldet.*

Porro, cùm in Conventu Francofurtano dicti anni 1446. Legati Pontificis Eugenii IV. Imperatorem & Principes Imperii, univerſam Nationem repræſentantes, à ſuâ, in quâ ab

ab octennio hactenùs perſtiterant, neutralitate revocare, & ad obedientiam eidem Eugenio præſtandam pertrahere conarentur, unanimi conſenſu concluſum eſt, Germanos impoſterùm Eugenium pro vero Pontifice agnituros, dummodo ille nonnulla eorum Nationi concederet; quæ etiam Eugenius, dum ad ſe per ſolemnem Legationem ab Imperio deputatam deferrentur, auditis in Conſiſtorio ſecreto Legatis, indulſit. Inter hos à Germanorum Legatis propoſitos, à Papa acceptatos Articulos duo erant notabiliores: Primus, *ut novum quoddam generale Concilium in Alemanniæ partibus*, *in uno de quinque locis*, *videlicet Conſtantiâ*, *Argentinâ*, *Moguntiâ*, *Wormatiâ*, *Treviris*, *propter Eccleſiæ neceſſitates convocaretur.* In altero profitetur Pontifex, *ſe Concilium generale Conſtantienſe*, *Decretum FREQUENS*, *ac alia ejus decreta*, *ſicut cætera alia Concilia Catholicam militantem Eccleſiam repræſentantia*, *ipſorum poteſtatem*, *authoritatem*, *honorem & reverentiam*, *ſicut & cæteri ejus Anteceſſores*, *à quorum veſtigiis deviare nequaquam intendit*, *ſuſcipere*, *amplecti & venerari.* Hoc Breve Apoſtolicum Nonis Febr. an. 1447. datum ad Fredericum Romanorum Regem, Theodoricum Archiep. Moguntinum, & Fredericum Marchionem Brandeburgenſem, proſtat apud Raynaldum *ad annum* 1447. *n.* 5. & alios. Poſt illud editum proteſtabatur quidem Eugenius ſpeciali Salvatorio, quod etiam exhibet Raynaldus *ibid. n.* 7., „ Se, quoniam propter imminentem ſibi ægri-
„ tudinem non potuit omnia per Nationem petita, & à ſe
„ conceſſa, cum eâ integritate judicii & conſilii examinare &
„ ponderare, quam rerum magnitudo & gravitas requirit, per
„ quæcunque dictis Imperatori, Archiepiſcopo, Marchioni,
„ Prælatis, Principibus ac Nationi reſponſa & reſpondenda,
„ conceſſa & concedenda non intendere in aliquo derogare
„ doctrinæ ſanctorum Patrum, aut Sedis Apoſtolicæ privile-

„ giis & authoritati;“ attamen, cùm non obſtante hoc Salvatorio, neque in his Concordatis Eugenii IV. neque in illis Nicolai V. (de quibus mox) nec per poſterius aliquod Concilium, circa ea, quæ per eundem Eugenium Nationi Germanicæ declarata & promiſſa fuerunt, quidquam noſcatur immutatum aut retractatum, ſponte ſequitur, nihil in hiſce conceſſit offendi, quod regulis & doctrinæ SS. Patrum, aut eſſentiali & inabdicabili Sedis Apoſtolicæ authoritati & privilegiis deroget; eorum proinde valorem & conſtantem *obligationem pactitiam* à Natione jure optimo urgeri & manuteneri poſſe. Tantum autem abeſt, ut his per concordatum Aſchaffenburgenſe, anno 1448. inter Nicolaum V. & Germanicam Nationem initum, derogatum dici valeat, ut potiùs & ex contrario primum illud hâc in parte per ſecundum in verbis ejus finalibus innovatum & roboratum exiſtat. Verba hujus ſunt: *In aliis autem, quæ per felicis recordationis Dominum Eugenium Papam quartum, pro Natione præfatâ, usque ad tempus futuri generalis Concilii permiſſa, conceſſa, indulta, atque decreta, & per memoratum ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam Nicolaum confirmata fuêre, in quantum illa Concordiæ præſenti non obviant, iſtâ vice nihil extitit immutatum.* His adde Notam VII. ad Præfationem Tomi ſecundi Febroniani.

Itaque ad duo principaliter Nationi Germanicæ ſe obligavit Eugenius IV., quæ deinde Concordatis Aſchaffenburgenſibus firmata ſunt: *Primò.* ad requiſitionem Nationis, conformiter ad Conſtantienſe Decretum *FREQUENS*, ſingulis decenniis Concilium generale convocare. *Secundò*, ſe eidem Concilio non ſuperiorem, ſed ſubjectum agnoſcere ac gerere. Quanti autem Germanicæ Nationis interſit, binos hos articulos in viridi ſemper obſervantiâ tenere, nemo ſapiens non intelligit. Ex his principiis varia prono alveo fluunt corollaria: & quidem I. Opti-

Digitized by Google

I. Optimo jure dicere poſſumus cum clar. Barthel *de Concordatis Germ. Differt. III. Cap. I.* §. 16. „ Ut ùt fortia & „ convincentia allata hactenùs argumenta appareant, fortius „ tamen & ſpeciale pro noſtra Germania argumentum ex eo, „ quem hactenùs præ manibus habuimus, textu Concordato- „ rum, depromi poſſe credimus, ceu ex quo omninò con- „ fectum eſt, ſummum Pontificem *in vim pacti* ſe eò obligâſſe, „ ut in poſterum Conciliorum auctoritas, pòteſtas, honor „ & eminentia firma ſtet, ne iisdem tam facilè, & pro lubi- „ tu poſſit vel cenſeatur etiam tacitè derogari. Cautè igitur „ atque ex ſcientiâ pragmaticâ ſobriè de poteſtate Papali hâc „ in parte loquendum eſt & ſtatuendum, ne linguas acuamus „ adverſariorum noſtrorum, ad conclamandum, id quod „ Sanctæ Sedi affingunt, in tempore ſcilicet neceſſitatis, & „ exigente convenientiæ lege, poſſe eandem & ſolere pacta „ publica & ſolemnia inire, ſed ita, ut, hâc lege deinceps „ ceſſante, ceſſet obligatio, vel ſaltem iis derogare præfatæ „ S. Sedi ex plenitudine poteſtatis liberum & integrum rema- „ neat." Inde ſequitur

II. regulis prudentiæ & juſtæ moderationis omninò conforme & in Germaniæ foris uſurpandum, quod circa quæſtionem de authoritate Conciliorum œcumenicorum in Galliâ uſu teneri refert de Marca *de C. S. & J. Lib. III. Cap.* 7. *n.* 1. ubi: „ hæc ſententia, ait, etſi in ſcholâ Pariſienſi & cæteris hujus „ regni academiis, certiſſima habeatur, in foro apud nos non „ diſceptatur. Quin etiam receptos mores, & conſuetudines „ noſtro uſui commodas adeò retinemus, ut etſi Canone Con- „ cilii generalis diſtituamur, quo illæ firmatæ ſint, tamen ab „ iis diſcedendum eſſe non cenſeamus. Quare non eſt, quòd „ hæreamus in eâ regulâ, quæ Romanis ſtomachum movet, „ & quæ rebus noſtris non proſpicit, ùt par eſt. Fruatur

Digitized by Google

„ ſummus Pontifex aut æquo jure cum Conciliis generalibus,
„ aut ſuperiori. Illud unum in foro expendetur, an nova
„ Conſtitutio vel novum Reſcriptum rebus noſtris conſulat
„ aut noceat. Si receptos Canones vel receptos mores infrin-
„ gat aliquo pacto, ejus ratio non habebitur, niſi conſenſu
„ publico accedente. “

III. Cùm ſic Lege publicâ & pragmaticâ Imperii definitum ſit, Papam conformiter ad Decreta Synodorum Conſtantienſis & Baſileenſis Concilio ſubeſſe; atque Imperator vigore Articuli XIV. ſuæ Capitulationis ad hujus Legis obſervantiam & manutentionem ſe ſe ſolemniter obligaverit; hinc privatis Doctoribus minimè permittendum, ut ſententias dictis Decretis contrarias, ſive è cathedris, ſive impreſſis ſcriptis tradant, aut eorundem Decretorum vigorem per ſcholaſticas diſtinctiunculas, & ſubtilitates ſpiritui Legis & Concordati adverſas, quoquo modo enervent; deberet potiùs (uti in Galliâ prudenter fit) auctoritate publicâ eis ſub gravi pœna, ſignanter amiſſionis ſuarum Cathedrarum, mandari, ut juventutem conformiter ad has Leges Eccleſiæ & Imperii poſitivè inſtituant. Qui in officio publico ſe Conſtitutionibus Patriæ accommodare, ſeque his ſubjicere detrectant, illi in eodem relinquendi minimè ſunt. His inſuper ſatisfit deſiderio D. Kauffmans, in ſuo Apologetico *Diſſert. I.* §. 10. *n.* 42. & 44. à Febronio poſtulanti, ut ſibi per legitimas auctoritates demonſtretur, Decreta Conſtantienſia & Baſileenſia circa ſuperioritatem Conciliorum & reſpectivam ſubmiſſionem RR. Pontificum in Germaniâ recepta eſſe.

IV. Quandoquidem Rom. Pontifex virtute Concordatorum ad convocandum ſingulis decenniis generale Concilium ſe obligaverit, & Natio Germanica illi per eadem Concordata tam *Alternativam Menſium*, quàm *Annatas* non aliter addixe-

rit,

rit, quàm ſub hàc expreſſa clauſulà: *Niſi in futuro Concilio de conſenſu* ejusdem *Nationis aliter fuerit ordinatum*: hinc ſpontè ſequitur, Papam promiſſam horum Conciliorum ſingulis decenius convocationem (utí hactenùs fecit) negligentem, dictos favores à Germanis deinceps exigere non poſſe, ſed omnia ad jus anterius & commune, ſignanter ad terminos Concilii Baſileenſis, (quod in articulis 26. Martii 1439. à Natione acceptatis, genuinum Concordatorum Germaniæ fundamentum conſtituit) reducenda eſſe. In Tridentino harum materiarum tractatus à Romanis declinatos fuiſſe, ampliſſimus teſtis eſt Card. Pallavicinus *Lib. XIX. Cap.* 1. *n.* 4.

Atque hæc ſufficiunt ad evertenda omnia, quæ adversùs acceptationem Decretorum Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis, ad juſtam inſtantiam Germanicæ Nationis ab Eugenio IV. & Nicolao V. factam, molitur Viator noſter Italus *pag.* 310. *ſeqq.*

§. VI.

De prætenſa revocatione eorum quæ Æneas Sylvius & Card. Julianus in Baſileenſi Synodo egerant.

Adversùm Decreta Seſſionis IV. & V. Concilii Conſtantienſis multa, ſed ùt ipſe fatetur, ferè obvia & ab aliis ſæpius repetita, profert Viator Italus *pag.* 204. *ſeqq.* His nunc plura hìc opponere non attinet, cùm jam prævìè, & utì quidem reor, ea plenè enervata fuerint à Joanne à Calore in Apologia Febron. *Art. IV.*, quam ille nondum viderat. In hac Apologià præter alia oſtenſum eſt, memorata Conſtantienſia Decreta in ſenſu à nobis intento, à viris magnis & doctis, eidem Concilio ſupparibus, intellecta fuiſſe. Inter hos haud dubiè numerandi ſunt Patres Concilii Baſileenſis, præcipuè verò illius

Præſes

Præſes Cardinalis Julianus: etenim inter utramque hanc generalem Synodum non interceſſerunt niſi anni decem & ſeptem. Porro ſic ad Eugenium PP. IV. die 5. Junii an. 1432. Baſileà ſcripſit laudatus Cardinalis: „ An hoc Concilium (Baſileenſe) „ legitimum ſit, ex Concilio Conſtantienſi dependet: Si illud „ verum fuit, & iſtud. Nemo autem dubitare viſus eſt, an „ illud legitimum fuerit: ſimiliter & quidquid decretum eſt. „ Nam ſi quis dixerit, Decreta illius Concilii non eſſe valida, „ fateri neceſſe habet, privationem olim Joannis (PP. XIII) „ factam vigore illorum Decretorum non valuiſſe: ſi illa non „ valuit, nec Papæ Martini tenuit electio, facta illo adhuc „ ſuperſtite. Si Martinus non fuit Papa, nec Sanctitas Ve„ ſtra eſt, quæ per Cardinales ab ipſo factos electa eſt. Nul„ lius ergo magis intereſt defendere decreta illius Concilii, „ quam S. V. Et ſi quodcunque illius Concilii decretum re„ vocetur in dubium eàdem ratione poterunt revocari & re„ liqua ejuſdem Concilii decreta. Hàc eàdem ratione nec alio„ rum Conciliorum decreta valebunt: quia quà ratione vacil„ lat fides unius Concilii, vacillabunt reliqua omnia, juxta argu„ mentationem B. Auguſtini, & habetur IX. Diſt. Cap. *Si ad* „ *ſcripturas*. Ergo & fides & omnia Eccleſiæ Sacramenta titu„ babunt, ſi de robore unius Concilii legitimè congregati „ dubitetur. "

Verùm hic intercedit Italus Viator, ſic Febronium *pag.* 250. alloquens: Quà fronte mutatam Juliani ſententiam diſſimulàſti? Quænam injuria pientiſſimo viro & celeberrimo in triumphum ferre ejus errores, altiſſimo obducto velo ſuper ejus reſipiſcentiam? Cùm prætenſa illa Juliani retractatio communis ſit cum illà Æneæ Sylvii, utraque aſſertà in bullà Pii II., ad Univerſitatem Colonienſem 26. Aprilis an. 1463. directà, hinc idem Adverſarius *pag.* 21. ait, Febronium maximè inexcuſa-

excuſabilem ſe reddere, quod Æneam inter ſuos fautores connumeret, qui poſteà errorem ſuum agnovit & correxit.

Proſtat ſanè Bulla hæc retractatoria Pii II. apud Harduinum Tom. IX. col. 1449., in quâ Pontifex omnia, quæ olim privatus, ſeu, ùt ait, *in minoribus conſtitutus*, de actis Concilii Baſileenſis ſcripſerat, *tanquam erronea*, *& juvenilis animi judicio parùm penſata*, *revocat atque omninò reſpuit.* Verùm tantum abeſt, ut hæc Bulla geſtis Æneæ Sylvii deroget, ut potiùs illa magis magíſque confirmet. Etenim

I. ait, ſe non ex Urbe, cujus mores & inſtituta minimè noverat, ſed ex Gymnaſio Senenſi, juvenem ac rerum humanarum inexpertum, Baſileam ſe contuliſſe, ac *ſine ullo mendacio aut fuco*, *quæ* ibi peragi vidit, ſcripſiſſe, ac ſe benè agere putâſſe. Certè hæc nullo modo retractationi, quam Pius adornare voluit, ſubeſſe, aut geſtis, quæ ille magnâ cum fide ſcripſit, detrahere poſſunt. II. Pondus ac recommendatio, aut reprobatio actorum Baſileenſis Synodi, non petenda *à juventute aut ætate ſcribentis*, ſed à *veritate rei* & à qualitatibus poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ ibidem explicatæ à Patribus, & fideliter ab Æneâ Sylvio collectæ ſunt: *Nam*, inquit, *nihil mentiti ſumus*, *nihil ad gratiam*, *nihil ad odium*, *retulimus: nec mentis noſtræ aliud erat objectum*, *quàm publica utilitas & amor veri.* Sic Pius II. uno eodémque calamo Acta à ſe ſcripta retractat, atque inſimul tanquam ſummâ fide ſcripta comprobat atque commendat. Atque ita diſpellitur, quod prætexit, ſe tum divi Pauli exemplo Eccleſiam perſecutum, & nunc S. Auguſtinum imitari. Profectò aliud eſt Curiæ Romanæ in novioribus ſuis principiis, Eccleſiæ Chriſti noxiis, contradicere, aliud Eccleſiam Catholicam perſequi. III. Quod Pius objicit, *Petrum ejúſque ſucceſſores Primatum habere à Chriſto*, id nullâ in parte controverſum eſt inter Catholicos; ſed dun-

taxat *de abſolutâ Curiæ Romanæ Monarchiâ*, tanquam Juri Divino, Naturali, & Canonico infeſtâ contenditur.

IV. Etſi poteſtas Eccleſiaſtica & Primatus immediatè ſit à Deo inſtitutus, tamen absque medio non confertur Papæ, Epiſcopis & Sacerdotibus: id eſt absque miniſterio Eccleſiæ, quæ Papam, Epiſcopos & Sacerdotes deligit, quibus etiam ſacros confert Ordines. Nullâ igitur ratione admittendum eſt, quod Pius II. *l. cit. col.* 1452. aſſerit, Pontificem Romanum canonicè electum *ſupremam à Deo poteſtatem SINE MEDIO conſequi, & per ordinem in omnem diffundere Eccleſiam.* Quandoquidem auctoritas Eccleſiaſtica tota reſideat in Chriſti Sacerdotio credito Eccleſiæ, ut illud proportionatim Papæ, Epiſcopis, & Sacerdotibus diſpertiretur. V. *Aderant*, inquit Pius col. 1453. *Legati Pariſienſis ſcholæ, cujus eſt fama perecelebris: adfuerunt & aliquando veſtri* (Colonienſis) *& aliorum ſtudiorum Germanicæ Nationis oratores, & uno cuncti ore Concilii Generalis auctoritatem ad cælum efferebant..... Adversùs Concilii dignitatem mutire aliquid crimen hæreſis fuit. Una omnium vox Concilium Eugenio præferebat.* Non ſine divino judicio factum videtur, quòd Pontifex ſuæ ſententiæ retractationem facturus, ipſe agnoſcat illam doctrinæ omnium Catholicarum Scholarum eſſe conformem. VI Simile nobis judicium eſt de eo, quod ibid. ultrò fatetur Pius Papa: *Acceſſit & ipſius Eugenii conſenſus, qui diſſolutionem Concilii à ſe factam revocavit, & progreſſum ejus approbavit &c.* Mirum hæc illum voluiſſe inſerere inter ſuas excuſationes, cùm actis Concilii confirmandis inſerviant.

VII. De eo tunc quærebatur, *an major ſit Papæ quàm univerſalis Concilii*, Eccleſiam immediatè & eſſentialiter repræſentantis, *auctoritas:* & utrùm, invito ac inconſulto Concilio, Pontifex Romanus illud poſſit diſſolvere, aut quocun-

que

que voluerit traducere. *Eugenius*, inquit Pius, *in Italiâ non ſine ratione Concilium petebat: popularitas Synodalis tranſire montes horrebat.* Notari meretur, quòd Concilium legitimè congregatum contemptim vocet *popularitatem Synodalem.* Non ita Dominus & ſanctæ Eccleſiæ noſtræ inſtitutor, qui Matthæi XVIII pollicetur, ſe certò affuturum Conciliis Eccleſiæ: *Ubicunque*, inquit, *fuerint duo vel tres congregati in nomine meo*, *ibi ſum in medio eorum;* quâ formulâ omnem excludit ſingularitatem & abſolutam Monarchiam, quam Curialiſtæ adſtruere moliuntur.

Compendium & concluſio omnium hactenus dictorum eſt, Æneam Sylvium, cùm eſſet juvenis, & necdum ſibi ad opes, beneficia atque honores animum induxiſſet, ad Acta Synodi Baſileenſis fideliter, absque ullo fuco & fallaciis conſcribenda acceſſiſſe: conſequenter potiùs illi habendam fidem ùt juveni & pauperi privato, quàm ùt Cardinali ac Pontifici ſeni & diviti. Argumentum & rationem juvenilis verecundiæ & integritatis pandit ipſe: *Nam*, inquit, *nihil mentiti ſumus*, *nihil ad gratiam*, *nihil ad odium retulimus: nec mentis noſtræ aliud erat objectum*, *quàm publica utilitas & amor veri.* Contra adepto Cardinalatu & demum Pontificatu, ſuæ potiùs cauſæ, quàm Eccleſiæ Catholicæ ſervire, atque ſtatui temporali Romanæ Curiæ providere voluit. Profectò ipſa veritas, quanto majori artificio & animi contentione hìc à Pio II. obtegitur, eò magis ſe prodit.

Melioribus coloribus hìc non deſcribam mutationem animi hujus Pontificis, quàm iis, quibus Eugenium IV. Baſileenſe Concilium rumpere meditantem pinxit ejusdem Synodi Præſes Card. Julianus, cùm ad eum 5. Junii an. 1432. ita ſcriberet: „ Dicunt jam, nos ſperabamus, quòd hic redempturus „ eſſet Iſraël. Pro Deo abſtineat Sanctitas veſtra à tanto ſcanda- „ lo; etiamſi ſciret ſe occidendam ratione hujus Concilii,

 „ non

„ non permittat ſe tam indelebili ignominiâ notari, & tanta
„ ſcandala ſequi. Si *in juventute & in omni ætate, ſi ante dignitatem Cardinalatûs, & pòſt ſemper oſtendiſtis ſigna integritatis & ſanctitatis*, ſi ſemper fuiſtis nutritor bonorum morum, & perſecutor malorum: quantò magis nunc facere debetis, cùm vices Dei geritis in terris? Si modò hoc fiat, ſi poſtea vixeritis ùt beatus Petrus, nunquam credemini: putabunt homines omnia fictè fieri. Jam igitur de nullo homine nec ſpes nec fides habebitur, ſi tali maculâ modò Sanctitas veſtra permittat ſe inquinari." Sic eodem ferè tempore *Papa Eugenius* & *Papa Pius*, ambo ante Apoſtolatum ſinceri animi laude clari, poſt conſenſum hunc apicem Curialiſtarum ſufflaminationes ſecuti, integritatis gloriam, in eadem cauſa, ita amiſerunt, ut vix ullus ſit qui non potiùs fidem habeat *Gabrieli* quàm Eugenio, *Æneæ* quàm Pio.

Conatus equidem fuit Pius Pontifex in memoratâ ſuâ epiſtolâ ſeu Bullâ ad Univerſitatem Colonienſem datâ laudatum Cardinalem Julianum, firmam ſanè Eccleſiæ columnam, ſocium facere ſuæ inconſtantiæ & mutabilitatis ingenii in dijudicanda cauſa Eccleſiæ. Verùm ex familiari Juliani & Æneæ colloquio de hac materia Viennæ Auſtriæ habito (quod eſt totum hujus rei argumentum) & Æneæ ſtylo in dicta Bulla *col.* 1454. *& ſeq.* relato, exornato & ampliato, illud ſolùm & reverà intelligimus, Julianum, poſtquam plures Patres ab urbe Baſileenſi & à Concilio jam diſceſſiſſe, & rem ad ſchisma vergere videret, ad hoc impediendum, conſequenter optimo fine, ſuum Præſidis munus depoſuiſſe & ad Eugenium rediiſſe, cui deinde, prout bonum virum & Cardinalem decuit, adversùm eos, qui diſſolutâ Synodo Baſileæ remanſerunt, & Antipapam elegerunt, adhærere, & varia ſub ipſo illuſtria munera atque legationes ad mortem usque implere perrexit. Quando interim ne

Digitized by Google

ne verbo aut alio indicio conſtat, illum egregia ſua pro ſuperioritate Concilii argumenta, tum in capite hujus §phi, tum apud Febronium *Cap. VI.* § 16 relata, aut refelliſſe, aut alienum ab eis animum demonſtrâſſe: ſcilicet in & pro caſu, quo illis *circa periculum ſchismatis* uſus ſeu locus daretur. Hæc nunc ſufficiant ad refutandum ea, quæ de prætensè primùm errante, pòſt retractante Juliano, incaſſum memorat Eximius Kauffmans *pag.* 15. ſuæ ſecundæ Præfationis.

Occaſione hæreſum, quæ ſæculo XVI. eruperunt, hæc de Juliano Card. memorat Auguſtinus Gervaſius in Vindobonenſi Univerſitate SS. Theologiæ Profeſſor *Tomo VIII. Curſûs Theologici anno* 1766. *editi pag.* 30. „ Non eſt, quod de tam „ lugenda felicitate ſibi Lutherus blandiatur. Corruptio mem„ brorum Eccleſiæ, etiam nobiliorum, maxima erat & into„ lerabilis. Eam multis ſæculis antè depinxit Eugenio III. S. „ Bernardus; eam multis lacrymis ſæculo antè Lutherum ex„ poſuit *Eugenio IV. Cardinalis Julianus, præſertim quando* „ *tempore Concilii Baſileenſis omnem maximè neceſſariæ reforma-* „ *tionis ſpem eluſam vidit*. (lege Boſſuetum initio Hiſt. Variat.) „ Itaque eò demum abuſus & corruptelæ, vitia populi, odium „ in Clerum, eò efferventia animorum devenerant, ut unus „ quæreretur, qui tubâ primus caneret, & ad arma paratiſſi„ mos invitaret. Is fuit Lutherus &c. " Porro quàm parum veroſimile eſt, Julianum, licèt poſtea Eugenio iterum adhæſerit, ſuum de corrupto, & necdum emendato, Eccleſiæ Romanæ ſtatu mutâſſe animum; tam parum credi poteſt, eundem ſuam de Conciliorum generalium ſuperioritate depoſuiſſe ſententiam, quam tam validis argumentis & rationibus munierat.

TITULUS VI.
De authoritate Epiſcoporum ex jure divino.

§. I.

Epiſcoporum jurisdictio immediatè à Deo eſt.

Quemlibet Epiſcopum in ſua diœceſi ex divina inſtitutione ſupremum Paſtorem & Gubernatorem eſſe, ſemper recognovit Eccleſia. Hoc teſtantur Patres & Concilia. Sic S. Cyprianus in Epiſtola 72. ad Stephanum Papam ſcribebat: *Cùm habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium unusquisque Præpoſitus*, *RATIONEM ACTUS SUI DOMINO REDDITURUS.* Sic medio ſæculi IX. Patres Concilii generalis VIII. ajunt, ſe in depoſitione & anathematizatione Photii agere *per datam ſibi poteſtatem in Spiritu Sancto A PRIMO ET MAGNO PONTIFICE NOSTRO LIBERATORE AC SALVATORE CUNCTORUM.* Sic itidem medio ſæculo XII. ad Eugenium PP. III. ſcribit S. Bernardus Lib. III. de Conſiderat. Cap. 4. *Erras, ſi ùt ſummam, ita ſolam A DEO tuam exiſtimas poteſtatem.* Sic (ut alia prætermittam) ſub initium ſæculi XIV. Durandus Mimatenſis Part. I. Tit. 5. pag. 22. ùt indubiam & communem doctrinam tradidit, *quòd Epiſcopi poteſtatem & honorem receperint A DEO, à quo LOCO APOSTOLORUM conſtituti ſunt.*

Tam in Epiſcopis, quam in Papa duo diſtinguenda veniunt: ſcilicet 1) *jurisdictio* ſeu poteſtas eorum officio annexa, &

& 2) *deſignatio perſonæ*, quæ officium illud aſſumit & exercet. Porro deſignatio perſonæ, tanquam conditio *extrinſeca*, veniebat quondam à Clero & populo eligente, & à Metropolitano acceptante ſeu confirmante; nunc à Capitulo Cathedrali in Germania eligente, in Gallia à Rege nominante, & à Papa acceptante ſeu confirmante. Sed *juriſdictio* venit *immediatè* à Chriſto, tanquam qualitas *intrinſeca* ordinis Epiſcopalis. Eâdem planè ratione *deſignatio Papæ* venit ab electione Eccleſiæ; ſed juriſdictio ſeu poteſtas (uti omnes agnoſcunt) venit immediatè ab eodem Chriſto, tanquam unico inſtitutore Ordinis Epiſcopalis, & Pontificii Primatûs, nec non functionum utrique eſſentialiter annexorum.

BenedictusXIV. *Tractatu de Synodo Lib. I. Cap.* 4. & poſt eum Italus noſter Viator *pag.* 130. prætendunt, rationi & auctoritati conformiorem videri ſententiam, quòd Epiſcopi poteſtatem *juriſdictionis* (ſub qua comprehendunt jus conferendi beneficia, cauſas audiendi, leges & cenſuras ferendi, ac cætera præſtandi, quæ ad ſubjecti gregis regimen ſunt neceſſaria) accipiant à ſummo Pontifice. Pro *RATIONE* adferunt, quòd ratio *Monarchici* regiminis, à Chriſto in ſua Eccleſia conſtituti, videatur expoſcere, ut totius Eccleſiæ juriſdictionis fons & origo reſideat in ejuſdem viſibili Capite, qui eſt Romanus Pontifex, atque ab eo profluat in cætera membra. Pro *AUCTORITATE* citant tria Patrum loca: primum ex Epiſtola 24. Innocentii I. ad Epiſcopos Carthagine congregatos, apud Harduinum *Tom. I. col.* 1025. Alterum Epiſcoporum Africæ, ſcribentium ad Theodorum Papam. Harduini *Tom. III. col.* 734. Tertium Leonis M. Epiſt. 10. cap. 1. ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ, quam etiam refert Gratianus *Diſt. XIX. Can.* 7. Quod hi *pro ratione deciſiva* & tanquam ſuppoſitum laudant, hoc faciliùs excuſabitur in ſimplice Capucino,

quàm

Digitized by Google

quàm in docto Pontifice, cujus animum idea Statûs Monarchici non debuiſſet eò usque occupare, ut obliviſceretur illius, quod refert Card. Pallavicinus *Lib. XXIV. Cap.* 10. *n.* 1. nempe Oratores Regis Galliæ in Concilio Tridentino ſemper repugnâſſe titulo & juri *Epiſcopi univerſalis*, quem Romani Pontifices prætendebant; & quæ ulteriùs de Tridentinorum Patrum, Gallorum maximè & Hiſpanorum, in eandem rem ſententiis ac votis refert idem Pallavicinus *Lib. XVIII. Cap.* 14. nec non *Lib. XXI. Cap.* 11. & 13., quæ loca ipſe memorat Benedictus XIV. Confer à nobis relata *Tit. I.* § 4. Sanè ſæculo IX. Romanus Pontifex reſpectu diœceſanorum aliarum, quoad jus ligandi & ſolvendi, in opinione communi non habebatur pro *univerſali*, ſed pro *alieno* ſeu incompetente. Vid. Ahytonis Epiſcopi Baſileenſis Capitulare, hoc eſt, Ordinata Diœceſana, quorum verba *Tit. VII.* §. 2. referemus.

Ad tria Patrum loca, quæ *pro auctoritate* ab Italis hîc adferuntur, jam reſpondit Joannes à Calore in Apologia Febron. *Art. VIII. n.* 2; & quidem, quod ad bina priora attinet, quantum ſatis. Tertius locus, qui eſt ex Epiſtola 10. S. Leonis, majore conſideratione dignus videri poſſet, & ampliore elucidatione indigere. Eſt ille ſequentis tenoris: *Hujus muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, ut in beatiſſimo Petro, Apoſtolorum ſummo, PRINCIPALITER collocaret, ut ab ipſo, QUASI QUODAM CAPITE dona ſua, velut in corpus omne diffunderet.* Verùm, *numquidnam reliqui ſancti & beati Apoſtoli*, inquit Gelaſius Papa Tract. adv. Græcos, apud Sirmondum in Append. Cod. Theodos. pag. 184 & 187., *non erant ſimili virtute ſuccincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed, ut Capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio, & una monſtraretur compago corporis Chriſti.... Duodecim certè fuerunt Apoſtoli, paribus meritis parique dignitate*

tate ſuffulti; cùmque omnes æqualiter ſpirituali luce fulgerent, unum tamen Principem eſſe ex illis voluit Chriſtus. Igitur illud *principaliter* non eſt idem, quod magis completè magiſque perfectè, ſed poteſt *a*) ſignificare quod mox dixerat Gelaſius, videlicet Petrum inter cæteros Apoſtolos, *paribus meritis paríque dignitate ſuffultos*, *&* *æqualiter ſpirituali luce fulgentes PRINCIPEM* eſſe conſtitutum; quod nemo Catholicorum negat. *b*) *Principaliter* idem etiam hìc eſſe poteſt ac *originaliter*, id eſt, in ipſa Apoſtolicæ Pontificalíſque dignitatis inſtitutione atque principio. *c*) Hoc ſenſu S. Cyprianus Epiſt. 55. Eccleſiam Romanam *principalem* nuncupat, id eſt, ùt ſtatim explicat, *unde unitas Sacerdotalis exorta. d*) Eadem ſignificatio tribui poteſt S. Irenæo Lib. III. Cap. 3. ſcribenti: *Ad Romanam Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam.* Quia videlicet inter *Eccleſias Apoſtolicas, matrices & originales fidei* (ùt loquitur Tertullianus Præſcript. contra hæreticos Cap. 20.) *à quibus traducem fidei & ſemina doctrinæ cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur ut Eccleſiæ fiant. e*) Ut is etiam Principalitatis ſenſus apud Irenæum eſſe credatur (quamvis aliquibus aliter videatur. Vid. ſuprà *Tit. II.* §. 6) facit loci ipſius contextus. Imò hanc vocem *Principalitatis* Leonem ab Irenæo hìc mutuatum fuiſſe, eſt admodùm veroſimile. *f*) Sed neque alius eſt ultimorum verborum Leonis ſenſus, quàm qui iſtorum Innocentii in Epiſtola 2. ad Victricium Rotomagenſem, ubi: *incipiam*, inquit, *adjuvante ſancto Apoſtolo Petro, per quem & Apoſtolatûs & Epiſcopatûs in Chriſto cœpit exordium.* Attamen *g*) neque Innocentius neque Leo loquitur de fonte, principio atque dono *poteſtatis Epiſcopalis*; ſiquidem certum ſit ex ordine Evangeliſtarum, hanc priùs communiter à Chriſto collatam fuiſſe Apoſtolis, quàm acceſſerit prærogativa ſeu principalitas

Petri in eadem communione; non obſtante, quòd ex Diſcipulis Petrus primus à Chriſto vocatus fuerit. *b*) Taceo, quòd S. Leo P. hanc Epiſtolam exaraverit in cauſa S. Hilarii Arelatenſis, quem ille, uti communiter creditur, non juſtè exagitavit; adeo, ut ad eum opprimendum etiam Valentiniani III. Imp. auctoritate uſus ſit; quod pro ſua apud hunc gratiâ facilè valuit. Mirum itaque non eſt, quòd cùm Pontifex actum ſuæ poteſtatis, adversùs unum è præcipuis Præſulibus Galliæ exercitum, apud ejus Collegas juſtificare ſuſceperit, exquiſitis ad eandem ſtabiliendam formulis atque phraſibus uſus ſit in ingreſſu ejus, de qua agimus, Epiſtolæ; quibus proinde tantum virtutis atque roboris agnoſcendum eſt, quantùm eæ cum aliorum Patrum ſententiis conveniunt.

Cæterùm Epiſcopi jurisdictionem accipiunt non à Confirmante, neque per Confirmationem, ſed immediatè à Chriſto *per Conſecrationem;* hæc ſola dat poteſtatem, ſicut *Ordinis*, ita & *Jurisdictionis*, *divinam:* unde Canon I. Diſt. C. Eccleſias usque ad conſecrationem novi Epiſcopi ſimpliciter vocat *viduatas*, id quod fruſtra ad ſuum ſcopum torquet Innocentius III. in Cap. I. de Translat. Dixi poteſtatem jurisdictionis *divinam:* omnis enim jurisdictio quaſi-epiſcopalis *humani* juris eſt; ſicut & illa, quæ ſequitur electionem in concordia factam, in locis ultra Italiam conſtitutis, etiam ante confirmationem, juxta Cap. 44. X de Elect. Porro quod ad Confirmationem attinet, non differt ea ullatenus quæ nunc vigore juniorum Canonum à Romano Pontifice ſumitur, ab illa, quæ vi antiquiorum accipiebatur à Metropolitano. Finaliter Apoſtolus Act XX. ℣. 18. ait: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos SPIRITUS SANCTUS poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei:* Non dixit, in quo vos *Petrus* poſuit Epiſcopos. Inde S. Cyprianus de Unitate Eccleſiæ pag. 195. *Hoc erant*

utique

Digitized by Google

utique & cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris ET POTESTATIS: à Deo certè, non ab homine.

De origine & fonte juris Epiſcopalis ita diſſerit D. Kauffmans in Præfatione ſecundæ editionis *pag.* 19. *ſeq.* „ Poteſtas „ ùt Sacerdotis, ità Epiſcopi *non ab homine eſt*, ſed *à Spiritu* „ *Chriſti*, ſicut à principio & nunc & ſemper. Poſt Apoſto- „ los præter inviſibilem junctionem *in uno Spiritu*, alia eſt „ *conſpicua per hominem*, dum hominis miniſterio poteſtas „ communicatur, & dum *Præceptoris*, *quem oculi noſtri vi-* „ *dent*, gubernatione conceditur exercitium poteſtatis . . . . . „ Ad unitatis conſervationem ſpectat, omnes gregum parti- „ cularium Paſtores cum Romano Pontifice propter potentio- „ rem S. Sedis Apoſtolicæ principalitatem communicatione „ Sacrorum conjungi, ut ſit unum Ovile, & unus Paſtor. „ Ita ſacrum Miniſterium Epiſcopale exercendi facultas, ſicut „ Romani Pontificis authoritate incipit, ita & conſervari de- „ bet, ſeu, ut ſcholaſticâ phraſi jam commodè utar, & *in* „ *fieri*, & *in facto eſſe* perpetuò ad ultimum vitæ momentum „ (ſi Clero & populo præeſſe pergat) dependebit . . . . Epi- „ ſcopi per conſecrationem fiunt Patres. *Pro Chriſto*, non *pro* „ *Papa* legatione funguntur, poſtquam Papa perſpectis iis, „ quæ fidem, ſcientiam, merita, electionem ſpectant, judi- „ caverit eos ad Cathedram Epiſcopalem elevandos, & quàm- „ diu impedimentum SS. Canonibus declaratum non obſtite- „ rit, propter quod Papali providentiâ pro fidelium ſubdito- „ rum ſalute loco moveantur.

Quàm inopes rerum voces! quàm inania & confuſa verba! Videat quisque prudens, an & quantum hæc firment ſententiam Benedicti XIV, quam hoc §pho expoſuimus, ſententiam, quam Febronius ejúsque defenſores meritò impugnârunt. Quis eſt ille *Præceptor* oculis noſtris conſpicuus, cujus mini-

Digitized by Google

ſterio Epiſcopalis poteſtas communicatur? Per tredecim ad minus ſæcula fuit Metropolitanus; hodie in Germania *virtute Concordatorum* eſt Epiſcopus Romanus. Quid *ad collationem authoritatis Epiſcopalis* & ſingularum ejus partium facit ſubſequens illa communicatio cum Papa tanquam Centro Eccleſiæ? Illa Epiſcoporum facultas, illud jus conferendi beneficia, cauſas eccleſiaſticas audiendi, leges & cenſuras ferendi, & reliqua, quæ ad ſubjecti gregis gubernationem neceſſaria ſunt, præſtandi, de jure neque *in fieri*, neque *in facto eſſe* dependent à ſummo Pontifice. Epiſcopi in Gallia adhuc hodie conſecrantur auctoritate & jure Metropolitani, non Romani Pontificis. &c. Et ſi in Germania Confirmatio electionis Romana injuſtè negaretur vel protraheretur, hoc jus æque ac in Gallia ad Synodum provincialem rediret, atque ita ab hac electio legitimè facta jure revoluto poſſet confirmari.

Hæret adhuc Italus, & quærit, qua ratione combinari valeat quod à Febronio aſſeritur, Claves datas eſſe *Eccleſiæ*, cùm tamen hic prætendatur, ſingulos Epiſcopos eas immediatè habere *à Chriſto*. Hoc ænigma ſolvit Toſtatus Epiſcopus Abulenſis loco per Febronium *Cap. I.* §. 6. citato. Videlicet: „ Ipſa multitudo non habet Juriſdictionem, cùm Juriſdictio „ ſecundum actum non poſſit cadere *in communitatem*, ſed „ *in perſonam determinatam*, quia juriſdictio requirit actus, „ ùt judicare & imperare; communitas autem non poteſt exercere actus aliquos; imò impoſſibile eſt in communitate eſſe „ juriſdictionem ſecundùm actum. Eſt tamen juriſdictio ſecundùm originem in communitate & ſecundùm virtutem; „ quia omnes perſonæ accipientes juriſdictionem, ex virtute „ communitatis accipiunt, quia ipſi poſſunt per ſe judicare, „ Communitas autem non. Ita autem videtur de Clavibus „ Eccleſiæ, quia illæ datæ ſunt à Chriſto *toti Eccleſiæ*. Quia

„ tamen

„ tamen non poterat tota Eccleſia diſpenſare illas, cùm non „ eſſet aliqua perſona, tradidit eas Petro, nomine Eccleſiæ, „ Non fuerunt datæ claves illis Apoſtolis *tanquam determinatis perſonis*, ſed *tanquam Miniſtris Eccleſiæ;* & tunc magis „ dabantur claves Eccleſiæ, cùm Eccleſia, quæ habet illas radicaliter, nunquam moriatur.... Reſpondendum eſt, quòd „ Eccleſia ſuſcipit claves à Chriſto; & Apoſtoli tanquam Miniſtri Eccleſiæ: & nunc Eccleſia illas habet, & Prælati „ etiam; ſed aliter Eccleſia quàm Prælati: nam Eccleſia habet „ ſecundùm originem & virtutem, Prælati autem habent ſecundùm uſum earam." Hæc ille, nec malè. Ego autem pro ampliore claritate & hujus quæſtionis elucidatione ſic diſſero: Claves dantur *ſingulis perſonis* Epiſcoporum, etiam ſummorum, non *propter ipſos*, ſed *propter Eccleſiam:* dantur autem per *characterem ordinis*. Ideo verò manent claves ſemper in collectione Epiſcoporum, quia ſinguli de illa collectione habent characterem; & ita habent, ut decedente uno, ſuperſtites poſſint alii novo per ordinationem dare ſacramentalem characterem. Hac occaſione etiam audiendus S. Cyprianus *Epiſt.* 27. ità diſcurrens: „ Dominus noſter, cujus præcepta & „ monita obſervare debemus, Epiſcopi honorem & Eccleſiæ „ ſuæ rationem diſponens, in Evangelio ita loquitur, & dicit Petro: *Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam* „ *petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent* „ *eam &c.* Inde per temporum & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio & Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernetur."

Supereſt ut explicetur, quo ſenſu Epiſcopi ſine præjudicio ſui gradùs dici poſſint tales *per gratiam Sedis Apoſtolicæ*. Poſſunt autem id pluribus modis: 1.) Quia Sedes Apoſtolica

eſt centrum Catholicæ Unitatis ſecundùm dictum S. Cypriani in Epiſt. 55. ad Papam Cornelium pag. 86. ubi: *Navigare audent ad Petri cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, UNDE UNITAS SACERDOTALIS EXORTA EST.* 2.) Quia conſtans eſt SS. Patrum doctrina, Epiſcopatum in S. Petro ſuum habuiſſe initium, quippe qui in tota Eccleſia unus eſt, licèt inter multos diviſus: non quaſi Petrus ſolus fuiſſet Epiſcopus, ſed quia fuit primus, cui Chriſtus promiſit Epiſcopalem poteſtatem, ab illo receptam nomine totius Eccleſiæ. Audiamus hic iterum omnium loco divum Auguſtinum Tract. LXVIII. in Joannem n. 4. *Cùm omnes eſſent interrogati, ſolus Petrus reſpondit: Tu es Chriſtus. Et ei dicitur: Tibi dabo &c. tanquam ligandi atque ſolvendi ſolus acceperit poteſtatem: cùm & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanquam perſonam gerens unitatis, acceperit.* 3.) Quia, uti refert Innocentius I. Epiſt. 15. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum num. 2. Eccleſiæ Occidentis ab Eccleſia Romana, unà cum luce Evangelii, etiam primos ſuos Paſtores acceperunt. Unde ſequitur, hodiernos Latinæ Eccleſiæ Antiſtites eſſe filios primorum & antiquiorum Epiſcoporum, quos ſummi Pontifices ſub initium miſerunt in Africam, Galliam, Hiſpaniam, Italiam & Germaniam. His addi poteſt 4.), quòd quemadmodum ſeriùs (ſæculo ſcilicet XIV.) electionum Epiſcopalium confirmationes ad Apoſtolicam Sedem variis ex cauſis devolutæ fuerunt, ita & circa idem tempus, aut ſeriùs etiam, hæc formula *Sedis Apoſtolicæ gratiâ*, antè ferè incognita, in uſum deducta ſit.

In Judicio Academico Colonienſi de Juſtini Febronii libro ſingulari, quod in capite hujus Tomi II. cum Notis criticis & reformatoriis editum proſtat, alma Univerſitas Art. IV. comparationem inſtituit, *quantum ad divinam originem*, inter jus Epiſcopi & poteſtatem cujusque Parochi; ex quo ambo peræ-

que

Digitized by Google

que *poſiti ſint A SPIRITU SANCTO regere Eccleſiam Dei*, quanquam ille cum ampliore facultate: ſiquidem Parochus ex eodem fonte, quo Epiſcopus, jus habeat ſuam regendi Eccleſiam, oves verbo & ſacramentorum diſpenſatione paſcendi, corrigendi, ligandi &c. Verùm hæc correctione indigent, & explicatione multâ. Chriſtus Joannis XX. ℣. 11. 22. diſcipulis ſuis dando *miſſionem* eis dicens: *ſicut me miſit Pater, & ego mitto vos*, ipſos fecit Apoſtolos, quorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi: Apoſtolatui ſic dato annectitur poteſtas remittendi & retinendi peccata: *& hoc cùm dixiſſet (in textu græco, & hoc dicens) inſufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Hanc poteſtatem remittendi & retinendi peccata, quæ Apoſtolici muneris primaria pars eſt, Epiſcopi conſtitutis ſub ſe presbyteris communicaverunt, eos eisdem verbis ordinando, ſed ſalvâ ac ſibi reſervatâ ſemper *præviâ miſſione* ad excipiendas Confeſſiones & reliqua quæ ad ſacramentum Pœnitentiæ pertinent. Etenim ſi Apoſtolus ad Rom. X. ℣. 14. dicat: *quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* à potiori dicendum: *quomodo peccata remittent, niſi mittantur.* Sic Apoſtoli eorúmque ſucceſſores Epiſcopi hanc ſuam *miſſionem* immediate à Chriſto acceperunt, Presbyteri eandem accipiunt ab Epiſcopis. Rationem ſuppediat Concilium Trid. Seſſ. XIV. Cap. 7. *quia natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia IN SUBDITOS DUNTAXAT feratur*, ſine miſſione autem Epiſcopi presbyter nullum habet ſubditum. Non ſic de Papa reſpectu Epiſcopi.

§. II.

§. II.

De præjudicio Ordinis Epiſcopalis ex Beneficiorum reſervatione, ex Annatis, & ex præferentia Cardinalium.

Solis Romanis, & Doctori Colonienſi Jo. Godefrido Kauffmans, poſſunt hodie non paradoxa videri, quæ de jure conferendi beneficia tradit Viator noſter *pag.* 257. *ſeq.* poſt Hieronymum Gonzalez in Commentario ad Regulam VIII. Cancellariæ; videlicet: „ Papa habens totum orbem pro ſuâ „ diœceſi, habet omnem poteſtatem diſponendi de beneficiis, „ quæ poteſtas ab initio non Apoſtolis, ſed Petro à Chriſto „ data eſt: omnis quippe poteſtas, quæ ad politicam Eccleſiæ „ gubernationem ſpectat, in ſummo Pontifice tanquam in „ fonte reſidet, & ab eo in alios derivatur. Ipſe ſolus ab in- „ itio in Orientali Eccleſia dignitates & beneficia inſtituit. „ Hanc poteſtatem poſtea conceſſit Archiepiſcopis & Epiſco- „ pis, cuilibet in ſuâ diœceſi: etenim cuncti Prælati de mun- „ do eandem habent à Papa, ipſe verò à ſolo Deo: ab illo „ omnis jurisdictio & conferendi poteſtas fluit & ad eum re- „ fluit &c. " Omnibus his monſtruoſis doctrinis nec momento quidem nunc immorabor. Illud unum hìc repetam quod jam tempore Baſileenſis Synodi ſcripſit Card. Cuſanus de Concordantia Cath Lib. II. Cap. 32., ubi *per tacitum*, inquit, *conſenſum totius Eccleſiæ Romani Pontifices reſervationibus factis uſi ſunt .... Nunc autem exorbitantia ob varias læſiones diſplicere incipit, & oritur contradictio. Quare puto, Papam ampliùs non poſſe generaliter reſervare beneficia, niſi expreſſè ei indulgeretur per Concilium. Papa enim invitis Epiſcopis legem dare non poteſt.*

Addit

Addit deinde Capucinus Viator, non ſpectare ad hominem privatum exigere, ut diſciplina reſervationum, quæ jam pacificè viget, immutetur; hæc res, ait, *Conciliis* & *Concordatis* relinquenda eſt. Non malè id quidem; attamen non negabit ille aut invidebit particulari JCto licentiam dandi Magnatibus tam Eccleſiæ quàm Sæculi conſilia, & reſpondendi ex Jure, cujus magnam partem conſtituunt Concilia & Concordata Nationum. Porro ex *Conciliis* reſpondit Febronius Cap. VII. §. 4. ex *Concordatis* Editor ſecundi Tomi Febroniani in Præfatione, quando ille oſtendit *Concilia* reſervationibus reſiſtere: hic Romano Pontifici ex *Concordatis* omnem beneficiorum collationem in Germaniâ negari.

Cum Reſervationibus magnam familiaritatem habent *Annatæ*, tam quoad originem, quàm quoad jus. Negotium Annatarum, inquit Italus *pag.* 259. atris coloribus depingere Febronius non ceſſat; cùm tamen Pallavicinus teſtetur eas bene impendi. Cæterùm, addit ille, hujusmodi taxæ, cùm corrigibiles ſint, non ſunt confundendæ cum intrinſecis ſanctæ Sedis privilegiis. In Annatis æque conſideranda ſunt *Jus commune* & *Concordata*, ac de Reſervationibus jam dictum eſt. At neque vigore *Concordatorum* Galliæ neque Germaniæ illas deberi probavit Theodorus à Palude in Floribus ſparſis ad Febron. Cap. VII. §. 4. Quod ad *Jus* attinet, illud idem hodie eſt, quod fuit tempore Conciliorum Viennenſis & Conſtantienſis. Quæ autem tempore primæ harum Synodorum de earum perceptione fuerit communis ſententia, intelligimus ex Durandi Tractatu *de Modo Generalis Concilii celebrandi Part. II. Tit.* 20. ubi: „ In Curia Romana cœtus DD. Cardinalium „ vult habere unà cum D. Papa certam portionem à Prælatis, „ qui promoventur ibidem. Videtur ſuper hoc maxime pro- „ videndum; nam hæc hæreſis maxime corrumpit Eccleſiam

„ univerſalem & univerſos populos: & proviſa jam remedia „ pro nihilo reputantur. Cùm in Curia Romana publicè contrarium fiat, ac ſi non eſſet peccatum committere ſimoniam; „ vel ſi dare vel accipere pòſt non eſſet idem, ſicut dare vel „ accipere ante. " Quale verò tempore Conſtantienſis Concilii de his Annatis fuerit judicium Nationis Gallicanæ, percipitur ex ſcripto, quod edidit Orthuinus Gratius in Faſciculo rerum expetendarum fol. 189., & poſt eum alii multò curatius ſub hàc rubricâ: *Apoſtoli & Reſponſio dati per venerabilem Nationem Gallicanam dominis Cardinalibus &c. appellantibus ab ejusdem Concluſione, voto, deliberatione, ac declaratione Conſtantiæ captis & factis ſolemniter per eandem, quòd vacantiæ ac minuta ſervitia nullo jure ſunt debita, & de cætero nihil ſolvent.* In hac autem Reſponſione ita inter alia, hæc inclyta Natio:

„ Cùm ſubjungit Appellans, quòd Papa & Cardinales „ ſunt in poſſeſſione percipiendi à Prælatis annatas; reſpondetur, quòd nullus unquam illis competiit titulus percipiendi; & ſi aliquando perceperunt, hoc fuit per modum „ permiſſivæ facultatis & benignæ tolerantiæ, quæ ſecundum „ Innocentium & quoscunque Doctores poteſt revocari quandocunque: & eſt mirum literatos talia pro fundamento allegare, quod & cæteros ſufferre non intendunt: quia quandocunque eis eſſet ſubveniendum, contribuendum eſſet æqualiter per Nationes & Provincias, & talis proviſio annatarum nimium eſſet exceſſiva. Nam taxa Vacantiarum, ſecundùm quod deſcripta eſt in libris Cameræ Apoſtolicæ, de „ Eccleſiis Cathedralibus & Abbatiis Galliarum taxatis, aſcendit ad ſexcenta nonaginta ſeptem millia ſeptingenta quinquaginta Francorum (697750.) ſine Prælaturis, quas non „ taxant, & aliis inferioribus dignitatibus & beneficiis, quæ „ ferè ad tantundem aſcendunt: quæ ſumma primis ſex annis „ (velut

„ (velut clarè demonſtraretur) integraliter ſolvitur, & ſingu-
„ lis annis diviſa aſcenderet ad ducenta millia, Prælaturis &
„ aliis minoribus beneficiis junctis. Quòd ſi in ſingulis Na-
„ tionibus tantundem reciperetur & haberetur, aſcenderet
„ ad ſummam, & eſſet in univerſo ſex milliones nongenta
„ ſeptuaginta ſeptem millia & quingenti floreni (6977500.)
„ quod eſſet exceſſivum valdè, etiam quando non ſolveretur
„ niſi tota in decennio. . . . .

„ Quando autem communia ſervitia, ſicut dixit Appel-
„ lans, deberentur propter ſervitium, quod Communitati
„ & Reip. impendit Papa & Cardinales &c. Reſpondetur,
„ quòd Papa adminiſtrans juſtitiam, & regnans ad ædifica-
„ tionem Eccleſiæ & ſalutem animarum, & non propter
„ ſeipſum, ſervit quamplurimum, & tali ſerviendum eſſet
„ etiam realiter: Quoad Dominos Cardinales, ſi non debea-
„ tur eis, niſi quia ſerviunt, quàmplures ex eis de nihilo ſer-
„ viunt, imò nocent & officiunt, ſuperſedendo ab expreſſio-
„ ne cauſarum, quæ ſuo tempore locum habere potuerunt.

„ Quando ulteriùs ſubjungit Appellans, quòd ſine Va-
„ cantiis vivere non poſſunt, attento, quòd patrimonium
„ Eccleſiæ propter ſchiſma & malum regimen Eccleſiæ Ro-
„ manæ & Præſidentium in eâ eſt occupatum &c. Allegat
„ ſuam turpitudinem; & devorantibus ſubſtantiam ſuam non
„ eſt dandus recurſus ad alienas. . . . .

„ Et cùm ulteriùs Appellans dicit, quòd ſi removeren-
„ tur Vacantiæ, Cardinales Reip. ſervientes non haberent,
„ unde viverent, & ſic eas non debere ſolvi, nimiâ levitate
„ fuiſſet concluſum à Natione Gallicanâ. Reſpondetur, quòd
„ ex ſupradictis poteſt apparere ſi nimiâ levitate vel digeſtâ
„ deliberatione proceſſit Concluſio, & ſi nimiâ cupiditate co-
„ netur eam impedire. . . . .

Digitized by Google

„ Quòd Sede Apoſtolicâ vacante, ſicut dicit idem Ap-
„ pellans, nihil ſit innovandum &c. Reſpondetur, quòd ni-
„ hil innovatur, ſed, quod eſt vitioſum, ſcandaloſúmque &
„ indebitum, tale eſſe declaratur.

„ Quando ulteriùs progreditur idem Appellans, oſten-
„ dens, quòd inconſultis aliis Nationibus ad concluſionem
„ Natio Gallicana proceſſit &c. Reſpondetur, quòd per me-
„ dium deputatorum aliarum Nationum (qui omnes conſen-
„ ſerunt, quòd de præſenti & de præterito tollendæ eſſent)
„ ſatis aliæ Nationes conſultæ videntur; &, quòd ſuper illis
„ Natio Gallicana deliberaret, omnes ſciverunt Nationes, &
„ etiam Domini Cardinales; & ultra deliberationem etiam &
„ motiva & concluſionem ſuam voluit communicare aliis Na-
„ tionibus ad effectum concurrentiæ & proviſionis dandæ,
„ quod Domini Cardinales per exquiſita media impediverunt;
„ & inter Nationes non eſt, quæ tantùm fuerit gravata, ſi-
„ cut Gallicana in iſtis exactionibus, & propterea magis ſol-
„ licita eſſe debet. Et conſtat, quia in Anglia nihil percipit
„ (niſi de Epiſcopatibus, qui ſunt pauci) Camera vel Domini
„ Cardinales: nec paterentur, quòd interea Cardinales ob-
„ tinerent beneficia. Et in certis regnis Hiſpaniarum ordina-
„ tum eſt, quòd Camera nihil totaliter recipiat. In Italiâ ve-
„ rò beneficia, prælaturæ, & dignitates modici ſunt valoris;
„ & cùm hoc Domini temporales & Communitates prohi-
„ bent, quando videtur eis atque placet, quòd dicta Camera
„ nihil recipiat. Et noviſſimè Communitas Florentina Papam
„ Joannem, qui tunc erat, & Dominos Cardinales in eorum
„ civitate exiſtentes, propter unicum abuſum, quem Papa
„ commiſit in conferendo unam Abbatiam ſitam in eorum do-
„ minio, privaverunt poteſtate conferendi beneficia in eorun-
„ dem dominio usque ad quinque annos, & tunc appellave-

„ runt;

Digitized by Google

„ runt; & tamen per hoc perdunt fructus Annatarum. In Ale-
„ mania in certis diœceſibus & provinciis percipit aliquid, in
„ aliis verò nihil: imò nec admittuntur literæ apoſtolicæ,
„ niſi quantum placet Epiſcopis, qui recuſant in denegando
„ *Vidimus*. Et propterea Gallia, qui nimiùm grata fuit &
„ obedivit, nimiùm gravata eſt, & adhuc opprobriis laceratur."

Ordini Epiſcopali, qui jure divino in Eccleſia primarius eſt, humanâ Cardinalium prælatione, ſeriùs factâ, detractum eſſe, probavit Febronius *Cap. VII.* §. 9. Quid Gallia de hac injuriâ, primo illi Ordini Eccleſiaſtico per Romanos illatâ, ſæculo XIV. ſenſerit, intelligitur ex eâdem ejus Reſponſione, cujus modò fragmentum dedimus loquentes de Annatis. In eâ itâ de Cardinalibus Gallica Natio:

„ Cardinales duplicem habent ſtatum; primævum, cu-
„ jus retinent titulum, & principales dignitates in Collegia-
„ tis Eccleſiis. In Curiâ Romanâ obtinent vel ſunt Curati pa-
„ rochialium Eccleſiarum ejusdem; & illo reſpectu dicuntur
„ *Cardinales*, id eſt *principales*; quod non competit eis ſpe-
„ cialiter, ſed multæ ſunt Eccleſiæ, ſicut Ravennatenſis, in
„ qua obtinentes dignitates in ea nominantur Cardinales; &
„ ita eſt in pluribus aliis Eccleſiis in diverſis regnis & provin-
„ ciis: & ex iſta præſenti inſtitutione eorundem primum of-
„ ficium fuit, & eſt, & eſſe debet, confeſſiones audire, præ-
„ dicare, & etiam baptizare, quoad Presbyteros: Epiſcopi
„ verò Cardinales hæc habent facere & exercere in ſuis diœ-
„ ceſibus. Et iſti de ſuis titulis & eorum emolumentis iſto
„ reſpectu debent & tenentur contentari, ſicut alii de Clero
„ in ſingulis diœceſibus.

„ Alium ſtatum aſſumpſerunt Cardinales, quando veſti-
„ bus, honore & ornatu ſenatorio decorati ſunt; hunc enim
„ ſtatum tenent & repræſentant Domini Cardinales, ùt dicit

„ Innocentius, quorum officium eſt Principi conſulere, ſcili-
„ cet Papæ, ſicut conſulebant Principi temporali. Scientes
„ Imperatores, Eccleſiam (Romanam) non poſſe onera talis
„ ſtatûs ſufferre, nec expenſas ſuſtinere; contulerunt & de-
„ derunt eis patrimonium & temporalia pro ſtatu eorum,
„ quod poſtmodum fuit augmentatum.

„ Quòd Cardinales ſint Papæ *Coadjutores*, ſicut dicit,
„ qui ex adverſo appellat, nihil eſt, ſuper falſo ſe fundat:
„ quia Epiſcopi ſunt Papæ coadjutores, & ſupra Cardinales
„ *jure divino*, Cardinales vero ſunt tantummodo Papæ *Con-*
„ *ſultores*. Patet etiam, quod Epiſcopi majores eſſe videntur
„ Cardinalibus; quia cùm florebat temporalitas eis data, Ec-
„ cleſia & generale Concilium ſtatum eorum limitavit ad XXV.
„ familiares, Epiſcoporum vero ad XXX., quos tamen con-
„ temnunt hodie. . . . . "

Jam ante hæc tempora, nimirùm ſub initium ſæculi XIV. de hâc Cardinalium & aliorum indebitâ prælatione ſic ſcripſit Durandus Mimatenſis Epiſcopus *cit. Tract. Part. II. Tit. 7. p. 67.* „ Honor debitus unicuique juxta ſuum ſtatum debe-
„ tur Epiſcopis, & non Prælatis, qui non ſunt ſucceſſores
„ Apoſtolorum, ſed ſunt, & ab initio fuerunt aſſumpti ad
„ miniſtrandum & ſerviendum in eccleſiis parochialibus, &
„ ut ipſi presbyteri Papæ aſſiſtant in miſſarum ſolemnitatibus,
„ & diaconi Cardinales in induendo Papam, & aliis miniſteriis
„ inſiſtant, & circa altare deſerviant domino Papæ; ſicut ha-
„ betur in Cronica Martiniana Tit. de duplici regimine Urbis.
„ Quinimo (quod videtur eſſe indecentius) Camerarius domi-
„ ni Papæ & Viceecancellarius, Auditor contradictoriarum,
„ Referendarius & Notarii Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Præ-
„ latis aliis in ſedibus præferuntur; cùm tamen ſecundùm
„ eorum dignitatem & prærogativam ordinum, & ordinatio-
„ nis

„ nis ſuæ tempus, concedere & in quâlibet re ſua loca tenere „ deberent. . . . . Dicti etiam diaconi & presbyteri Cardinales contra ritum & morem Eccleſiæ Romanæ, qui ab eis „ ſervandus eſt, & fortè contra jus, præſentibus Archiepiſcopis & Epiſcopis in Miſſâ & in menſa benedicunt; & „ dictos Archiepiſcopos, Epiſcopos & Prælatos, frequenter „ longè infra ſe poſitos velut in imo, reſpiciunt. Cùm itaque „ Gregorius Papa ſcribat, quod honorem ſuum non reputat, „ in quo fratres ſuos honorem ſuum perdere cognoſcit: quia „ ſuus honor eſt honor univerſalis Eccleſiæ, & ſolidus vigor „ fratrum ſuorum Epiſcoporum; & ſcribat, ſe tunc honoratum, cùm ſingulis quibusque honor debitus non negatur; „ & (ne detrahatur honori cæterorum Prælatorum) inhibeat „ ſe univerſalem Papam vocari: quia talia verba veritatem inflant, & charitatem vulnerant; haberet Romana Eccleſia „ providere circa dictum honorem Epiſcopis & Prælatis omnibus impendendum. Et recordari deberet jugiter de ſcripto: „ Cur te habeam ùt Principem, cùm me non habeas ùt Senatorem. *Diſt.* 95. *Can.* 7."

§. III.

De Exemptione Regularium.

S. Bernardus, inquit Italus *pag.* 262., ſubjectionem primitivam Regularium ſub Epiſcopis non expetivit, ſed zelum exprimit contra inobſervantias & abuſus, qui ex independentiâ *totali* ab Epiſcopis *per accidens* contingebant. Errat bonus Capucinus noſter. Divus Bernardus ad Eugenium Papam ſcribens, agit *in genere* contra Exemptiones; & primarias rationes, quibus eas impugnat, non ex accidentalibus abuſibus, ſed, ut ita loquar, ex ipſis rei viſceribus deſumit. Oſtendit nimirum,

nimirum, quàm ſit indecens Eccleſias Epiſcopis ſubtrahere, & ſibi immediatè ſubjicere; nec non quàm ſit incongrua ejusmodi diſpenſatio, quæ ſubditum jugo legitimi Superioris liberat; porro, quòd nullum commodum, nullus fructus ex hac immunitate in regularem diſciplinam profluat; quòd denique exemptio ſit arbor non faciens fructus bonos.

Notandum inſuper, quòd Bernardus præcipuè agat adversùs Petrum Cluniacenſem, Cluniacenſium Abbatem, virum verà pietate venerabilem. Nullo huic culpa impingi potuit, quòd abuſus exemptioni ſupervenientes in monaſteriis foverit; cúmque hic Lib. I. Epiſt. 28. reponeret, qualiter Ordinis ſui immunitas irrefragabili ſummi Pontificis authoritate ſancita ſit, & tandem concluderet: *Si adhuc perſtatis, & nos malè agere jactitatis, illum, quem obtendimus, impetite, & nobis dimiſſis, cum illo agite;* cúmque alii Epiſcoporum poteſtati ſe ſe ſubtrahere conantes eundem clypeum authoritatis Pontificiæ obtenderent; illico ſanctus Doctor querelas ſuas ad Eugenium Pontificem ſcripſit, & non objectâ Petro Cluniacenſi abuſuum culpâ, ſed ex rationibus aliis graviſſimis exemptiones fortiter impugnavit: *Murmur*, ait, *loquor & querimoniam Eccleſiarum: truncari ſe clamitant, & diſmembrari. Vel nullæ, vel paucæ admodùm ſunt, quæ plagam iſtam non doleant, aut non timeant. &c.*

Monitis S. Patris Bernardi, fervente primo religionis zelo, morem geſſère filii, qui in ipſo Ordinis ſui exordio 1.) privilegiis quibuscunque nuntium miſerunt, & 2.) ipſa Ordinis fundamenta in Epiſcoporum obedientiâ poſuerunt. Quoad primum teſtis eſt famoſa illa *Charta Charitatis* (de quâ agunt Annales Ciſtercienſes Tom. I. pag. 109.) cujus hæc ſunt verba: *Ne aliqua eccleſia vel perſona Ordinis noſtri adversùs communia ipſius Ordinis inſtituta privilegium à quolibet poſtulare audeat,*

Digitized by Google

audeat, vel obtentum quomodolibet retinere. Alterum teſtatur ipſa confirmatio Calliſti II. relata in Bibliotheca Ciſtercienſi Lib. I. pag. 36., in qua Pontifex ait: *Siquidem aſſenſu & deliberatione communi Abbatum & Fratrum monaſteriorum veſtrorum, & EPISCOPORUM, in quorum parochiis eadem monaſteria continentur, quædam Capitula ſtatuiſtis, quæ authoritate Sedis Apoſtolicæ petiſtis confirmari &c.* Sic ipſorum Epiſcoporum aſſenſu & deliberatione prima Ordinis ſtatuta concepta fuerunt.

Quod ſuprà de irrefragabili authoritate ſummi Pontificis Bernardo objecerat Abbas Cluniacenſis, ei dignè occurrit Ivo Carnotenſis, Epiſtolâ 195. ad Gaufridum Abbatem Vindecinenſem ſcribens: *Non eò pertinere Eccleſiæ Romanæ poteſtatem, ut improbitati & contumaciæ adversùs Paſtores bellaturienti patrocinium* & *auctoritatem præſtet: Non ergo injuſtum, ſi tibi ſubtraho lac Matris, qui mihi debitum honorem non exhibes Patris. Noveris enim, vanas eſſe excuſationes, quas obtendis, te propter obedientiam Romanæ Eccleſiæ, Carnotenſi Eccleſiæ refutâſſe profeſſionem, cùm Eccleſia Romana à Deo nullam injuſtam acceperit poteſtatem fidem violandi, ſcilicet debita ſua cuique non reddendi, ſed tantùm, quæ ſunt liganda ligandi, & quæ ſunt ſolvenda ſolvendi.* His omnibus conſonat Petrus Cantor, in *Verbo Abbreviato* per totum *Caput* 44. contra exemptionem multa verba faciens, & inter alia hæc: *Cùm quælibet Provincia ſuum habeat Metropolitanum, quælibet Diœceſis ſuum Epiſcopum, abſurdum & enorme videtur, Eccleſiam vel Abbatem eſſe in Epiſcopatu illius, & de Epiſcopatu illius, & non ſub Epiſcopatu illius Diœceſis: non ei ſubjectus, licèt ſit de Epiſcopatu & in Epiſcopatu illius.* Notent interim hìc Epiſcopi Ivonis conſilium, quo ſubtrahendo Regularibus lac *Matris*, eos ad cânonicam Epiſcopi, tanquam legitimi *Patris*, obedientiam haud difficulter reducent.

Digitized by Google

Cùm animadverſum eſſet, ex Regularium exemptione tot mala profluere, ſæpius de omnìmodâ ejus revocatione actum fuit, præſertim in Conciliis. In Concilio Romano anni 1123. tanto indignationis æſtu efferbuerunt Epiſcopi Italiæ, ut Calliſto II. dicere non fuerint veriti: *Nihil ſupereſſe aliud, niſi ut, ſublatis virgis & annulis, monachis ſervirent: Illos enim eccleſias, villas, caſtra, decimationes, vivorum & mortuorum oblationes detinere.* In Concilio œcumenico Lugdunenſi an. 1245. ſub Innocentio IV. ipſe Pontifex partim in Concilio per *Cap.* 1. *de Privilegiis in Sexto*, partim poſt hoc Concilium, privilegia Religioſis hinc inde conceſſa moderatus eſt. In Viennenſi Synodo an. 1311. ſub Clemente V. Epiſcopi, ut omnes exemptiones & privilegia funditùs exciderentur, inſtabant. Refert Valſinghamus Benedictinus, monaſterii S. Albanenſis Monachus, qualiter ante hoc Concilium generale Viennenſe rumor ubique divulgatus fuerit, fore, ut in eo omnia privilegia ad jus commune revocarentur: *Unde*, ait, *Ordo Ciſtercienſis Papam adiit ante dicti Concilii celebrationem pro exemptione ſuâ priſtinâ obtinendâ. Quod & obtinuit DONIS DATIS.* In hoc Concilio Ordo Templariorum extinctus eſt. Eâ occaſione dixit Gerſo in Oratione ſuper Bullâ Mendicantium Pariſiis habitâ, *Ægidium Romanum meritò cenſuiſſe Templarios exemptionibus ſuis & morum perniciem ſibi primùm, & poſtea Ordinis ſui excidium acceleràſſe.* Opp. Gerſon. Tom. II. col. 434.

Juvat autem hìc propiùs intueri, quale tempore ejusdem Viennenſis Concilii fuerit magnorum virorum de his exemptionibus judicium. Hoc præprimis diſcimus ex Guillelmi Durandi Epiſcopi Mimatenſis *Tractatu de Modo generalis Concilii celebrandi*, quem ille juſſu Papæ Clementis V. pro inſtructione dicti Concilii compoſuit. Ejus verba, licèt nonnihil diffuſa, huc referre viſum eſt, tum quòd totam ferè hanc materiam exhauriant,

hauriant, tum quòd quæ tunc, id eſt, ante quinque propemodùm ſæcula prudenter exiſtimata ſunt, omninò conveniant cum iis, quæ hodieque à viris probis & doctis creduntur. Sic autèm ille *Parte I. Tit.* 5.

„ De Exemptionibus, ex qua cauſa conceſſæ fuerint, & „ continuò concedantur, & quis fructus modernis tempori„ bus ſubſequatur ex eis, haberet Domini noſtri Papæ Sancti„ tas providere. Magna namque authoritas iſta in Dei Eccle„ ſia eſt habenda: etſi nonnulli ex prædeceſſoribus & majori„ bus noſtris fuerunt, quæ illorum tempore potuerunt eſſe „ ſine culpa, & poſtea vertuntur in errorem & ſuperſtitionem, „ ut ſine tarditate aliquà, & cum magnâ authoritate à poſteris „ deſtruantur. *Diſt.* 63. *Can.* 28. ℣. *verùm.* "

„ Quòd autem ad faciendum dictam revocationem exem„ ptionum, D. Papa de facili debeat eſſe inclinatus, poſſunt „ & debent eum movere non ſolùm prædicta, ſed etiam mul„ ta alia. Primum eſt generalis ordinatio univerſalis Eccleſiæ „ procedens ex Deo, ab Apoſtolis, SS. Patribus, generali„ bus Conciliis, & Romanis Pontificibus comprobata & ob„ ſervata: ſecundùm quam eis religio Chriſtiana, & genera„ liter omnia monaſteria & loca religioſa, Abbates, Abbatiſ„ ſæ, Monachi & Moniales, & omnes alii Religioſi & per„ ſonæ Eccleſiaſticæ immediatè ſubſunt gubernationi & curæ „ Epiſcoporum in civitatibus & diœceſibus eorundem, tan„ quam ſuperiorum ſuorum, Apoſtolorúmque ſucceſſorum „ & poteſtatem habentium. Unde cùm Dom. Papa tantam „ & talem obſervationem imitari non debeat, nec fortè va„ leat, ergo nec generales exemptiones, privilegia, liberta„ tes & immunitates derogativas & præjudicativas honori, „ poteſtati, ſtatui, ordinationi & ordini dictorum Epiſcopo„ rum & Ordinariorum, contra prædictam generalem ordi-

 „ natio-

Digitized by Google

„ nationem ſic paſſim concedere debet, nec etiam forſitan
„ valet. . . . .

„ Gregorius Papa dicit, quòd monaſteria ſervorum Dei,
„ vel fœminarum ſint ſub cura Epiſcopi loci, ſub cujus mo-
„ deramine degunt: quia valde eſſet indecens, ut eo obmiſſo
„ alius quilibet ſe illorum cauſis admiſceat. Sed ille eorum
„ vitas competenti regularíque moderamine diſponere, qui
„ pro commiſſis animabus eorum compellitur reddere
„ rationem. . . . . .

„ Cùm ſe nulli Epiſcopo omnino ſubeſſe profiteantur,
„ conſequens eſt, ut nullus Epiſcoporum, quæ ſua ſunt, eis
„ tanquam exteris largiatur. . . . .

„ Porro, quod Dom. Papa non poſſit nec debeat novas
„ leges condere &c. *Ut ſcripſimus Cap. II.* §. 7.

„ Suppoſito, quòd Papa ſupradictas exemptiones con-
„ cedere poſſit, non tamen expedit ſibi nec univerſali Eccle-
„ ſiæ, nec ſtatui religionis, nec perſonis Religioſorum eas
„ concedì, propter multa mala ſcandala & diſpendia, quæ
„ proveniunt ex eisdem. Quòd Papæ non expediat nec eum
„ deceat, patet ex multis, quæ in præſenti Titulo dicta ſunt.
„ Nam Gregorius Papa in perſonam ſuam & ſucceſſorum
„ ſuorum ſcribit *Cauſ. XXV. Quæſt.* 2. *Cau.* 4. ſi ea deſtrue-
„ rem, quæ anteceſſores mei ſtatuerunt, non conſtructor,
„ ſed everſor eſſe juſtè comprobarer. . . . . Quòd autem non
„ expediat univerſali Eccleſiæ, patet, quia per illas ordo uni-
„ verſalis deſtruitur & confunditur, & ſtatus prælationis par-
„ vipenditur, & Epiſcopatus, qui unus eſt, ſcinditur & di-
„ viditur. . . . . Nónne conſtat, quòd per prædictas exem-
„ ptiones tolluntur obedientia & reverentia, quas deberent
„ dicti exempti ſuis Prælatis & Ordinariis exhibere? Cujus
„ in ipſis Superioribus debeat eſſe præcipiendi authoritas, &
„ in ipſis neceſſitas exequendi. . . . „ Verùm

„ Verùm ſi de aliquibus gravaminibus Luminoſo Abbati à Caſtorio Arminienſi Epiſcopo illatis & conſimilibus arguatur, ſervanda eſt ſententia Auguſtini, dicentis, quòd interdum conqueritur pater de filio malo, & filius conqueritur de patre duro: unde ſervamus honorificentiam patri, quæ debetur à filio; non æquamus filium patri in honore, ſed præponimus filium patri in veritate, & ſic tribuimus honorem debitum, ut non perdat æquitas meritum. Obtentu igitur dictorum gravaminum (ſiqua inferantur eidem) non eſſent reverentia & obedientia Prælatis denegandæ. . . .

„ Item per dictas exemptiones impeditur correctio debita exceſſuum jam pertinens ad Epiſcopos, per quos poteſt meliùs fieri, quàm per Abbates, cùm ſint potentiores communiter, & debent eſſe peritiores. . . . . Nam Abbates ſunt deſides & negligentes communiter in diſciplina & correctione. . . . Item per exemptionem tolluntur bona opera in religione, faciliùs, quàm deberent, quæ eſſent vigilanter facienda. Etiam per eam foventur in religione multæ diſſolutiones, partialitates, & ſcandala: cùm per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerunt, nequiores, & facilitas veniæ incentivum eis tribuat delinquendi. Propter eam abutuntur conceſſis eis privilegiis; unde deberent etiam privari eisdem. Abutuntur autem dictis privilegiis multipliciter vivendo, eisdem non ad ſubditorum utilitatem, ſed ſuam voluntatem & poteſtatem oſtendendam. . . . .

„ Et licèt fuerunt aliqua privilegia congrua, nunc tamen ratione diverſarum circumſtantiarum ſunt incongrua: quare tolli deberent ratione circumſtantiarum, quæ penſandæ ſunt. Nam totus ſtatus religionis in ſumma humilitate fundatus exiſtit, & pro hujus humilitate ſervandâ ordinatum fuit, quòd Epiſcopis ſubeſſet. Verùm nunc non ſolùm Ab-

„ bates & Priores, Guardiani, & alii in ſtatu alicujus admi-
„ niſtrationis & prælationis exiſtentes, verùm etiam minores
„ fratres, & perſonæ dictarum religionum, putant frequen-
„ ter Epiſcopis, Archiepiſcopis, & aliis Prælatis ſe quodam-
„ modò fore æquales: & debere quibuscunque aliis perſonis
„ eccleſiaſticis, eccleſiaſtica beneficia obtinentibus, anteferri....
„ Per dictas exemptiones in pluribus monaſteria diſſipantur,
„ & ſic ad onus potiùs, quàm ad honorem & utilitatem ten-
„ dere videntur. ....

„ Ex quibus omnibus conſtat, quod quocunque modo
„ prædictæ exemptiones, privilegia & libertates contrariæ &
„ contraria legibus & juribus, pro communi utilitate conſti-
„ tutis conſiderentur, ſive quantùm ad ſe, ſive quantùm ad
„ concedentes, ſive quantùm ad illos, quibus conceduntur,
„ quod revocari debent, cùm per eas tollatur ordo univerſa-
„ lis Eccleſiæ, ſtatus & gradus, & honor, virtus & poteſtas
„ prælationis conſtitutæ à Deo, & nulla utilitas univerſalis
„ Eccleſiæ ſubſequatur. “

In Conſtanienſi Concilio Seſſ. XLIII. omnes exemptiones à tempore Gregorii XI. conceſſæ, quibus Ordinarii non conſenſerunt, abolitæ fuerunt. In Lateranenſi Synodo anni 1516. Seſſ. XI. Epiſcopi etiam atque etiam exemptionis ac privilegiorum Regularium revocationem urſerunt, usque adeo. ut inter ſe conſtituerent, ſe nulli deinceps Seſſioni interfuturos, niſi Pontifex Bullam *Mare magnum*, & Religioſorum privilegia ad jus commune reduceret. Eorum etiam petitis Pontifex permotus per Bullam, quæ incipit: *Dum intra mentis arcana*, quam refert Harduinus *Tom. IX. Concil. col.* 1832. monachorum privilegia aliquâ ex parte coarctavit. Sed ægrè adducti ſunt Epiſcopi, ut bullam ratam haberent: pauci tantùm à ſuis querelis & priori ſententiâ receſſerunt, plurimi vero, ſe

Digitized by Google

ſe atque dignitatem Epiſcopalem læſam eſſe, adeóque non in omnibus prædictæ Bullæ ſe conſentire declarârunt. Vide eorum vota apud Harduinum *loc. cit. col.* 1836. Demum in Concilio Tridentino eadem controverſia inter Epiſcopos & Exemptos multâ animorum contentione agitata fuit. Totalem exemptionum revocationem Epiſcopi, & inter hos præcipuè Hiſpani, ſummoperè deſiderârunt. Hæ tandem querelæ non quidem extinctæ, quodam tamen modo fuerunt ſopitæ, cùm Concilium in quibusdam punctis Regulares exemptos Epiſcopis *tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis* ſubjecerit. Hæc puncta collegit Fagnanus ad *Cap. Grave* 19. *de Officio Jud. ordin.*

Ex tot querelis Epiſcoporum, in Conciliis adversùs Regularium exemptionem & privilegia prolatis, & toties repetitis, nemini non perſpicuum erit, illa bono Eccleſiæ repugnare; neque enim ſuſpicari licet, memoratorum Conciliorum omnes Epiſcopos tam amaro & iniquo animo in monachos conſtanter fuiſſe, aut meris præjudiciis actos contra eorum exemptionem inſurrexiſſe. Adhuc poſt Concilium Tridentinum S. Franciſcus Saleſius Lib. I. Epiſt. 10. has *exemptiones* vocat *muſcum arbori Eccleſiæ adhærentem*, *in qua tantum* ille *mali facit*; addens, *in hoc maximam eſſe Dei gloriam*, *quòd ordo Epiſcopalis agnoſcatur qualis eſt*. Hìc rurſum intercedit Viator Italus *pag.* 260. dicens: „Si Spiritus Sanctus Conciliis generalibus „ aſſiſtat, ne errent in iis, quæ ad conſervationem Eccleſiæ „ pertinent, cur Epiſcoporum omnium animos non movit, „ cur Pontificum voluntatem non excitavit, ut Regulares priſtinæ Epiſcoporum ſubjectioni reſtituerentur? . . . . Novit „ præ omnibus Sancta Sedes, quid in Eccleſia univerſa emolumenti redundet ex Regularium exemptione." Verùm hìc agitur de re diſciplinari, in quâ obtinet illud S. Auguſtini Lib. II. Cap. 3. de Baptiſm. contra Donatiſtas: *Quis neſciat*, *ipſa*

ipſa Concilia plenaria ſæpè priora poſterioribus emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat. Atque eâ de causâ bonum, quin & neceſſarium eſt, ut quæ à tot ſanctis Epiſcopis, aliíſque viris probis & doctis, per plura ſæcula conſtanter monita fuerunt, ſed in generalibus Synodis propter cauſas, quas in Tridentina prævaluiſſe *Tit. V.* §. 3. memoravimus, aut alias ſimiles, necdum plenariè adoptata ſunt, iterum iterúmque moneantur, urgeantur, & in majore identidem luce ponantur, non ſine ſpe, futurum, ut in alio Concilio afflante Spiritûs Sancti gratiâ Ordini Epiſcopali ablata reſtituantur plenariè & permanenter. Cæterùm ſi aliquorum vexationes Præſulum olim juſtæ fuêre anſæ dandorum privilegiorum & exemptionum: ergo & juſtæ ſunt cauſæ abſtinendi, quando ex adverſo promptiſſimi ſunt Epiſcopi ad Regulares beneficiis cumulandos; ſiquidem notum ſit, illos Apoſtolico zelo diſciplinæ, & boni Eccleſiaſtici ſtudio hàc in parte urgeri.

Illud memoratu haud indignum, quod *pag.* 261. ſcribit Italus, ſcilicet: „ Non dubito quin Papatus ab alto ſuo faſtigio decidat, ſi Regulares privilegiis omninò priventur, „ Epiſcoporúmque jurisdictioni ſubdantur; tunc enim Pontifex neceſſariis opitulationibus orbatus, in omnibus & per „ omnia legem ab Epiſcopis accipere deberet, & demum in „ Romanæ Sedis ſolio, non tanquam Monarcha legifer, Eccleſiam regeret, ſed veluti *Paſtor* & *Idolum.* " Sic non ratiocinarentur Bernardus & alii viri ſancti Spiritu Dei pro bono Eccleſiæ animati; illi non ignorant, quod ſub finem §. præcedentis Nationem Gallicam ſcripſiſſe legimus, nempè, non monachos, ſed *Epiſcopos* jure divino eſſe neceſſarios opitulatores, ſeu, ut rectiùs loquar, *Coadjutores* Papæ in regimine Eccleſiæ. Eos non conveniebat nativis ſuis juribus in monachos ſpoliare, ut hi loco Epiſcoporum, imò contra illos,

ſierent

fierent Papæ coadjutores, & ſervirent magis ad generandam diffidentiam, ac ſolvendum potiùs quàm adſtringendum nexum, qui inter Epiſcopos & primum eorum eſſe debet. Sint illi (non repugno) neceſſarii opitulatores ad fulciendam *abſolutam monarchiam Papæ*, qualis Romæ prætenditur; nunquam erunt neceſſarii ad ſuſtinendum Eccleſiæ ſtatum, qualis fuit, cùm monachi Epiſcopis adhuc plenè ſubjicerentur; tunc etenim ſufficiebat, & etiamnum eum in finem ſufficere debet *Obſervantia Canonum*, quos ne hodie quidem aut negligit, aut prætergreditur chorus Epiſcoporum.

Cur, inquit P. Viator *pag.* 260. Epiſcopi brachium ſæculare non implorârunt, ut Canones hâc de re in favorem Epiſcoporum elicitos promptæ executioni mandarent? Non malè id quidem: Etenim in determinandâ diſciplina eccleſiaſtica ſummus Imperans jure generalis inſpectionis & condirectivâ poteſtate gaudet, præſertim, ſi illa nexum habeat cum ſtatu politico. Diſplicient autem haud ægrè illi, qui clavum Reip. tenent, quòd exemptiones propter ſcandala, offenſiones, perturbationes, querelas, & monaſtici inſtituti relaxationem, aliásque cauſas felicitati ſtatûs minùs congruant, proinde illarum uſum Religioſis prohibere valeant. Sanè (ut nunc de re nummariâ tantùm memorem) per exemptiones magnæ pecuniarum ſummæ extra territorium deportantur. *Spoliant Eccleſias*, inquit S. Bernardus ad Henricum Senonenſem Epiſt. 42. Cap. 9. *ut emancipentur, redimunt ſe, ne obediant &c.* Lites circa exemptiones Romam devolvuntur, immenſi circa has ſumptus excreſcunt Exemptus Ordo Romæ ſuos habet Protectores, Aſſiſtentes, Generalem, Secretarios. Itinera ad Capitula generalia inſtituuntur. His aliiſque modis per ejuſmodi exemptionis nexum regnum pecuniâ ſuâ privatur.

Digitized by Google

Inſuper quia genuini Canones monachos Epiſcopis omnimodè ſubjectos volunt, hinc Princeps, quà executor Canonum, etiam non exſpectato Eccleſiæ mandato ſeu requiſitione, ad horum Canonum executionem procedere poteſt; ſicuti nuper ſereniſſimæ Reipublicæ Venetæ ampliſſimus Senatus laudabiliter proceſſit.

Deſcendit hoc jus temporalium Poteſtatum ex jure protectionis & advocatiæ, conſequenter ex jure divino. Hoc jure uſus Carolus M. Imp. regularem diſciplinam priſtino ſuo nitori & ſanctimoniæ reſtituit. Ablegavit ipſe ſæpe Miſſos ſuos, qui perluſtrarent Monaſteria, & purioris diſciplinæ reſtitutionem auctoritate regiâ urgerent. Colligitur id inter cætera éx ejusdem Imperatoris Capitularibus Lib I. Cap. 23. ubi: *Ut prædicti viri* (Miſſi Dominici) *per ſingulas Civitates & Monaſteria virorum & puellarum pervideant, quomodo aut qualiter in domibus Eccleſiarum & ornamentis Eccleſiæ emendatæ vel reſtauratæ eſſe videntur; & diligenter inquirant de converſatione ſingulorum, & quomodo emendatum habeant, quod juſſimus de eorum lectione & cantu, cæteriſque diſciplinæ Eccleſiæ pertinentibus.* Ludovicus & Carolomannus in Concilio, ad ſanctam Macram anno 881. habito, Canone IV. decreverunt, *ut Miſſi regii per Civitates & ſingula Monaſteria tam Canonicorum, quàm Monachorum, ſive Sanctimonialium, unà cum Epiſcopo parochiæ uniuscujuscumque, in quâ conſiſtunt, cum conſilio etiam & conſenſu ipſius, qui monaſterium retinet, vitam ibi degentium & converſationem inquirant, & ubi neceſſe eſt, corrigant. . . . . Numerum etiam Canonicorum, & Monachorum, ſive Sanctimonialium, uniuscujusque loci deſcribant, & Regi referant: ſecundùm qualitatem loci, cum conſilio Epiſcoporum & fidelium ſuorum, ubi minor numerus fuerit, regiâ auctoritate addatur: ubi verò indiſcretione Prælatorum ſuperfuerit, ad menſuram redigatur &c.*

Sed

Digitized by Google

Sed neque, extinctâ Carolingicâ ſtripe, Imperatores ſuam in monaſteria poteſtatem depoſuiſſe vel exemplo Henrici II. conſtat; hunc ſeverum Monaſticæ Diſciplinæ cuſtodem Fuldenſes imprimis & Corbejenſes expertos eſſe probatur ex Mabillonii Annalibus *ad an.* 1012. *pag.* 252. *n.* 88. Adde Maſcovium in Comment. de Rebus Imperat. ſub Lothario II. & Conrado III. *Lib. II. Cap.* 24. 26. *&* 29. Quid modò in Galliâ Rex pro monaſteriorum reformatione agat, omnibus notum eſt. Taceo aliorum Catholicorum Principum circa monaſticam diſciplinam noviſſimas eáſque ſaluberrimas conſtitutiones.

Titulus VII.

De Libertate Eccleſiæ, ejusque ſervandæ remediis.

§. I.

In quo conſiſtat Libertas Eccleſiæ.

Magno deſiderio, nec minore zelo Nationes à pluribus jam ſæculis anhelârunt ad reformationem abuſuum, à Romanâ Curiâ in Eccleſiam invectorum. Verùm ſanctiſſimo huic afflatui & ſtudio innumeris hactenùs illuſum modis. Quæ machinæ & baliſtæ ad id impediendum non paratæ & inſtructæ fuerunt! Eò demum ventum, ut, ſi qui hodie viri pii & boni hanc in rem verba aut ore aut ſcripto proferre audeant, infra ſchismaticos & hæreticos amandentur. *Papæ judicium de libris ad fidem & mores ſpectantibus eſt irreformabile:* ſic relativè ad

 Librum

Digitized by Google

Librum Febronii ejus contradictor, Doctor Kauffmans, in capite ſui Apologetici, ſc. Differt. prævià §. I. n. 1. Addit deinde §. X. n. 2. *Papa Febronium, viciſſim Febronius Papam judicavit.* Sic ſuam, ſuorúmque, maximè Regularium, ſervitutem erga Romanam Curiam profitetur Colonienſis Librorum Cenſor. Verùm attendant, rogo, qui talia ab illis prolata legunt, ad id, quod de Romanis eorúmque aſſeclis ad Eugenium Papam ſcripſit S. Bernardus Lib. IV. Cap. 2. n. 4. nempe: *Tunc potiſſimùm volunt dominari, cùm profeſſi fuerint ſervitutem.* Addit ibid. mellifluus Doctor: *Fideles ſe ſpondent, ut opportuniùs fidentibus noceant.* Si non excuſandos Romanæ Curiæ abuſus, univerſæ Eccleſiæ noxios, eo animo, ut emendentur, referre, eſt *Papam judicare;* ergo Papam judicàrunt, & per longam annorum ſeriem *juſtè judicàrunt* tot viri illuſtres, omnium bonorum laude & ſuffragio digni, quorum verba retulit Febronius *Cap. VI.* §. 12. 13. 15. *& alibi.* Sic Papam judicavit S. Bernardus, quando ad Henricum Remenſem Archiepiſcopum *Epiſt.* 42. *Cap.* 7. ſcripſit: *Non valdè Romani curant, quo fine res terminentur, ſed quia valdè diligunt munera, ſequuntur retributiones.*

„ Si Papa, ſi Curia Romana, ſi Cardinales, ſi cæteri „ Hierarchici Ordines Alchoranum, & ſi quid pejus eſt, ſectarentur; pejora non poſſes evomere. Tot enim ſunt flagitia, quæ narras (Febroni) tot crimina quæ proclamas, „ tot vitia, quæ buccinas, acſi Romana Eccleſia (Curia) „ omnium ſcelerum ſentina foret, nec Chriſti fidem ampliùs „ haberet, nec religionem Chriſtianam profiteretur. Hæc-ne „ ſunt media, quibus uteris ad reuniendos Heterodoxos in „ Eccleſiæ ſinum &c. " Ita Viator noſter Italus *pag.* 248. an rectè: viderit ipſe; quando certum nihilominùs eſt, Febronium nihil ſine vade afferre, ſed idoneis ſponſoribus munitum

nitum incedere. Interim dicam huic viro bono, non agi hic de *Fide*, ſed de *Diſciplina*: qui hanc corrumpit, illam proptereà non amittit. Audi iterum divum Bernardum loco mox citato de Romanis ſic loquentem: *Nuda nudè loquor, nec retego verenda, ſed inverecunda confuto. Utinam privatim & in cameris hæc fierent: utinam ſoli videremus, & audiremus: utinam nec loquentibus crederetur: utinam nobis reliquerint moderni Noë, unde à nobis poſſent aliquatenùs operiri. Nunc verò, cernente orbe, fabulam ſoli tacebimus? Caput meum undique conquaſſatum eſt, & ego, ſangvine circumquàque ebulliente, putaverim eſſe tegendum? Quicquid appoſuero, cruentabitur; & major erit confuſio voluiſſe celare, cùm celari nequeat.* Si poſt hæc quærantur media ad convertendos hæreticos; ecce Februniana: Dicebat Hadrianus PP. VI. *Obſerventur Canones, & nullæ erunt hæreſes.* Dixerat ante eum S. Leo: *Univerſæ pacis tranquillitas in eo conſiſtit, ſi ſua Canonibus intemerata reverentia ſervetur.* Hoc ſibi dictum credant Romani Pontifices, & ſimul attendant ad illud Actorum I. ℣. 1. *Cœpit Jeſus FACERE & docere.* Sanè in petitionibus Oratorum Cæſareæ Majeſtatis & Chriſtianiſſimi Regis (de quibus nos Cap. V. §. 1.) poſtulabatur à Tridentinâ Synodo, *ut Clerus in Capite & in membris reformaretur in moribus, & diſciplina eccleſiaſtica obſervaretur SECUNDUM ANTIQUOS CANONES.*

Verùm, inquiunt Italus & Ubius, Papa Clemens XIII. librum Febronii proſcripſit; & hanc proſcriptionem nonnulli Epiſcopi Germaniæ ad ſpecialem ſummi Pontificis requiſitionem in ſuis diœceſibus publicârunt. Hæc veriſſima ſunt; ſed æque verum eſt, neque adverſarios noſtros latere poteſt, eidem Febroniano Operi, non obſtantibus inſolitis Romanorum apud Curias ſollicitationibus, liberum curſum datum eſſe in Hiſpaniâ, in Galliâ, in plerisque partibus Italiæ, denique in omni-

Digitized by Google

bus auguſtæ Domûs Auſtriacæ terris & dominationibus; etiam poſtquam illud bis in Galliâ idiomate patrio, in Germaniâ, bis in Italiâ, nempe primùm latino, dein Italico ſermone; demum in Hiſpaniâ mox per excerpta & compendia, pòſt advectâ ex Italiæ partibus ingenti exemplarium copiâ Opus integrum, tam in hoc, quàm in vicino Luſitaniæ regno divulgatum eſſet.

Ingentes abuſus, qui in Romanâ Congregatione Indicis circa libros, de *argumento politico* (quale eſt illud, de quo hìc agitur) tractantes, committuntur, excitârunt attentionem omnium Curiarum ſæcularium, ut hodie non permittant ullum Decretum hujus Congregationis publicari, niſi priùs à ſe viſum, examinatum, & approbatum. Hujus *Placeti regii* utilitatem & neceſſitatem facilè agnoſcet, quicunque attendit, quantopere Romana Librorum proſcriptio juribus Regum & Vaſallorum, nec non inveteratis Provinciarum moribus queat obeſſe, atque inſuper Eccleſiæ ac Reip. pacem & tranquillitatem turbare; præſertim apud vulgus, cùm intelligit, libros tanquam perniciosos, imò ùt hæreticos proſcribi, vel eo ſolo titulo, quòd in illis libertates Eccleſiarum, quin & jure regnorum atque provinciarum aſſerantur. Cæterùm per hoc abuſus cum ſummo Religionis nocumento ſtabiliuntur, ubi libri hos abuſus detegentes & arguentes in numerum librorum prohibitorum relati conſpiciuntur. Itaque tantum abeſt, ut librorum expurgandorum ratio, qualis nunc Romæ practicatur, fini atque propoſito, propter quod inſtituta eſt, ſerviat, cùm potiùs vehementer noceat, atque magis ac magis Curiæ Romanæ artes & ſtudia ſuſpecta reddat: Quaſiverò Eccleſia & Religio Catholica iſtis humanis verſutiis propugnari deberet. Etenim ſtatim atque aliquis pius & Catholicus de moribus Eccleſiæ regendis quidquam lucubrat, libri ejus cenſurâ inuruntur,

tur, utì contigit Claudio Eſpenſæo & multis aliis. Quamobrem viri boni, ſtudio pacis atque unionis retinendæ in Eccleſia, quidquid pati & ferre coguntur.

Atque hoc primum membrum Eccleſiaſticæ Libertatis: non tolerare libros, qui in commodum Romanæ Curiæ, & non agnitarum ejus prætenſionum conſcripti, legitima jura Principum & Epiſcoporum vellicant; nec agnoſcere in Provinciis Romanas prohibitiones illorum, qui Regum & Epiſcoporum jura legitimè defendunt, aut abuſus dictæ Curiæ cum moderatione detegunt. Qui ex Germaniæ Epiſcopis Romanæ Febronii cenſuræ ſubſcripſerunt, illi haud dubiè ſuas id faciendi habuêre cauſas; ſicut & viciſſim illæ Curiæ, quæ, licèt hunc in finem ſollicitatæ, Romano judicio obſequendum non putârunt. Tradunt Canoniſtæ, & inter hos Van Eſpen *J. E. U. Part. I. Tit.* 22. *Cap.* 4. *n.* 23. interdum aliquos Libros variis de cauſis in unâ provinciâ rectè vetari, non item in aliâ. Interim conſtat, Romanum judicium de operâ Febronii ne in trigeſimâ quidem parte Catholicarum terrarum receptum fuiſſe. Loquor autem de illis ſolùm Catholicis provinciis ac regnis, ad quæ Febroniani libri exemplaria ubertim delata noſcuntur.

Altera eáque porior Eccleſiaſticæ Libertatis portio eſt, ut intacta maneat, & à Principibus Chriſtianis, utpote natis hujus Libertatis tutoribus, defendatur propria Epiſcoporum Juriſdictio, tanquam immediatè à Chriſto deſcendens, non veluti à Papa dependens; ut per conſequens Romanus Pontifex ſive in foro interno, ſive in externo, ſe in illorum diœceſibus non gerat tanquam Ordinarium; ut ille officium & actiones ſui Primatûs ſacris Canonibus conformet; ut denique Conciliorum generalium Eccleſiam univerſalem repræſentantium authoritatem tanquam immediatè à Chriſto, non à Pontifice, dependentem & deſcendentem Principes & Epiſcopi agnoſci faciant.

faciant. Hæc omnia & ſingula diſtinctiùs aſſeruntur & latiùs deducuntur in duobus Diſcurſibus Advocatorum Regiorum, Dioniſii Talon, & Guilielmi Franciſci Joly de Fleury, annis 1665. & 1710. occaſione certarum Bullarum & Brevium Apoſtolicorum coram Parlamento Pariſienſi habitorum, qui editi proſtant ad calcem Tractatûs Zegeri Van Eſpen *de Promulgatione Legum Eccleſiaſticarum. Lit. GG. & MM.*

Hæ propoſitiones, inquit P. Viator *pag.* 267. conſtituunt partem ſic dictarum Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, quæ ferè ſoli ſummo Pontifici ſolent opponi; proſpiciendum potiùs decori ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, quàm ut odioſæ hæ Gallorum Libertates aliis Eccleſiis reddantur communes. Quòd illæ, quas hìc enuntiavi propoſitiones, non ſint alicui Nationi particulares & propriæ, ſed tanquam ex univerſalibus genuini & antiqui Juris principiis profluentes, omnibus Eccleſiis communes, ex probatiſſimorum Canoniſtarum doctrinâ ita probavit Febronius, ut ab eo dictis quidquam hìc addere opus non ſit. Illud utique dolendum, quòd, quoties de Eccleſiarum Libertate ſermo habetur, inſimul de reſpectivâ ſervitute, quâ contra Canones Papa fideles, Pater filios, premit, quæſtio & querela inſtituatur; quod ſanè neque illi honorificum accidere, neque his amorem & fiduciam inſpirare, neque eos, qui foris ſunt ædificare poteſt. Interim ſic res ſunt.

§. II.

De Excommunicatione, præſertim illâ, quæ dicitur latæ ſententiæ.

Magnum Eccleſiaſticæ Libertatis momentum poſitum eſt in verâ notione Excommunicationis, quâ Romana Curia toties abuſa eſt & adhucdum abutitur ad aſſequendos fines ſuos politicos.

Notum

Notum eſt, nullam vim abſolutè coactivam penes Eccleſiam ſeu Miniſtros ejus reſidere. Extremum poteſtatis ejus reducitur ad facultatem, quæ omnibus ſocietatibus communis eſt, excludendi à ſuo gremio illos, qui ejus inſtituto ſe accommodare detrectant. Hæc ejectio ex communione fidelium eſt ſpecies condemnationis, ſaltem indirectæ, ad mortem ſpiritualem. Porro æquitas non patitur, ut cuiquam pœna infligatur, niſi certò conſtet, crimen, quod illam meretur, fuiſſe commiſſum, & quidem ab eo, cui illud imponitur. Plus facit Eccleſia: non quærit ſolùm peccatorem criminis convincere, ſed inſuper ei gravitatem admiſſi reatûs ita repræſentare, ut dolore tactus gratiam mereatur & veniam obtineat.

Hæc eſt ratio, hæc forma Proceſſûs Eccleſiaſtici, cujus ipſe Salvator noſter *Matth. XVIII. v.* 15. *ſeqq.* nobis normam & exemplar reliquit: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Hic primus versùs peccatorem paſſus eſt, ad inſpirandum ei dolorem, cúmque movendum, ut à ſtatu peccati revertatur. Subjungit Chriſtus: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Itaque anathematizandus non eſt, ſi peccatum agnoſcat, emendet, & pœnitentiam agat. *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum.* Ad quid hi teſtes? ad faciendam fidem, vel de ſubmiſſione vel de contumaciâ rei. Si in illorum præſentiâ emendationem promittat, & reverà ſe corrigat, nil fit ultrà. *Quòdſi non audierit eos, dic Eccleſiæ,* ut hæc ſuam interponat authoritatem. Si Eccleſiæ ſe ſubmittat, & ejus mandata ſequatur, adhuc ùt frater habendus erit. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Tunc demum excommunicandus eſt. Hæc cùm Chriſtus ita doceret, eo ipſo inſtanti addit Eccleſiæ poteſtatem clavium, ut illarum juxta præſcriptam for-

Digitized by Google

mam faciat uſum adverſùs eum, quem punire cogitur. Ita enim proſequitur: *Amen dico vobis; quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.*

Eæ, quas memoravimus, cautelæ, à ſummo Legiſlatore præſcriptæ, multùm abſunt à prætenſis Excommunicationibus *ipſo facto*, ante ſæculum XI. planè incognitis. Debetur illarum inventio ſpiritui *Deſpotiſmi*, qui omnes limites ſacræ authoritatis tranſcendere, & per falſam conſequentiam poteſtatis Civilis formam aſſumere poſſe putavit. Non hanc, ſed Chriſti diſciplinam tradidit S. Auguſtinus, dum Serm. CLXIV. de Verb. Apoſt. Cap 5. ſcribit: *Sanè ſi judex es, ſi judicandi poteſtatem accepiſti eccleſiaſticâ regulâ, ſi apud te accuſatur, ſi veris documentis, teſtibúſque convincitur; coërce, corripe, excommunica, degrada: ſic vigilet tolerantia, ut non dormiat diſciplina.* Nimirùm voluit S. Pater, ut quamvis conſtaret de crimine, nihilominùs locus daretur viæ juris. Vult, ut ille, qui judicandi poteſtate pollet, in hoc excommunicationis proceſſu omnì poſſibili cautelâ & accuratione procedat. Poſtulat, ut adſit accuſator; ut ſumantur informationes per auditiones teſtium; ut admittantur exceptiones & defenſiones accuſati; ut judicetur ſuper probationibus legitimis; finaliter exigit, ut omnia media neceſſaria adhibeantur, quibus Eccleſia convincatur, ſententiam eſſe juri & juſtitiæ conformem.

Cùm claves datæ ſint Eccleſiæ, illarum adminiſtratio etiam ſit hujus nomine & authoritate ab ejuſdem Miniſtris. Quare hi rationem de modo ſuæ geſtionis illi reddere tenentur, neque excommunicationem decernere poſſunt, niſi de conſenſu Eccleſiæ, ſaltem præſumpto. Hunc Eccleſiæ conſenſum primitùs effectivè interveniſſe diſcimus exemplo Pauli inceſtuoſum Corinthium anathematizantis, I. ad Corinth. Cap. 5. Ỳ. 3.

V. 3. & ſeqq. ubi: *Ego jam judicavi ut præſens, eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, CONGREGATIS VOBIS & MEO SPIRITU, cum virtute Domini noſtri Jeſu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Hic uſus diu in Eccleſia ſervatus eſt; plura ejus veſtigia apud Cyprianum inveniuntur. Demum autem excommunicandi facultas Epiſcopis reſervata fuit, ſed ſalvâ provocatione ad Provinciale Concilium.

Succeſſu temporis excommunicationes, à Chriſto unicè in ſalutem animarum inſtitutæ, degenerârunt in abuſum. Oblivioni traditum fuit, Eccleſiam Clavium proprietariam, harum uſum ſuis Miniſtris tantùm crediđiſſe pro ſpirituali bono ſuorum membrorum, cum prudentiâ uſurpandum. Scilicet Miniſtri Eccleſiæ cœperunt excommunicationibus uti tanquam formidabilibus armis, aptis, non ſolùm ad depellendas violentias perſonarum Civilem poteſtatem exercentium, & ad defendendas poſſeſſiones Clericorum; ſed & ad obtinendum quemcunque ſucceſſum ſuarum molitionum. Utebantur iis tanquam armis vindictæ, avaritiæ, ambitionis. Finaliter non fuerunt in ipſorum manibus tanquam Claves cœli, ſed claves profanæ, quibus reſerabant portas, per quas ad bona temporalia pervenire cupiebant. Adversùs hanc praxim acerbiori ſtylo ſuo tempore inſurrexit Gerſonius de Vitâ ſpirituali animæ Lect. 4. Coroll. 4 ſcribens, quòd *hæc facientes moliuntur jugum imponere graviſſimum ſuper cervices hominum.* „ Nam, ait, qui
„ pro ſolis incommodis temporalibus evitandis, aut commo-
„ dis politicis conſervandis, æternam vult infligere mortem,
„ cui, quæſo, ſimilis erit? Illi nimirum, qui volens muſcam
„ abigere à fronte vicini, eam ſecuri percutiens, vicinum ſto-
„ lidus excerebravit. "

Digitized by Google

Hoc intuitu genuinæ Excommunicationum regulæ ſeponebantur. Non habebant eæ ampliùs neque primævam formam, neque præſcriptos terminos. Jam apparebat farrago Eccleſiaſticarum Conſtitutionum ſuper omnigenis objectis, tam temporalibus quàm ſpiritualibus; cúmque facillimum eſſet, aliquâ ſaltem ratione attingere jura ſeu prætenſiones Cleri, inde reſultabant innumeri excommunicationum caſus. Ex hâc excommunicationum frequentiâ & facilitate haud dubiè invaluit hodierna formula abſolutionis ab excommunicatione, ſacramentali abſolutioni præmitti ſolita: *Abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, in quantum ego poſſum & tu indiges;* nec non clauſula omnibus paſſim Bullis & Litteris de ſtylo Curiæ Romanæ inſeri conſueta: *Te ab omni excommunicationis vinculo, quod incurriſti, abſolventes, vel abſolutum fore cenſentes, ad effectum harum litterarum conſequendum tantùm.*

Cùm itaque perſæpè eveniret, ut quis frequentiſſimis illis Pontificum Conſtitutionibus, in proprium illorum commodum conceptis, atque cenſurarum præſidio munitis, aliquâ ſaltem ratione contraveniret, hinc quotidiani ferè excommunicationum caſus reſultabant, quibus proceſſus excommunicationis intentari debuiſſet. Igitur ad evitandam hanc difficultatem ejúſque moleſtias, abolitus fuit modus procedendi à Chriſto inſtitutus, & inventa Excommunicatio *ipſo facto* incurrenda, ſine alicujus judicii interventione. Verùm hanc novellam inventionem, quâ Curia Romana præcipuè fidelium libertati inſidiari viſa eſt, ſacris Canonibus minimè convenire, vel ſolo *Canone* 11. *Cauſa II. Quæſt.* 1. intelligitur; in quo ſic ſtatuitur: *Nemo Epiſcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem, antequam cauſa PROBETUR, propter quam Eccleſiaſtici Canones hoc fieri jubent.* Quare rectè ſcribit Suarez Tract. de Cenſuris *Diſput.*

Digitized by Google

Diſput. 7. *Sect.* 7. *n.* 4. ſententiam Excommunicationis non tantùm eſſe injuſtam, ſed etiam *invalidam*, ſi cauſa Judici *ùt Judici* non fuerit probata: „ Nec enim ſatis eſt (ait) quòd „ cauſa in re ſubſit, ſi ſit occulta; quia judex humanus non „ poteſt de ſibi occultis judicare. Eſt autem occulta quoad „ effectum ferendi ſententiam, quamdju *juridicè* probata non „ eſt, etiamſi alioqui privatim nota ſit illi homini qui judex „ eſt." Notoreitatem facti in Galliâ nullo caſu, nequidem percuſſionis Clerici, habere locum aſſeruit die 17. Junii an. 1755. Procurator Regius Joly de Fleury occaſione libelli, quem Parlamento denuntiavit, ſub titulo: *Reflexion ſur la Notorieté de droit & de fait.* Conf. Durand Dictionnaire de Droit Canonique Tom. I. pag. 242. Verb. *Cenſure.* Addunt JCti hujus regni, ab eo tempore, quo errores fanatici è Gallia relegati ſunt, leges primordiales Evangelii circa Excommunicationes, utì à S. Auguſtino explicatæ fuerunt, ibidem obtinere.

Si, utì dictum eſt, in materiâ Cenſurarum, notanter Excommunicationis, ordine judiciario procedi debet, naturaliter ſequitur, defectum eſſentialem hujus ordinis cenſuram reddere invalidam: „ Quandocunque ergo in ſententia eſt de- „ fectus ſubſtantialis ordinis Juris, certum eſt (ait Suarez *cit.* „ *Tract. Diſp.* 4. *Sect.* 7. *n.* 2.) Cenſuram eſſe non ſolùm utcun- „ que injuſtam, ſed *prorſus invalidam:* quia ſententia ipſa „ *nulla* eſt, & ſententia nulla nullum poteſt producere effe- „ ctum." Porro inter nullitates judiciorum non datur major, quàm quæ talis eſt defectu citationis, aut propter incompetentiam Judicis. Quantùm ad poſteriorem, conſtat imprimis ex Concilio Tridentino *Seſſ. XXIV. Cap.* 20. *de Ref.*, quòd omnes cauſæ in primâ inſtantiâ coram Ordinariis locorum agitari & judicari debeant, non in Curiâ Romanâ. Quòd ſi illæ ad hanc, ſeu viâ appellationis, ſeu quàcunque aliâ deferan-

Digitized by Google

tur, non poſſunt tamen Romæ decidi, ſed debent committi in partibus. Sic fert uſus plerorumque regnorum & ſtatuum Europæ, pactis publicis & aliis ſanctionibus pragmaticis ſubnixus. In *Galliâ* hoc Concordato firmatum eſt. Vid. Hericourt Loix Eccleſ. Part. I. Chap. 25. n. 3. Eodem jure *Hiſpanos* uti teſtatur Salgado de ſupplicatione ad Sanctiſſimum Part. II. Cap. 11. n. 83. 97. & 101. De *Belgio* Van Eſpen Tract. de Cenſuris Eccleſ. Cap. V. §. 4. Pro *Germanis* pariter militat horum Concordatum.

Etenim (quod ad Germanicam Nationem attinet) inſtrumento acceptationis Decretorum Baſileenſium cum modificationibus ſub Alberto Rege Rom. Moguntiæ anno 1439. 26. Martii factæ (de quà, tanquam partem Concordatorum Germaniæ conſtituente, nos egimus Cap. V. §. 5. actum quoque eſt in Præfatione Tomi II. Febr. Nor. VII.) hæc inſerta legimus: *Similiter* acceptamus *ultimum Decretum triceſimæ primæ Seſſionis* Concilii Baſileen. *diſponens de Cauſis & Appellationibus, quod incipit ECCLESIASTICÆ SOLLICITUDINIS STUDIUM &c.* Porro verba hujus Decreti ſunt ſequentia: „ Quòd in partibus ultra quatuor diætas à Romana Curia „ diſtantibus omnes quæcunque cauſæ (exceptis majoribus in „ Jure expreſsè enumeratis, & Electionum Eccleſiarum Ca„ thedralium & Monaſteriorum, quas immediata ſubjectio ad „ Sedem Apoſtolicam devolvit) apud illos Judices in partibus, „ qui de Jure aut Conſuetudine præſcriptâ, vel privilegio co„ gnitionem habent, terminentur & finiantur. . . . Si verò „ quiſpiam à Sedis Apoſtolicæ immediatè ſubjecto ad ipſam „ Sedem duxerit appellandum, cauſa per Reſcriptum usque „ ad finem litis incluſivè in Partibus committatur, " Hæc non ſunt abſimilia Concordato inter Imperatorem Fridericum I. & Pontificem Alexandrum III. an. 1176. Anagniæ inito, in quo

quo ita: *Univerſi Clerici, qui ſunt extra Teutonicum regnum, diſpoſitioni & judicio D. Papæ Alexandri, ſucceſſorúmque ipſius, & Romanæ Eccleſiæ relinquentur:* Quo ipſo Pontificia de Clero diſponendi ſeu judicandi facultas unicè ad Clerum non-Teutonicum reſtringitur. Jam antè, anno ſcilicet 820., in Capitulari Ahytonis Epiſcopi Baſileenſis apud Hartzemium *Tom. II. Concil. Germ. pag.* 17. *Cap.* 18. ſancitum erat: „ Ut nullus „ ordinatus, ſive ordinandus migret de ſuâ parochiâ ad aliam, „ nec ad limina Apoſtolorum causâ orationis, Eccleſiæ ſuæ „ curâ derelictâ, *nec ad palatium causâ interpellandi:* nec à „ communione ſuſpenſus *ab alio communionem recipiendi*, ſine „ permiſſione & præſcientia Epiſcopi ſui: quod qui fecerit, „ *nihil valet hujusmodi communio*, aut ordinatio, aut demi- „ gratio. Et hoc omnibus fidelibus denuntiandum: ut, qui „ causâ orationis ad limina beatorum Apoſtolorum pergere cu- „ piunt, domi confiteantur peccata ſua, & ſic proficiſcantur: „ quia *à proprio Epiſcopo ſuo aut Sacerdote ligandi aut exſolvendi* „ *ſunt, NON AB ALIENO.* "

Si ſic per Judices Commiſſarios Nationales cauſæ Excommunicationum, ſervato Juris ordine, tractarentur, minor foret metus, ne illarum abuſu illegitimæ Romanorum prætenſiones ſuſtinerentur. Non debet excommunicationi dari locus, niſi cùm Canones (veri utique, non falſi) per contemptum violantur: ſic ab Hincmaro Remenſi Nicolaum I. Papam modeſtè monitum fuiſſe ſcribit de Marca *Lib. IV. Cap.* 6. *n.* 1. Si Judex Eccleſiaſticus, *neglecto ordine à jure præſcripto*, ad inflictionem cenſuræ viâ facti proſilit, poteſt adversùs eum protectio regia implorari. Covarruvias *Practicarum Quæſt. Cap.* 35. *n.* 3. Cævallos *de Cognitione per viam violentiæ. Gloſſ. VI. n.* 129. Medium autem ordinarium, quo Judex Regius uti ſolet ad reprimendam Judicis Eccleſiaſtici inordinatè ex-

com-

communicantis violentiam, hoc eſt, ut ejus bona temporalia occupari faciat, donec & quousque gravamen viâ facti illatum tollat. Salgado *de Supplicat. ad Sanctiſſ. Part. II. Cap.* 24. *n.* 53. *ſeqq.* Van Eſpen *cit. Tract. Cap. VIII.* § 6. Hoc medio uſi ſunt Reges Galliæ & Utriusque Siciliæ, ille occupando Comitatum Avenionenſem, hic Ducatum Beneventanum, quando Clemens PP. XIII. præpropero conſilio, innixo Bullæ Cœnæ, nunc ab omnibus Catholicis Poteſtatibus reprobatæ, Miniſtros Ducis Parmenſis, dictorum Regum agnati, tunc adhuc in minorenni ætate conſtituti, propter Ducale Edictum die 16. Jan. an. 1768. publicatum, genuinis Canonibus in nullo puncto adverſum (quod edidit Theodorus à Palude in Floribus ſparſis ad Febr. *Cap. V.* § 9.) die 30. ejusdem menſis in cenſuras dictæ Bullæ inſertas incidiſſe declaraverat. Modernus Pontifex Max. Clemens XIV. prædeceſſoris ſui periculo & damno edoctus, Bullam illam, quæ eſt compendium Dictatûs Gregorii VII., à tempore ſui regiminis publicavit, & Principibus Domûs Burbonicæ pro illatâ Parmenſi injuriâ ſatisfacere ſtudet, ut terras & dictiones ſuæ Eccleſiæ recuperet.

Juvat hanc materiam concludere verbis Petri Ballerinii Presbyteri Veronenſis, cujus auctoritas & religio Romanis minimè ſuſpecta eſſe poteſt. Is ita in *Libro ſingulari de Vi ac ratione Primatûs Romanorum Pontificum in Appendice* §. 6. *pag.* 332. „ Neque verò ex his colligas, actualem communionem & unitatem externam cum Eccleſiæ corpore ejúsque viſibili capite Romano Pontifice ad ſalutem non eſſe penitus neceſſariam. Eſt enim actu neceſſaria Eccleſiæ viſibili, ut inter varias ſocietates Eccleſiæ nomen præferentes diſcernatur, quænam ſit vera Chriſti Eccleſia; uti ſtatuimus n. 1. & 2. Quod autem Eccleſiæ viſibili neceſſarium eſt actu, ſingulis quoque ejus membris, quoad fieri poteſt,

„ actu

„ actu eſt ad ſalutem neceſſarium; adeo ut cuique nitendum „ ſit, ut eam communionem actu teneat. At ſi quis iis in circumſtantiis verſetur, in quibus, etſi maximè velit, ab ea „ communione actuali, non ſuâ culpâ, ſed aliunde impediatur; ipſi, quoad duret ejusmodi impedimentum, ad ſalutem actu neceſſaria non eſt. Idem ſcilicet dicendum de communionis actualis neceſſitate ac de baptiſmo actuali. Hoc „ omnes catholici actu neceſſarium fatentur, ut quis ſit in „ corpore Eccleſiæ. At impeditis ab eo percipiendo, actu non „ eſt ad ſalutem neceſſarium, *cùm miniſterium baptiſmi non „ contemtus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit*, ut „ Auguſtinus tradidit Lib. IV. de Bapt. cap. 22. cui concinit „ S. Bernardus in Tractatu de Baptiſmo ad Hugonem de S. „ Victore Cap. 2. . . . . Idem accidet etiam præciſis ab unitate „ & communione Eccleſiæ, ſi ad eam omnibus modis contendant, & in cæteris rectè ſe ſe gerentes aliunde impediantur. Utrique nimirum unitatem & communionem Eccleſiæ, qua actu carent, affectu tenent; & quamvis non „ ſint in viſibili unitate & corpore Eccleſiæ, unitate tamen „ ſpiritûs ſunt intus in ipſa Eccleſia, cui voto & caritate adhærent; unde Auguſtinus de probis viris atque ſpiritualibus absque ipſorum vitio ab Eccleſia præciſis ſcripſit Lib. I. „ de Bapt. Cap. 17. *Spirituales autem, ſive ad hoc ipſum pio „ ſtudio proficiſcentes, non ſunt foras; quia & cùm aliqua vel „ perverſitate, vel neceſſitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quàm ſi intùs permaneant, cùm adversùs Eccleſiam nullatenus eriguntur, ſed in ſolidâ unitatis petrâ fortiſſimo caritatis robore radicantur.* Qui hanc unitatem Spiritûs habet unitatem quoque actualem cum Eccleſiæ corpore „ & capite quærere omni niſu debet, ut Nicolius Lib. II. de „ Unitate Cap. 10. tradidit. Nam eſſentiale eſt ſpiritui uni-

Digitized by Google

„ tatis catholicæ ad actualem unitatem & communionem, quæ
„ eſt naturalis ſtatus corporis Eccleſiæ, tendere; ita ſcilicet,
„ ut per hominem non ſtet, ne actu fiat. Sola impoſſibilitas,
„ ſeu impedimentum, quod absque hominis culpa aliunde ob-
„ ſiſtat, eum poterit excuſare, & ſaluti ejus, dum abſint cæ-
„ tera, nihil præjudicii afferre."

§. III.

De Subtractione Obedientiæ.

Sanctæ Sedi ab omnibus Catholicis debetur reverentia. Hi ſemper crediderunt (& rectè omninò) primam illam Sedem eſſe Centrum eccleſiaſticæ unionis, atque conſtantem aliarum Eccleſiarum cum illa communionem eſſe unum è ſignis diſtinctivis, quibus Catholici à Sectariis dignoſcuntur. Itaque quando agitur de uno extremo ad aliud, id eſt, de memoratâ unione ſeu communione cum Apoſtolica Sede ad temporariam ſeparationem ſeu alienationem ab eâdem, cui ipſa anſam fortàſſe dedit, & quandam neceſſitatem impoſuit, cautè procedendum eſſe, nemo dubitat, ne puſillis ingeratur ſcandalum.

Recognoſcimus in ſummo Pontifice ſucceſſorem S. Petri, & Caput Epiſcoporum; conſervamus quàm ſtudioſiſſimè communionem & relationem cum Romanâ Eccleſiâ, in quâ ille tanquam Epiſcopus reſidet. Verùm hæc non impediunt, quominùs jura & libertates noſtrarum Eccleſiarum tueamur, vigorosè etiam, cùm id neceſſitas poſtulat (attamen cum debitâ moderatione & reverentiâ) adversùs novitates, attentata & inſultus, honori Regum ac Principum, receptis Nationum uſibus, juribus ordinis Epiſcopalis, decretis Conciliorum,

nec

Digitized by Google

nec non generali politiæ univerſalis Eccleſiæ contrarios; quales haud rarò ab iis, qui Romanam Eccleſiam regunt, atque inſimul magnum illud corpus totius Eccleſiæ dirigunt, prodire cernimus; homines enim ſunt, eodem, quo nos, limo formati.

Negatur itaque, & quidem citra omnem injuſtitiam, obedientia cæteroquin debita, quando injuſta, juris alieni læſiva, ſacris Canonibus adverſa, à ſummo Pontifice mandantur. Multos caſus, quibus talia evenire poſſunt, & actu evenerunt, recenſuit Febronius in ſuâ Epiſtolâ *de Subtractione obedientiæ*, quos hîc non repetimus. Diviſit ille, uti oportuit, hanc ſubtractionem in *totalem* & *partialem;* utriusque dedit fundamenta, cauſas, atque modos legales. Totum, quod illis oppoſuit Doctor Kauffmans in ſæpè memoratâ ſuâ Præfatione *pag.* 42, his verbis concluditur: „ Diſſertatione IV. §. 6. re„ futata eſt heteroclita idea de Subtractione temporariâ obe„ dientiæ, quam nunc (Febronius) iterum gloriatur Eccleſia„ ſticæ hiſtoriæ monumentis à ſe fuiſſe demonſtratam, per„ inde habens, an contra Pontificem dubium in ſchiſmate, „ an contra Pontificem legitimè electum, & ab Eccleſiâ agni„ tum fiat ſubtractionis experimentum. Eò pertinet impium „ ſeditioſi ſpiritûs Februniani conſilium de *novo Patriarchatu* „ conſtituendo." Quæ de hâc ſubtractione tradidit Febronius, ille minimè de dubio, ſed de certo & agnito Pontifice, verùm extra Canones vagante, intellexit; quanquam quoad modum & effectus hujus ſubtractionis ſubinde uſus ſit exemplis ex diſciplinâ Eccleſiæ tempore ſchiſmatis petitis. Cæterùm minimè impium fuit conſilium de conſtituendo intra fines Galliæ novo Patriarchâ, cujus meminit Febronius *Cap IV.* §. 10. *n.* 4., quippe qui nullatenùs impediviſſet *legalem* com-

 munio-

munionem cum primâ Sede, & juſtum fuiſſet repagulum adversùs exceſſus Sedentium in eâ.

Negationem obedientiæ *totalis* vel *ferè talis* ſæpiùs à Regibus Galliæ & aliis Monarchis tanquam medium congruum uſurpatum fuiſſe, ne ipſi quidem adverſarii negabunt. Exemplum noviſſimum ſuppeditat Luſitania. In eo hærent, quo modo procedendum, & quæ media eo caſu adhibenda, tum ut interim res Eccleſiæ juſto ordine gerantur, tum ut Curia Romani Pontificis ad ſaniora & ſpiritui Canonum conformia conſilia reducatur. Cùm Ludovicus XII. Rex Chriſtianiſſimus anno 1510. à Papa Julio II. ad interruptionem externæ unionis uſque diſſideret, convocavit Synodum Turonis, in quâ Patres de ea, quam hîc agimus, quæſtione rogati reſponderunt: *Tali ſubtractione licitè factâ, quid agendum ſit Principi ipſi ac ſubditis ejus, tum etiam Prælatis & Eccleſiaſticis perſonis regni ſui, in rebus, quibus ad Sedem Apoſtolicam antea recurri ſolebat, concluſum eſt per Concilium, ſervandum eſſe jus commune & Pragmaticam Sanctionem regni ex decretis ſacroſancti Concilii Baſileenſis deſumptam.*

Quid autem, antequam ad uſum Juris illius antiqui communis & Pragmaticæ deveniatur, agi oporteat, ſic definivit eadem Synodus: *Ante omnia mittendos ab Eccleſiâ Gallicanâ Legatos ad Papam Julium, qui fraternâ caritate & ſecundùm Evangelicam correctionem eum admoneant, ut à cœptis deſiſtere velit, pacémque & concordiam Principum amplecti; quod ſi nolit Legatos in hoc audire, interpelletur de convocando Concilio libero, juxta ſacroſancti Baſileenſis Concilii decreta; & hoc facto, reſponſóque ejus accepto, providebitur prout jus erit.*

Utique

Digitized by Google

Utique cùm Curia deviat, ſanioribus conſiliis, robore & conſtantiâ vallatis, ad viam juris & æquitatis reducenda eſt. Quod occaſione Bullarum, illis qui decretis cleri Gallicani anni 1682. ſubſcripſerant, Romæ negatarum dixit in ſuo Requiſitoriali an. 1688. Advocatus Regis Talonius, pluribus aliis caſibus convenienter applicabitur, ſcilicet: „ Ceux, qui inſpirent ces „ penſées au Pape, peuvent-ils s'imaginer, qu'ils nous fairont „ changer de ſentiment? & ſont-ils ſi aveugles, qu'ils ne „ connoiſſent pas, que nous ne ſommes plus dans ces tems „ malheureux, ou une ignorance groſſiere, jointe à la foibleſſe du Gouvernement, & à des fauſſes preventions, rendoit „ les Decrets des Papes ſi redoutables, quelque injuſtes qu'ils „ puiſſent être, & que ces diſputes & ces querelles, bien loin „ d'augmenter leur pouvoir, ne ſervent qu'à faire rechercher „ l'origine de leurs uſurpations, & diminuent la veneration „ des Peuples pluſtôt que de l'acroître. " Utinam ad hæc „ pro proprio ſuo commodo Romani attendant, & ſeriò reflectant!

Si his non attentis Roma ſolidis remonſtrationibus ſurdas aures objicere pergeret, Synodi Turonenſis jam relatis conſiliis validè inſiſtendum foret; neque tamen inde ſchiſma metuendum eſſet. Quanquam enim ſubinde ſurda ſit, non tamen eouſque cœca eſt Roma, experientiâ & periculo ſuo edocta, ut poſt alia gravia damna jam perpeſſa Galliam, Germaniam, aut aliud magnum regnum propter exoticas ſuas prætenſiones à ſua communione & nexu velit excludere; quin potiùs communionis vinculum omnibus modis renovare laboret, húncque in finem congrua quævis media adferre ſtudeat. Argumento eſſe poſſunt, quæ noviſſimè inter hanc Curiam ex una parte, & inter Galliam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Nea-

Digitized by Google

polim, & Parmam ex alterâ acta ſunt. Quinimò ſoli etiam Epiſcopi, inter ſe uniti, Romam haud difficulter continebunt, quandoquidem nihil petant ultrà, quàm quod Deus ipſis contulit, & quod genuini Canones declararunt; in hoc redire ipſis fas eſt, & perſæpe prompta occaſio, dummodo non deſit ſeria voluntas & Principis protectio. Regulares, qui Epiſcoporum miniſterio carere non poſſunt, ſe eis tenebuntur ſubmittere, aliàs experturi, quod dixit Durandus Epiſcopus Mimatenſis Part. I. Tit. 5. pag. 32. *Cùm ſe nulli Epiſcopo omninò ſubeſſe profiteantur, conſequens eſt, ut nullus Epiſcoporum, quæ ſua ſunt, eis tanquam exteris largiatur.* His adde noſtra *Tit. VI. §. III. ℣. Quod ſuprà.* Prima regularum, cui reliquæ omnes cedere debent, eſt procuratio ſalutis animarum. Igitur cumprimùm Principi (cui Clerus æque, ac ordo ſæcularis, ſubditus & obediens eſſe debet) viſum fuerit propter cauſas Statûs pro regno ſuo ſuſpendere aut negare obedientiam Pontifici cœteroquin debitam, eo ipſo reviviſcent nativa Epiſcoporum jura, etiam quoad uſum & exercitium; ſiquidem Canones, qui illorum jurisdictionem limitàrunt, non poſuerint terminum eorum charitati. Sic ſanctiſſimi Epiſcopi urgente neceſſitate non fuerunt veriti regulas ordinarias tranſcendere. *Tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur, cùm urget circumſtantia periclitantis*, inquit Tertullianus de Baptiſmo adversùs Quintillan. Opp. Tom. III pag. 464. edit. an. 1598.

Hæc potiſſimùm reſpiciunt ſubtractionem *totalem*, qualem nuper fecit Luſitania; an autem ea, an verò *partialis tantùm*, & usque ad quem gradum, decernenda, ad quæ objecta extendenda ſit, dependet ab imperio Principis, à circumſtantiis, à natura gravaminum per Romanam Curiam illatarum. Sæpe etiam leges publicæ hiſce rebus normam ponunt & menſuram.

ſuram. Sic in Gallia, dum cuiquam Romæ negantur bullæ ex uſu ac ſtylo debitæ, ſubtrahitur *quoad hoc* obedientia, & providetur intra regnum per denominationem Epiſcopi, qui hàc in parte ſuppleat vices Pontificis; idque eò faciliùs, quòd inſpectâ indole Pontificii muneris & jurium ei annexorum, illa ſolùm pro objecto habeant negotia, quæ Eccleſiam *ùt Corpus* afficiunt, & ad ſtatum *Univerſi* pertinent; neque enim ad eum propriè attinet cognoſcere & ſtatuere de negotiis *particularibus* & cauſis *privatis* aliarum diœceſium, quæ bonum commune principaliter & per ſe non reſpiciunt. Ex hoc principio Cardinalis Richelius poſt bullarum Romanarum pro Abbatia Præmonſtratenſi, ad quam à Rege nominatus fuerat, ſibi factam negationem, 26. Januarii an. 1641. à ſupremo Senatu Regis obtinuit poſſeſſionem ejuſdem Abbatiæ cum facultate eam adminiſtrandi in ſpiritualibus & temporalibus, perinde acſi bullas & expeditiones Romanas actu haberet. Simile decretum ab eodem Conſilio regio 29. Julii an. 1636. pro Abbatia S. Symphoriani Metenſis datum fuit Cardinali de la Valette. Hæc eſt via ordinaria & communis, in Gallia obſervata, in aliis etiam regnis & provinciis ex eisdem principiis uſurpanda. Hanc anno 1640. tenuit Henricus Archiepiſcopus Burdigalenſis, poſt negatas ſibi bullas pro Abbatia S. Crucis ejuſdem civitatis & diæceſis, quam permutatione cum Jacobo des Aigues factâ obtinuerat.

Iisdem fundamentis nititur & ſubtractionis methodo utitur Gallia, quoties Romæ viſum eſt iis, qui à Rege ad Epiſcopatus nominantur, confirmationem negare ex cauſis, quæ in regno pro legitimis non habentur. In Tractatu de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ anno 1608. Pariſiis impreſſo *pag.* 110. *& ſeqq.* inter jura hujus Eccleſiæ ponitur, quòd ii, quos Rex nomina-

nominavit ad Epiſcopatus (*licèt*, inquit Auctor, *habeant tantùm jus adrem*) poſſint arripere poſſeſſionem & diſponere de Epiſcopatu, caſu, quo ſummi Pontifices vel negant injuſtè vel differunt eis bullas expedire. Idem tradit Melchior Paſtor *Tract. de Beneficiis Lib. II. Tit.* 15. *n.* 8. *pag.* 149. Sanè inſtitutio Epiſcoporum & principale eorum officium ſunt juris divini, jus autem illos confirmandi (quantum ad Curiam Romanam) merè humani juris eſt. Quoties itaque inter hanc Curiam & aulam Regis occurrunt obſtacula & difficultates, quæ impediunt, quominùs confirmatio nominati Romæ valeat obtineri, prævalebit haud dubiè obligatio ſe conformandi divinæ inſtitutioni. Taceo, quòd hæc facultas RR. Pontificum non tam ſit jus, quàm quædam ſpecies aut convenientiæ aut uſurpationis, fundatæ in ſiniſtrâ ideâ immenſæ atque indefinitæ auctoritatis, quam Decretaliſtæ Papæ attribuerunt, ex qua non ſolùm nulla utilitas, ſed multa potiùs incommoda prodierunt, nata ex tot litibus harúmque diſpendiis, quæ in cauſis Electionum Romam delatæ ſunt. Quinimò (quod minùs toleràbile eſt) Pontifices non contenti jure confirmandi eos, quos Clerus & populi Epiſcopos elegerunt, ipſas etiam Eccleſias ſuo nativo jure electionis ſpoliârunt, ſibi harum liberam collationem per varias reſervationes attribuendo. Hoc præcipuè fecit Joannes XXII. Sed nec in eo quidem ſtitum eſt: eadem confirmandi aſſumpta auctoritas quoque ſervivit titulo & occaſioni turpis lucri per exactionem Annatarum.

In prælaudato Requiſitoriali, quod occaſione negationis bullarum factæ iis, qui Decretis Cleri Gallicani de anno 1682., in antiquo & genuino jure fundatis, circa Pontificis poteſtatem ſubſcripſerant, anno 1688. edidit Talonius, ita proſequitur vir celeberrimus: „ Si ce fondement eſt ſolide, nous
„ ſom-

Digitized by Google

„ ſommes en état de ne plus avoir à l'avenir des Evêques, „ puisque tous les Eccleſiaſtiques du royaume, & particuliere„ ment ceux, qui prennent dans les Univerſités les dégrés „ néceſſaires pour parvenir aux Prélatures, ſoutiennent avec „ une fermeté invincible les propoſitions dont le Pape ſe „ plaint." Tam hæc vera & eventu comprobata ſunt, ut nullus in Gallia niſi graduatus aſſumatur ad Epiſcopatum, nullus ad gradum Licentiæ aut Doctoratûs, qui præviè non juraverit in easdem propoſitiones, & pro conſtanti earum defenſione. Non ignorant hæc Pontifices, & ſilent, imò ſilere debent, & talibus ad Epiſcopatus nominatis bullas confirmationis largiri; ne ſe iterum exponant periculo revolutionis hujus juris confirmandi ad Epiſcopos regni, & ad provinciales Synodos, idque in perpetuum. Unde concidunt, & reſpectivè evanuerunt, quæ Viator Italus *pag.* 12. memorat de motibus Innocentii XI. adversùs ſæpefata Comitia Cleri Gallicani de an. 1682., revocatione decretorum ejusdem Conventûs à Rege Ludovico XIV. prætensè factâ in litteris 24. Septembris 1693. ad Papam ſcriptis, demum de vi & efficaciâ Epiſtolarum deprecatoriarum, tunc ad Innocentium XII. ab iis, qui in ipſis Comitiis decreto Cleri ſubſcripſerant, exaratarum.

Si Romani adversùs hanc ſubtractionem juris confirmandi reclamantes dicant, ſummos Pontifices à quinque jam ſæculis & ampliùs eſſe in poſſeſſione excluſivâ ejusdem; quinimò hoc eis agnitum firmatúmque fuiſſe in Conciliis Conſtantienſi & Baſileenſi, quibus cæteroquin cordi fuit Pontificiam poteſtatem deprimere potiùs quàm extollere, volendo tantùm, ut exactiones Annatarum abolerentur: reſpondebimus 1.) hìc agi de revolutione juris, originariè & *ex inſtitutione divinâ* ad Epiſcopos pertinentis, quod proinde favores meretur, & fa-

cilè reſuſcitatur, quoties ille, cui hoc jus *ab hominibus* utcunque ceſſum fuit, ab ejusdem exercitio quoquo modo impeditur aut præcluditur. Sed nec 2.) Romani cum umbra quidem rationis prætendere valent, nominationem, confirmationem, conſecrationem atque cognitionem de idoneitate providendi de Epiſcopatu ad Cauſas Majores, quas Canones Papæ reſervant, pertinere; ſiquidem notum ſit, eo tempore, quo Canones de Majoribus Cauſis agentes condebantur, ſummos Pontifices de præmiſſis extra Italiam ſe non ingeſſiſſe. Demùm 3.) Papa poſſeſſionem hìc fruſtra opponet, ex quo non ſit niſi precarius poſſeſſor.

Febronius in Epiſtola de ſubtractione obedientiæ n. 16. paucis egit de proceſſu informativo ſuper idoneitate promovendorum ad Epiſcopatus, per quos nempe ille formari debeat. Multò uberiùs & valde accuratè hoc argumentum tractatum legitur in ſcripto, quod in Appendicibus Tomi I. de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ edit. anni 1715. habetur hoc titulo: *Memoire pour faire voir, que les informations de vie & mœurs de ceux, que le Roy nomme aux Eveſchez, doivent eſtre faites par les Ordinaires.*

Porro totâ die negatur obedientia, & opponitur reſiſtentia brevibus, bullis & aliis litteris RR. Pontificum, continentibus principia Ultramontanorum, ſanis noſtris & communibus Eccleſiæ doctrinis adverſantia. In Diſcurſu juridico D. de Harlay Advocati regii, habito 1. Auguſti an. 1665. ſuper nullitatibus Bullæ Alexandri VII. de Auctoritate Facultatis Theologicæ cenſurandi doctrinas erroneas; nec non in alio Diſcurſu Advocati regii, habito Pariſiis coram Parlamento, occaſione duorum Brevium Clementis XI. de die 8. Jan. 1710. quibus

quibus damnantur quædam ſcripta Epiſcopi S. Pontii, nec non Tractatus de Origine Regaliæ (qui ambo Diſcurſus proſtant in Appendice Monumentorum ad Zegeri van Eſpen Tractatum de Publicatione legum Eccleſ. Lit. LL. & MM.) dicitur, has Bullas & Brevia eò collimare, ut Conciliorum generalium, Eccleſiam univerſalem repræſentantium, auctoritatem non à Chriſto, ſed à Romano Pontifice, deſcendere & dependere faciant, atque ipſam infallibilitatem circa fidem & mores non tam generalibus Conciliis quàm Rom. Pontifici adſcribant, ipſúmque Pontificem eisdem Conciliis conſtituant ſuperiorem, adeo ut nec horum decretis conſtringi valeat: InſuperEpiſcoporum auctoritatem non immediatè à Chriſto, ſed à Papa emanare, & ab ipſo dependere. Has ſimiléſque doctrinas Galli jure arbitrantur eſſe Libertatum ſuæ Eccleſiæ (quidni & Eccleſiæ univerſalis ?) everſivas, & contrarias doctrinis ab Eccleſia Gallicana conſtantiſſimè ſervatis ac propugnatis.

Aſſerunt præterea bini Advocati regii, clauſulam excommunicationis, memoratis Brevibus inſertam, vigore cujus abſolutio ab eadem, extra articulum mortis, ſoli Pontifici reſervatur, adverſari & detrahere jurisdictioni Epiſcoporum; quandoquidem hæ clauſulæ non poſſint aliter conſiderari, quàm ſequelæ doctrinæ Ultramontanorum, ſuſtinentium, Papam eſſe Ordinarium Ordinariorum, Judicem ſupremum & immediatum fori interioris in omni diœceſi, Epiſcopum univerſalem omnium fidelium; quæ doctrina à S. Gregorio M. juſtè damnata, & per Parlamentorum arreſta ſæpius reprobata eſt. Similes, inquiunt, clauſulæ, in hac Ultramontanorum opinione fundatæ, ſi admitterentur, inde ſequeretur totius auctoritatis Epiſcopalis, nec non ordinis Hierarchici everſio. Eâ occaſione ſic fatur Dom. de Harlay: „ Si la reſiſtence d'un coté „ nous rendoit criminels, de l'autre l'obeiſſance ne nous ren-

 „ droit

„ droit pas moins coupables. Cette ſainte rebellion a tou-
„ jours été conforme à l'eſprit de l'Egliſe, laquelle dés ſa
„ naiſſance nous en produit un exemple illuſtre contre celui
„ dont les Papes ſont obligés d'avouer qu'ils tiennent tous
„ les avantages ſpirituels de leur Siége, & toutes les préemi-
„ nences eccleſiaſtiques de leur dignité. "

Si in aliis punctis Febronius Jeſuitas frequenter ſibi contrarios ſenſit, puto idem nobis hic non eventurum, cùm ipſimet in negotio *Cultûs Sinenſis* ſummis Pontificibus Innocentio X. Clementi XI. Clementi XII. & Benedicto XIV. obedientiam tam conſtanter ſubtraxerint. Dicunt equidem illi, hos Pontifices non fuiſſe ritè informatos; ſed hoc ipſum quoque ſuſtinebunt Galli aliíque, ſcilicet Papam nunc in facto, nunc in jure eſſe ſiniſtrè informatum, proinde obedientiam ei in omnibus his caſibus non deberi.

EXAMEN

Digitized by Google

EXAMEN LIBELLI

anno 1770. editi hoc titulo:

Jugement d'un Ecrivain Proteſtant touchant le livre de JUSTINUS FEBRONIUS.

Eſt ſtatus Eccleſiæ unius Principis ſtatus, quem Græci MONARCHIAM vocant; non tamen unius hominis imperantis, quales ſunt monarchiæ ab hominibus inſtitutæ; ſed unius Dei & hominis, qui eſt Chriſtus, Dominus omnium noſtrûm, quem Deus Pater poſuit caput ſuper omnem Eccleſiam, in qua ipſe Rectores & Paſtores poſuit, qui eam regerent & paſcerent nomine ejus, non ſuo ipſorum, ùt in oligarchia humana fit, atque etiam in regio ſtatu.

CARD. POLUS de Concilio. ad Legatos Sedis Apoſtol. Trid. Synodi Quæſt. 6.

Dubius atque irreſolutus hæſi, an hic libellus, qui ſatyra potiùs eſt, quàm juſta criſis Febroniani Operis, reſponſo honoraretur vel à me vel ab alio veritatis & eccleſiaſticæ diſciplinæ amante. Fingit ejusdem auctor, ſe ſuſcipere partes & perſonam Magiſtri Bahrdt, cujus diſſertationem Febronius in Appendice ſua quarta, aut alius ejus nomine, confutavit. Tantò ineptiorem autem Febronii criticum, & reſpectivè defenſorem ſyſtematis Catechiſtæ Lipſienſis ille agit, quòd hujus opuſculum ne oculis quidem conſpexiſſe, aut manibus tractâſſe ex ingreſſu ſui libelli convinca-

 tur,

tur, eò quòd Bahrdtii Diſſertationem germanico idiomate editam aſſerat, quod apprimè falſum eſt.

Quis ſit ille, qui aſſumpto Lipſienſis Magiſtri nomine in forma dialogi cum Febronio hunc impetere tentavit, haud difficulter conjiciam, tum ex his ejus verbis: „ Un ſavant
pag. 15. „ Prélat a dit depuis peu au Superieur des *** à C***, „ que Febronius par l'edition du ſecond Tome, avoit detrom- „ pé tous ceux, qu'il avoit trompés par le premier; " ubi nullus dubito, quin ea, quæ ſub aſteriſcis latere ſcriptor ut-
6. 7. cunque voluit, ſignificent *Au Superieur des Jeſuites à Cologne:* tum ex iis, quæ non uno loco idem auctor in laudem Jeſuitarum ſuis immiſcuit; ex quibus, uti & ex vitilitigante diſputandi ratione, quæ ſe undique manifeſtat, ipſiſſimmet Jeſuitam eſſe cuivis facilè perſuadebitur. Quare & hic cum tali mihi negotium eſſe ſupponam cum fiducia veri.

Duas vidi hujus ſchediaſmatis editiones, primam anni 1770., alteram an. 1771. Hæc ob majores typorum formas plures quàm prior pagellas, in univerſum harum 54. in octavo implet; hanc in allegatione paginarum ſequar. Authographum germanici idiomatis eſt, quod ejusdem auctor à quodam ſuorum Sociorum in gallicum verti curavit; utrumque non ſine affectatione à Patribus S. J. divulgatum eſt.

Antè autem quàm ad examen ſingulorum, quæ Jeſuita Febronio & Defenſoribus ejus objicit, deveniam, obſervo, illum in Præfatione aſſerere, Opus Febronii nec Proteſtantibus placere poſſe, nec Catholicis. Addit deinde, illud intra
pag. 41. biennium bibliothecarum pulvere tectum quieturum. Ego, ut de Acatholicis primùm diſſeram, rogo Jeſuitam, ut ante omnia Lipſiæ (quâ in urbe opuſculum ſuum impreſſum dicit) ſe informet, cujus major in ea Univerſitate ſit celebritas, amplior auctoritas, *Magiſtri Bahrdt*, an eorum virorum, qui ibidem

ibidem *Acta Eruditorum* conſcribunt. Poſt hæc legat judicium, quod illuſtres hi viri de Opere Febronii conſignârunt ad Calendas Januarii anni 1764. Eſt illud ſequens: „ Inſigne prorsùs, ac memoratu digniſſimum eſt, quod hic Opus indicamus, non ſolùm ob egregiam atque diffuſam doctrinam, quâ eſt refertum, ſed etiam, atque imprimis, ob novum ac laudabile Auctoris conſilium. Ab ipſis ſanè Lutheri temporibus nemo extitit, qui, in medio quaſi cœtûs Romani gremio, contra abominandos illius abuſus, & vanam Pontificis poteſtatem, tam intelligenter, cum tanto lectionis & doctrinæ apparatu, tam denique fortiter diſputârit, quàm hic perſonatus Febronius.... Hic vir incomparabilis totus eſt in eo, ut cauſas, originem, & incrementa injuſtas poteſtatis pontificiæ declaret, eam arctioribus limitibus includat, adeóque viam monſtret ad reconciliandos cum ſua Eccleſia eos, qui diſſentiunt; quod imminutâ paullulùm hac poteſtate faciliùs obtineri poſſe putat; quamvis multum adhuc tribuat Pontifici, quod nemo noſtrûm ei non negabit, ùt ex ipſâ operis delineatione, quam nunc dabimus, manifeſtum fiet..... *Et poſtea*: Nos verò hanc ipſam operam, à doctiſſimo auctore, cujus inſignem rerum, quæ formam Eccleſiæ & leges concernunt, peritiam, ſingulæ non paginæ, ſed lineæ produnt, in tam arduo nec omni periculo libero negotio collocatam, ſatis mirari quidem & laudare non poſſumus; neque tamen omnia probare. &c. ” Plura & ampliora his elogia ex Proteſtantium Academiis, præſertim ex Göttingenſi, adferre poſſem; unum ſaltem non prætermittam, viri inter Proteſtantes magni nominis, Friderici Caroli à Moſer Conſiliarii Imperialis aulici. Is ita in ſuis Reliquiis pag. 284. ſecundæ edit. an. 1766. *Febronius handelt als ein ehrlicher Mann, da er die Catholiſche und Proteſtanten wieder zu vereinigen ſucht;*

ſucht; Gott wird ihm die treue ſeines hertzens, und die redlichkeit ſeiner abſichten belohnen, und ſein werck iſt in vilfachem betracht ein wichtiges zeichen unſerer zeit, er ſelbſt ein Prophet in ſeiner Kirche, ein ehrwürdiger zeuge der wahrheit; ſeine unionsvorſchläge aber werden ſo lange träume bleiben, als er unſeren Cameraliſtiſch-religioſen Proteſtantiſchen Fürſten nicht zeigen kan, das ſie dabey gewinnen; eine Lotterie von ein paar hundert reichen Abteyen würde eher ihren beifall finden.

Quod ad Catholicos attinet, ſi Jeſuita reflectat, Operis Febroniani intra paucos annos duas editiones in Italiâ, totidem in Galliâ, plures in Germaniâ factas, & ex his poſterioribus ab uno ſolùm Bibliopolâ (quod ille affirmat) ultra ſeptingenta exemplaria in terris hæreditariis germanicis auguſtæ Domus Auſtriacæ (tacendo alias Catholicas provincias) divendita fuiſſe, poterit ille (ſi tamen ſenſum habet, & candore regitur) facilè judicare & concludere, num illud Catholicis acceptum ſit nec ne, an verum ſit, quod ſcribit vir vaniloquax: *que le livre de Febronius ne peut être agréable ni aux Proteſtans, ni aux Catholiques.*

Eodem ſpiritu, quo ille propheticè prædicat, Febronium intra biennium oblivione tectum iri, potuiſſet dicere eum tineis & blattis jamtum in cibum eſſe; atque ita potuiſſet parcere labori, quem ſuo opuſculo impendit; niſi fortè credat, hoc ſcripto ſe Febronium ita oppreſſurum, ut omnis ejus memoria intra tam breve tempus depereat. Verùm de hujus voti ſucceſſu Lector in fine hujus Examinis ſecúriùs judicabit. Cæterùm non fuit Febronio propoſitum, ut primo intuitu ſui libri, Catholici æque ac Proteſtantes ſub deſcriptis ab eo conditionibus ſine morâ reunirentur; hóc ille voluit, hoc ſperavit, futurum, ut detracto à Religione Catholicâ omni odio, omni profano onere, ii, qui hactenus extra ovile fuerunt, in

in illud faciliùs & libentiùs redeant; neque puto hanc ſpem omnino vanam eſſe, neque hoc propoſitum abnorme.

Poſt hæc generaliora, modò deſcendendum ad ſpecialia, à Jeſuità Febronio & ejus Operi objecta. Referemus ea ſummà fide ex ſcripto adverſarii, pro majore Lectoris commoditate in quatuor partes à nobis diſtributa, quibus deinde noſtras reſponſiones, ſeu convenientes elucidationes ſubjiciemus.

I.

JESUITA.

Febronii opera ad præſtitutum finem reunionis vana eſt & inutilis.

a) Vel liber Febronii docuit & convicit Proteſtantes, eos Romanæ Eccleſiæ abuſus, quos ille incuſat, eſſe Catholicæ Religioni extrinſecos & tantùm accidentales, atque hanc ab eisdem liberatam veram eſſe Eccleſiam; vel eos hujus non convicit: primo caſu non potuère non aliqui ex eis converti ad veram fidem; altero caſu inanis eſt hujus Scriptoris labor, duobus ſpiſſis voluminibus componendis impenſus. pag. 9.

b) Si impugnare veram aut prætenſam ſummi Pontificis authoritatem eſſet remedium conveniens & efficax perveniendi ad unionem, quare Lutherus & alii Proteſtantium anteſignani, qui illam acerrimè debellàrunt, hunc ſuorum moliminum ſucceſſum non habuerunt? 3.

c) Quidquid ad reducendos Proteſtantes reſpectu Pontificiæ poteſtatis commodum atque utile videri potuit, hoc Clerus Gallicanus in ſuo Conventu anni 1682. ſancivit & declaravit, & tamen illi ad ſinum Eccleſiæ non redierunt. Interim 26. 47. 48.

Digitized by Google

Epiſcopi Galliæ quatuor ibidem deſcriptos Articulos adoptantes, nunquam conſiderârunt ſententias eisdem contrarias tanquam ſchiſmate horribiliores; neque dixerunt Papam deponi poſſe, quia Eccleſia non eſt propter Papam, ſed Papa propter Eccleſiam.

6. d) Ex quo Febronius in plurium manibus eſt, ne ullus quidem Proteſtantium ſe ad fidem Catholicam convertit; quinimò quidem Catholici, videntes Romam tam atris coloribus depictam, ſuam religionem perdiderunt.

29. 30. e) Non alium ſibi finem Febronius ſcribendo propoſuit, quàm everſionem Romanæ Sedis. Qui illud in Eccleſià Catholicâ attentare præſumpſerunt, nunquam non ab illà tanquam hæretici habiti ſunt.

1. f) Debuiſſet Febronius à ſcribendo ceſſare, poſtquam plures primi ordinis eruditi illius ſyſtema reunionis chimæricum
44. eſſe demonſtrârunt, & ſummus Pontifex Clemens XIII. cum nonnulis Epiſcopis Germaniæ ejus librum damnavit.

3. g) Ipſe ejus traductor Gallicus dicit ſe optare quidem, attamen non ſperare ſucceſſum Febronianæ molitionis. Quan-
41. quam ipſe ille translator, Abbas du V*** non ſit magnus Apollo.

8. h) Ait quidem Febronius, non à ſimplici lectione ſui operis, ſed ab executione principiorum, quæ in eo concluduntur, ſperari converſionem Proteſtantium. Verùm omnes illæ Eccleſiæ, à quibus hæc principia recepta ſunt, Sedi Apoſtolicæ & Eccleſiæ Romanæ pro perpetuo abreptæ fuerunt.

21. i) Febronii liber non magis convertet Papam, quàm Proteſtantes. Hujus ſuæ prædictionis adeo ſecurum ſe Jeſuita credit, ut nullus dubitet, quin eventus ſuam propheriam probaturus ſit.

k) Hoc

Digitized by Google

k) Hoc jam ab iis, quæ modò acta ſunt, colligi poteſt. Etenim Luſitania, quæ ante publicationem Tomi primi Febroniani à Roma diffidebat, illi nunc reconciliatur poſt editionem Tomi ſecundi. Principes & Monarchæ Domûs Burbonicæ Pontifici proximè reconciliabuntur. Epiſcopi Catholici, potiſſimùm Galliæ, ſanctæ Sedi tenaciter adhærent. 49.

l) Illud deterius eſt, quòd plures Proteſtantium æque ac Catholicorum, videntes à Febronio indifferentismum prædicari, illo ductore patrum religionem reliquerint, ut ſe Deiſtis ſocient. Siquidem ille *Tomo II. pag.* 148. doceat, cuilibet permittendum eſſe, ut, quod voluerit, credat, usque ad adventum Spiritûs Sancti. 9. 10.

FEBRONIUS.

A. 1.) An ex omnibus Proteſtantibus ad quorum manus liber ſingularis Febronii pervenit, nullus ad Catholicam Fidem converſus fuerit, non poteſt noſtro Jeſuitæ cognitum eſſe; proinde neque ille citra notam temeritatis negativam ſuſtinebit. 2.) Plures Jeſuitæ ediderunt libros controverſiarum pro Religione Catholicâ; inter quos ipſe Adverſarius Bellarminum, Becanum, & Scheffmacherum nominat. Quo autem titulo ipſe aſſeverabit, plures horum ſcriptis motos primo ſeptennio ad Sacra Catholica tranſiiſſe? Interim alia Febronii quàm illorum methodus, alius ſcriptionis ſcopus, quanquam uterque ad decus & augmentum Eccleſiæ tendens. 3.) Vera manebit Romana Eccleſia, utcunque extrinſecis abuſibus & ſordibus onuſta; ſed tot gravibus maculis conſperſa, non tam facilè in ſuî amplexum trahet eos qui foris ſunt. 4.) Illud præcipuè voluit Febronius, ut pro reuniendis Proteſtantibus inciperetur à repurganda Eccleſia, ne hu-

Digitized by Google

jus faciem illi deinceps horrerent, qui tardati reditûs excuſationem & veniam fortè merentur, quâ illi indigni ſunt, qui tot & tam graves maculas auguſto vultu aſpergunt, & indefeſsè laborant, ne tollantur.

B. 1.) Impugnare *veram* ſummi Pontificis authoritatem, non eſt remedium procurandæ unionis, ſed potiùs alienationis à fide Catholicâ, cujus articuli *ſubſtantiales* (inter quos eſt Papæ Primatus) dividi non poſſunt: Impugnare *prætenſam* & exceſſivam, populos injuſtè gravantem illius poteſtatem, eſt medium aptum ad reuniendos nobiſcum Proteſtantes; illo uſus eſt *Lutherus*, hoc *Febronius*. Taceo alia Lutheri dogmata à verâ fide aliena, quorum nullum Jeſuita, utcunque cavilloſus, Febronio potuit objicere. 2.) Ille omnem Romano Pontifici obedientiam negat, hic indebitam tantùm, quod apprimè Catholicum eſt. Audiamus de hoc argumento differentem unum ex doctioribus Patribus Concilii Tridentini Didacum Covarruviam *in Repet. Cap. Peccatum. Part I. n.* 7. ubi ita: „ Hinc ſanè fit, ut cum ſcan„ dalo minimè ſit obediendum Papæ, quoties rectitudo „ rationis dictat potiùs expedire quòd non obtemperetur, „ quàm quòd ſcandalum oriatur. D. Navarr. *in Cap. Sacer*„ *dos. n.* 130. D. Thomas 2. 2. *Quæſt.* 8. *art.* 1. D. Ber„ nardus *Epiſt.* 7. Ex his ergo liquido apparet, mala im„ perantibus, non eſſe parendum, præſertim cum pravis „ obtemperans imperiis, in quo homini videris obediens, „ Deo planè (qui omne quod perperam agitur, interdicit) „ inobedientem te exhibeas. Tolet. *Inſtruct. Sacerd. Lib. V.* „ *Cap* 3. Sed attende, quòd non ſufficiat *obedientia* tantùm, „ ſed *debitâ;* quia cùm absque cauſa rationabili aliquid præ„ cipitur, non debemus audire; nec Papa pro ſuo libitu „ excuſat. Sylveſt. *in Summ. Verb. Obedientia. num.* 5. Si

„ Papæ

„ Papæ mandatum ſapiat peccatum etiam veniale; item ſi „ ex obedientia præſumeretur ſtatus Eccleſiæ perturbandus „ vehementer, vel aliud malum vel ſcandalum futurum, „ etiam ſi præciperetur ſub pœna excommunicationis latæ „ ſententiæ aliquid, ex cujus executione præſumitur ſcan„ dalum animarum vel corporum futurum in civitate, non „ eſt ei obediendum."

C. 1.) Ludovicus XIV. Declarationi Cleri Gallicani vim legis publicæ addens, in ſuo Edicto de 23. Martii an. 1682. (quod Euſebius Amort Theologiæ eclecticæ Tom. I. Tract. de Fide pag. 26. edidit) ait, *ſibi omnino polliceri, eâ ſubditorum ſuorum in Sanctam Eccleſiam reverentiam ac venerationem promotum, & Miniſtris Religionis, ùt vocant, Reformatæ, omnes prætextus & cavillationes ademptum iri, quibus Caput Eccleſiæ viſibilis, ejúsque authoritatem Principibus exoſam gravémque reddere laborant, objectâ quorundam ſcriptorum doctrinâ, qui eandem Papæ authoritatem ſupra modum exaggerant.* Si Jeſuita prætendat, Regem omni ſuâ ritè conceptâ ſpe deluſum fuiſſe, ita, ut à Cleri ſui declaratione, quatuor Articulis conceptâ, nullus pro bono Eccleſiæ & ejus accremento fructus provenerit, falſum dicit; ùt ùt plena reunio ſecuta nondum fuerit. 2.) Fructum hunc ipſamet Romana Curia bonâ ex parte præpedivit; quippe quæ totis viribus adversùs hanc Declarationem niſa eſt, adeo, ut illis etiam ſecundi ordinis Clericis, qui deinde ad Epiſcopatus nominati fuerunt, quóſque Rex in memorato Edicto laudat *tanquam doctrinâ & virtute conſpicuos*, bullas confirmationis ob hanc ſolam cauſam integro decennio negare pergeret, quòd dictis Cleri Comitiis interfuerint, eorundémque Decreto ſubſcripſerint; unde ſcandalum ipſa renovavit, imò auxit, quod Rex tollere conabatur. Quare

 mirum

Digitized by Google

mirum non eſt, exſpectatum bonum magnâ parte præpeditum fuiſſe, & adhucdum propter perſeverantes ejusdem Curiæ doctrinas præpediri. 3.) Non ſufficit *ſpeculativas* deponere; hoc ampliùs ad conciliandos animos, ad commendandam doctrinam deſideratur, ut illi *mores* conformentur & *norma regiminis* Canonibus accommodetur, ut graviſſimi *abuſus*, toto Febronii opere incuſati, emendentur, tollantur; hoc ille potiſſimùm voluit 4.) Utique Clerus Galliæ *quatuor Articulos*, in ſuis Comitiis anni 1682. deſcriptos, nunquam tales conſideravit, ut ſententias illis contrarias tanquam ſchismate horribiliores reputaret; ſed neque hoc putavit Febronius: illud autem *Cap. VI.* §. 5. demonſtravit, *impeditam* à Curiâ Romanâ per ſæcula *Reformationem* eſſe cauſam horrendi ſchismatis, proinde ipſo ſchismate culpandam & deteſtandam magis. 5.) Neque Epiſcopi Galliæ dixerunt, neque quisquam alius unquam dixit, Papam *ideo* deponi poſſe, quia Eccleſia non eſt propter Papam, ſed Papa propter Eccleſiam. Hoc definivit in celebri illo memorato Conventu Clerus regni Art. II. *ut immota conſiſtant ſanctæ Oecumenicæ Synodi Conſtantienſis, à Sede Apoſtolicâ comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum ac totius Eccleſiæ uſu confirmata, atque ab Eccleſiâ Gallicanâ perpetuâ religione cuſtodita Decreta de Auctoritate Conciliorum Generalium, quæ Seſſione quartâ & quintâ continentur; nec probari à Gallicanâ Eccleſiâ, qui eorum Decretorum, quaſi dubiæ ſint Auctoritatis ac minùs approbata, robur infringant, aut ad ſolum Schismatis tempus Concilii dicta detroqueant.* Unde per ſe fluit, quòd ex ſententiâ Eccleſiæ Gallicanæ Papa à Concilio Generali (cui ipſe ſubjectus eſt) judicari, & ex cauſis canonicis deponi valeat.

D. Ad

D. Ad primam partem hujus objectionis jam reſponſum fuit. Si autem verum eſt quod Jeſuita ait, nonnullos propter deſcriptos graves Curiæ Romanæ nævos fidem amiſiſſe; judicet quisque prudens, cui talis perverſio adſcribenda ſit, an illis, qui tam malè de Eccleſia merentur, cùm omne in ea bonum procurare deberent: an ei, qui idoneis fidejuſſoribus ac teſtibus talia eloquentibus (ſine his enim ne Acatholici quidem Febronio aſſerenti fidem haberent) quæ absque eo in omnium negotia Eccleſiaſtica tractantium oculis ac manibus ſunt, atque optimo fine, illa deſcribit: tum ut factores talium operum ſalutari rubore perfuſi ſe corrigant, & normam ſuarum actionum ad formam SS. Canonum componant: tum ut ab aliis, quibus circa ea jus eſt, ad id pro bono & decore Eccleſiæ per legitima media compellantur, etiam inviti.

E. 1.) Non miror Jeſuitam tam abnormia ſcribere. Ipſe Papa Clemens XIII. in ſuo Brevi edito 30. Jan. 1768. occaſione Edicti Parmenſis impreſſi apud Theodorum à Palude in Floribus Sparſis Cap. V. §. 11. vocat hoc *Edictum pernicioſum atque tendens ad ſchisma, quod Chriſti fideles à ſupremo Eccleſiæ Capite, oves à Paſtore avertere & quaſi ſeparare ſtudet, Eccleſiaſticam Jurisdictionem opprimit, & ſanctiſſimè ſtabilitam Hierarchiam infringit, quod jura & prærogativas ſanctæ Sedis imminuit, & ab omnibus debitam ejus Mandatis, Decretis, ac Legibus obedientiam ſæculari Poteſtati ſubjicit.* Parum diſſimilia ſcripſit Innocentius XI. de quatuor Articulis Cleri Gallicani, paulò antè memoratis; & tamen iidem Articuli hactenus ſubſtiterunt & porro ſubſiſtent, ſalvâ & illæsâ Romanâ Sede & ejus Primatu; quemadmodùm etiam haud dubiè ſuſtinebitur prælaudatum juſtum ac providum Ducis Parmæ & Placentiæ Edictum. 2.) Vellet, ſi poſſet, Jeſuita

Jeſuita Febronii religionem hic ſuſpectam reddere, ſuorum imitatus methodum & ſyſtema, quorum unus ex antiquis Patribus dixit: *Dogma Jeſuiticum & dogma Catholicum convertuntur.* Non collabetur Prima Sedes, ſi omiſſis tot parergis, alios multùm gravantibus, & eorum jura minuentibus, proinde reunionem impedientibus, ſedentium in illâ actiones regantur SS. Canonibus, nec non Sanctorum Patrum & aliorum, non minùs piorum quàm doctorum virorum conſiliis, queis eadem Apoſtolica Sedes ante falſas Decretales per octo vel novem ſæcula floruit, & univerſali Eccleſiæ præfuit ac profuit. 3.) Principum Curiæ (ad quarum uſum Febronianum Opus potiſſimùm editum eſt) de ſuis juribus ritè inſtructæ vanos illos Romanorum clamores & illegales cenſuras (quales in Parmenſe Miniſterium nuper vibratæ ſunt) parùm curabunt; reſpondebunt illæ ſicut Papæ Joanni VIII. reſpondit Carolus Calvus *Epiſt.* 47. *inter Hincmarianas edit. Sirmond.* „ Nolite ex veſtro nomine excom-„ municationum intentationes contra ſacrarum Scriptura-„ rum tramitem, prædicationémque majorum, ac ſacrarum „ legum, ſanctorúmque Canonum conſtitutiones nobis de „ cætero ſcribi, cujusque inſtinctu, permittere precamur; „ *quia ſcimus totum eſſe irritum quidquid ab illorum fuerit* „ *conſtitutione alienum.*

F. 1.) Plures ſcripſerunt adversùs Febronium; ſingulis reſpondit vel ipſe, vel alii ejus loco ac nomine. Quis meliora & veriora protulerit, penes Publicum eſto judicium. Finis ſcribendi fuit reunio Chriſtianorum diverſa ſacra ſectantium: Medium executio Canonum Spiritu Dei conditorum, & totius mundi reverentiâ conſecratorum; hoc nemo bonus damnabit, etſi finis ex inſperato non ſequatur. 2.) Febronianæ propoſitiones multùm participant ab iis, quæ Infans Hiſpaniæ

Digitized by Google

Hiſpaniæ ſereniſſimus Dux Parmæ in memorato Edicto de 16. Jan. 1768. publicavit, quásque Clemens XIII. die 30. ejusdem menſis præcipitanter damnavit, quæ illegalis damnatio tantum Pontifici deinde tædii cauſavit. Experta tum fuit, nec injuſtè, Romana Curia quod docuit Saura in Voto Platonis de juſto examine doctrinarum Part. I. Cap. 22. in fine, ſcilicet: *Diſciplina Chriſtiana graviſſimè læditur, ſi propoſitiones probabiles condemnentur, ùt ſingulari Capite diſſeruimus; & omnis cenſura injuſta graviſſimam notam meretur, ùt ibidem ex Pontificibus & Conciliis manifeſtè probavimus.* Porro nullus ex adverſariis Febronii vel unam in ejus Opere *improbabilem* propoſitionem hactenus demonſtravit; omnia ab illo tradita pertinent ad præeminentias Principum ſæcularium, quatenus ſuorum territoriorum domini, & per conſequens Canonum executores ſunt. Quæ contra horum jura, ſive directè ſive indirectè, ſcribuntur & evulgantur, ea ſubjacent obſervationi Caramuelis in ſua *Theologia fundamentali num.* 2091. ubi ait: „ Principes, „ ſub quibus vivimus, non catholici tantùm, ſed pii ſunt, „ & ſibi ſummam injuriam fieri putant, cum temporalia „ juxta leges Canonicas dijudicamus; & Galli, qui Chriſtianiſſimi ſunt, & Eccleſiæ Romanæ primogeniti, manu mancipii publici (ſic carnificem appellant) igni mandant quoscunque libros, qui docent Reges in temporali rerum gubernatione ſubeſſe eccleſiaſticis Canonibus. "

G. Duæ proſtant verſiones gallicæ Febroniani Operis, quarum una alteri præſtat. Primam procuravit ille quem Jeſuita indicat per verba *Abbé de V****. Non novi hominem, proinde de ejus qualitatibus & merito nihil dicam. Ex hujus Præfatione pag. 6. Jeſuita refert pauca hæc: *l'Auteur a eu en vue la réunion des Proteſtans, & moi je déſire & n'eſpere*

pas, que ſes vues ſoient remplies. Sed quare ille reticuit, quæ ibidem ſequuntur: *mais ce que je crois pouvoir raiſonablement me promettre, c'eſt que cet ouvrage ſolide & lumineux ouvrira les yeux aux Theologiens ultramontains; qu'ils voudrons bien examiner de plus près leurs opinions, qu'ils verront, qu'ils entendent mal les véritables intérêts de la Cour de Rome.* Primus hic translator varia Auctoris prætermiſit, alia mutavit, alia de ſuo ſupplévit. Conſtat hæc verſio, anno 1766. edita, duobus tomulis in 8. Huic multò præfertur alia, à quodam membro Academiæ Burdigalenſis anno 1767. procurata, tribus conſtans tomulis. Hæc verſio omnino litteralis eſt, ſuum autographum pede tam preſſo ſequens, ut ne verbum videatur immutatum; nec ulla allegatio prætermiſſa.

H. Rectè ait Jeſuita, non per ſimplicem lectionem principiorum à Febronio traditorum, ſed ab eorundem executione, Proteſtantium reditum ſperari poſſe. At fabulam narrat, quando addit, omnes illas Eccleſias, à quibus hæc principia recipiuntur, Sedi Apoſtolicæ pro perpetuo abreptas eſſe. Non ideo Anglia, Dania, Suecia, magna Germaniæ pars, à Sede Apoſtolica abreptæ ſunt, quia noluerunt Romæ ſolvere annatas, cauſas ſuas eccleſiaſticas eò judicandas deferre; beneficiorum ſuorum collationem illi permittere, jus epiſcopale ordinarium ſeu concurrens in ſuis diœceſibus eidem agnoſcere &c. ſed quia hi populi, Romani Primatûs exceſſu atque abuſu omninò pertæſi, cum cortice ejus ſubſtantiam abjecerunt, & his alia veræ fidei contraria miſcuerunt. Non propterea Gallia à vera fide defecit, quòd Quatuor Articulos, qui Romam adeo pupugerunt, anno 1682. ſanciret. Sed neque Venetia, quæ hodie plus quàm dimidiam partem principiorum Febronii in uſum redegit, ideo veram religionem deſeret. De aliis regnis & provinciis Catholicis,

Digitized by Google

tholicis, quæ quotidie excedentem Pontificis poteſtatem minuunt, & id faciendo benè agunt, nihil memoro.

I. Cùm Jeſuita hìc æque parvam, aut veriùs nullam, de Papæ atque de Proteſtantium converſione nobis ſpem faciat, malus utique augur eſt, ipſe, quem videbimus infrà Art. II. Lit c. ſuſtinentem, Romanam Curiam inde à triginta, à viginti, à decem, imò à duobus annis, multùm ſe emendâſſe, plures extravagantes prætenſiones dimittendo, & adhuc ulteriorum moderationum ſpem facere. Liceat mihi hac in parte cum S. Bernardo de Sede Romanâ favorabiliùs augurari, quandoquidem ille Epiſt. 180. ita ſcribit: *Hoc ſolet habere præcipuum Apoſtolica Sedes, ut non pigeat revocare quod à ſe fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur præſertim apud ſanctam & ſummam Sedem.* Quòd ſi tamen de *ſolâ Curialiſtarum ſpontaneâ propenſione in bonum emendationis* & politicæ temperantiæ quæſtio foret, diffiderem utique cum noſtro Jeſuitâ de optato ſucceſſu; verùm vel ideo Febronius ſui Operis Cap. IX. media compulſiva, eáque efficacia, ſuggeſſit, quibus moderatio exceſſûs & ſublatio abuſûm in exercitio Primatûs obtineatur; & per conſequens auferatur, quidquid ſaluberrimo & ſanctiſſimo Primatui odioſi adjectum eſt.

K. 1.) Diſſidium Luſitaniæ à Romana Curia plenè probat atque firmat argumenta & reliqua aſſerta noſtræ Epiſtolæ *de Subtractione obedientiæ.* Per novem integros annos ſtetit & proſperè ſtetit Eccleſia Luſitaniæ ſine exteriore relatione Regis & ſubditorum ejus ad Romanum Pontificem & ejus Curiam, attamen ſalvo ſemper reſpectu illius perſonæ debito, & recognito in eodem chriſtianæ unionis nexu atque centro. Vide eâ de re Regis Epiſtolam ad Clementem XIII. de 5.

Ee 2 Decemb.

Decemb. 1767. in Floribus ſparſis Theodori à Palude *Cap. IX.* §. 5. Produxit hæc ſubtractio egregium illud Opus Antonii Pereira Presbyteri Ulyſipponenſis *de Poteſtate Epiſcoporum in publicis impedimentis matrimonii, & abſolutione à caſibus Pontifici reſervatis, impedito ad Sedem Romanam recurſu;* in quo ſolidè demonſtratur, nihil jure divino Papæ eſſe reſervatum ex iis, quæ in quavis diœceſi ad curam & gubernationem ſpiritualem ovium neceſſaria ſunt. Quibus conditionibus Luſitania Romæ conciliata ſit, Publico necdum innotuit. 2.) Reges Galliæ & utriusque Siciliæ anno 1768. propter abuſum pontificiæ authoritatis, fundatum in Decretalibus Iſidori, in Dictatu Gregorii VII., & in Bulla Cœnæ, à Clemente XIII, factum, terras Ecclefiæ Romanæ occupârunt: agitur nunc de reconciliatione inter memoratos Monarchas nec non Regem Hiſpaniæ ex unâ, & Clementem Papam XIV. ex alterâ parte. Sed certè non fiet nova hæc concordia retentis ac ſubſiſtentibus Ultramontanorum principiis, in Brevi apoſtolico de 30. Januarii 1768. adversùs Ducem Parmæ & ejus Conſilium uſurpatis. De cætero his abolitis, æquum eſt, ut omnia in priorem ſtatum reponantur. 3.) Si Roma non convertatur conſiliis & perſuaſionibus Febronii, uti Jeſuita prophetizat, convertetur nunc enarratis mediis detractionis obedientiæ, invaſionis terrarum ſui patrimonii, & aliis mollioribus ab eodem Auctore recenſitis. Sereniſſima Reſp. Veneta inde à paucis annis invenit congrua media, circa judicia Eccleſiaſtica, rem Beneficiariam, Regularium immunitatem &c., remotis Curialiſtarum abuſibus omnia reponendi in juſtum ac primævum ſtatum; atque ea proſperè ad executionem deduxit ſine magno ſtrepitu, & ſine ullo ſanctæ Religionis noſtræ detrimento. 4.) Si jam nominati Reges ac Principes Clementi XIII. tan-

tanquam centro eccleſiaſticæ unionis adhæſerunt, licèt durioribus mediis utendum putaverint ad ejus Curiam caſtigandam, atque ad corrigenda non toleranda illius placita; multò id magis facient Epiſcopi, absque quòd per hoc retrahantur Præſules Galliæ à principiis ſuæ Eccleſiæ, utcunque Romæ diſplicentibus; absque quòd iidem & aliarum Nationum Epiſcopi per hanc adhæſionem impediantur ab executione antiquorum & genuinorum Canonum, ſepoſitis novellis Conſtitutionibus, Brevibus, Bullis, Diſpenſationibus. Præſtabunt autem illud, quantùm eos Dominus pro bono ſuarum Eccleſiarum inſpiraverit, & quantùm à Sæculari poteſtate ex politicis cauſis non fuerint impediti; etenim, uti alibi obſervatum, ſæculares Principes in hæc ſuum habent non levem influxum, vel ideo etiam, ut in eodem regno vel provinciâ habeatur diſciplinæ uniformitas.

L. A calumniâ inexcuſabilis eſt, quisquis audet Febronio ſuſpicionem movère prædicati *indifferentiſmi*. Hoc nemo hactenus auſus eſt præter hunc Jeſuitam. Videatur locus Defenſoris Febronii ab eo allegatus; tranquillâ mente expendantur illius verba, & tota ſermonis ejus ſeries; addatur Auctor ipſe *Tom. I. Cap. VIII.* §. 8. *n.* 17. Quomodo Indifferentiſmi aut Deiſmi ſtudioſus credi poterit, qui toto ſtudio in id incumbit, ut omne obſtaculum removeat, quo arceantur indifferentes ab amplectendâ Religione Catholicâ, quam ille, ipſo non diffitente adverſario, adversùs Magiſtrum Bahrdt tanquam ſolam veram defendit. Hoc ille voluit, in converſione Acatholicorum nihil præcipitandum eſſe, non utendum nunc in finem ferro & igne, omnia agenda cum ſuavitate & ordine; primùm removenda odia, ſcandala, nimietates, &c.

Digitized by Google

II.

JESUITA.

Febronius Curiæ Romanæ plura ſiniſtrè & per calumniam imponit.

4. 5. a) Primò ille aſſerit, exceſſum Pontificiæ authoritatis fuiſſe primarium motivum ſeparationis Proteſtantium; cùm tamen hæc omnium minima fuerit cauſa ſchismatis. Quamvis enim omnis Papæ poteſtas everteretur, ſubſiſterent nihilominùs articuli ſubſtantiales Proteſtantiſmi. His Febronius non reſpondet niſi informi compendio eorum, quæ à Bellarmino, Becano, Boſſueto, & Scheffmachero jam antè dicta fuerant.

17. 18. b) Dicit *Cap. VI.* § 15. Reformationem Eccleſiæ à Curiâ Romanâ nunquam non fuiſſe impeditam, cùm tamen, ſibímet contradicendo, *ibid. n.* 5. aſſerat, poſt obitum Alexandri PP. VI. Cardinales conclave intrantes juramento ſe obſtrinxiſſe ad reformandam per eum, qui Pontifex eligendus eſſet, Eccleſiam.

c) Alias ſimiles contradictiones in odium Romanæ Curiæ depromit. Sic 1.) hanc Curiam *genium propriæ reformationis*
17. *oſorem in Tridentinâ Synodo manifeſtâſſe* aſſerit Tom. I. pag. 503; cùm tamen ipſomet pag. 473. teſte, delecti à Paulo III. pro reformationis conſilio Cardinales & Prælati edixerint: *Non putemus nobis licere diſpenſare in legibus eccleſiaſticis, niſi urgenti de cauſâ & neceſſariâ . . . . Non licere Pontifici in uſu poteſtatis clavium lucrum aliquod captare &c.*
18. 2.) Eodem Tom. I pag. 482 dicit, Pontificem *ſummâ injuriâ in Eccleſiam agere, nec poſſe ſalvare animam ſuam.* Idem pag. 484. *Videmus, mores minùs laudabiles ab ipſo Pontifice*

Digitized by Google

tifice probari; quando Clementem PP. XIII. in Appendice III. pag. 75. vocat *ſanctiſſimum, piiſſimum.* 3.) Indulgentiæ, inquit pag. 483. *conceduntur ſine diſcretione aut canonico motivo, cum manifeſtâ infractione pœnitentialis diſciplinæ:* cùm nihilominùs in Appendice IV. p. 112. agnoſcat, in his per Tridentinum reformationem eſſe factam. 4.) Tom. ibid.
I. p. 61. *Epiſcoporum poteſtatem in Tridentino non ſolùm non auctam* aſſerit, *ſed ex eâ multum eſſe delibatum;* quando pag. 19.
141. non diffitetur, *per hoc Concilium Epiſcoporum juriſdictionem quaſi poſtliminio reſtitutam eſſe.* Denique 5.) pag 519. ait, ſe cum Natali Alexandro *ſummi Pontificis Primatum, non honoris tantùm, ſed poteſtatis & authoritatis, immediatè à Chriſto ſuper omnes Eccleſias particulares inſtitutum & acceptum profiteri;* dum ſibi contradicens, pag 297. ex contrario ſuſtinet, *Romano Pontifici non competere juriſdictionem propriè talem in omnes Eccleſias.* ibid.

d) Febronius impugnat tanquam ſentimenta generalia quasdam ſingulares opiniones, hodie ab omnibus ſanioribus Theologis rejectas; imputat Romanis, quaſi facerent Pontificium Primatum conſiſtere in iis, in quibus nec ullus quidem Ultramontanorum eum defigit. 25.

e) Si verum eſſet, hominum cœcitatem monſtruoſas adeo aſſertiones aliquando produxiſſe, quales eæ ſunt, quas ille in Præfatione Tomi primi Romanis objicit, major foret cœcitas, eas in ſæculo tam lucido, quale noſtrum eſt, cum emphaſi delineare in libro, in quo *modernus* Eccleſiæ ſtatus deſcribi prætenditur. 27.

f) Prætenſiones Curiæ Romanæ ſuper temporalia Regum dudum ceſſàrunt; nihil hodie hâc in parte moderatius Romanis Pontificibus. Quare ſine fructu Brevia Clementis XIII. in negotio Parmenſi, ab adverſario in ſuum librum tranſcripta 35. 37. ſeqq. 48.

Digitized by Google

ſcripta fuère Clemens XIV. per diſſimulationem Bullæ Cœnæ omnem videtur abjeciſſe umbram animi volentis attingere temporalia Principum. Nihil moderatius Curiâ Romanâ ſub regnis Caroli VII., Franciſci I., Joſephi II. Impp.

32. g) Exemptiones Regularium inter abuſus ſequioris ævi ille numerat, quas jamtum probârunt Concilium Arelatenſe anni 455. & bina Carthaginenſia annorum 525. & 534.

50. h) Crudele bellum Regularibus, maximè Jeſuitis, indicit eo tempore, quo Collegium Cardinalium Religioſum in Papam eligit, & magni Regis filia ſe facit Monialem.

32. i) Annatas Simoniam ſapere prætendit, cùm tamen eas S. Thomas, & alii celeberrimi Theologi omni noxâ vacare
24. exiſtiment. In eâdem materiâ in Præfatione Tomi II. adversùs Romanos refert peramplum locum ex Petri de Marca Libro VI. Cap. 12. n. 10.; ſed ſilet, quod idem Ill. Præſul ibid. n. 6. ſuſtinet, nimirum: „ Neceſſe eſt, ut „ univerſi pedibus eant in eam ſententiam, ob rationem, „ quam redditurus ſum, quæ eſt maximi momenti. Immanis quippe & horrenda confuſio turbaret Eccleſiam, ſi „ omnes iſtæ promotiones forent Simoniacæ.

14. k) Nonnulli Deputati Germaniæ ad Conſtantienſe Concilium *avaritiam*, *ambitionem*, & *ſimoniam* incuſantes, easdem appellant *horrendiores*, quàm ſchismatis tunc exterminati, *deformitates*. Per hæc Febronius Tom. II. p. 624. intelligit *Annatas*, *Reſervationes &c.* Vellem, inquit Jeſuita, ſcire, ex quo Dictionario ille hunc commentarium hauſerit.

52. l) Non poterit Febronius juſtam dare explicationem textûs Iſaiæ Cap. XLII. ℣. 8., quem epiſtolæ ſuæ de Subtractione obedientiæ ſubjecit, quémque Romanæ Sedi applicare velle videtur.

FEBRO-

Digitized by Google

FEBRONIUS.

A. 1.) Perſtat aſſertio, exceſſum Pontificiæ authoritatis eſſe, ſicut primariam cauſam ſeparationis Proteſtantium, ita & maximum obſtaculum reunionis. a) Hoc jam prævidit, & in Concilio Baſileenſi prædixit ejusdem Concilii Præſes Card. Julianus, cùm Papa Eugenius ſe authoritati hujus Synodi ſubtrahere tentabat: *Si Concilium*, inquit, *cederet*, *nihil dicere poſſemus*, *niſi quòd actum eſſet de Chriſtianâ Religione*; *& Principes*, *qui nunc favent Papæ*, *ESSENT CAUSA*, *quòd Papæ eſſent in futuro peſſimi.* b) Prædictionem probavit eventus; ex quo enim Eugenius IV. ſe & Curiam papalem reformationi univerſalis Synodi ſubmittere detrectavit, & huic dominari prætendit, adeóque Concilium ſub ſpecie translationis, nullâ factâ reformatione, abrupit, evenit, quod ait Boſſuetus Lib. X. Cap. 6. *Hæc qui legent*, *divina judicia contremiſcant*, *tótque reformationes impias*, *ſequente ſæculo ex inferis proditas*, *neglectæ reformationis ultrices cogitet.* Qualiter inde à Viennenſi Concilio anni 1311. usque ad Tridentinum an. 1563. incluſivè, Romani Pontifices ſemper ſub obtentu authoritatis à nulla humana poteſtate dependentis, reformationem ſuæ Curiæ declinaverint, & *inde tandem* graviſſima ruptura, omnem Romanam poteſtatem penitùs abjiciens, ſæculo XVI. evenerit, latè deducit, & ex coævis monumentis demonſtrat Febronius *Cap. VI.* §. 15. c) Rectè ſcripſit anno 1535. Orthvinus Gratius Profeſſor Colonienſis in Epiſtolâ ad Lectorem Faſciculo rerum expetendarum ac fugiendarum ſubnexâ fol. CCXL. *Cardinalis Juliani admonitionem Chriſtianam ſi Eugenius acceptâſſet*, *ac Baſileam* (*utì ſpoponderat*) *adveniſſet*, *aut populares hi tumultus modò non eſſent*, *aut à ſanctis illic patribus jam diu fuiſſent*

conſopiti, noſtráque univerſalis Eccleſia, inter Syrtim nunc & Charybdim, haud ita periclitaretur. Et poſteà: *Audivi ſæpenumero à doctiſſimis viris, omníque virtute prælitis, HOC SOLUM (id quod ego neque dicere, neque affirmare ſum auſus) OMNIUM MALORUM ESSE SEMINARIUM; ſummum videlicet Pontificem Concilio univerſali obedire non velle. Quod an ita ſit, ab Ænea Sylvio atque ab aliis abundè ſatis dictum opinor.* d) Delecti anno 1536. à Paulo III. Cardinales ac Prælati ad aviſandum de mediis reformandi Eccleſiam, dixerunt cordatè Pontifici: *PRINCIPIUM horum malorum* (gravium ſcilicet in Eccleſia abuſuum, atque ex iis ortæ diviſionis) *INDE FUISSE, quòd nonnulli Pontifices, prurientes auribus, coacervaverunt ſibi magiſtros ad deſideria ſua ... qui docerent, Pontificem eſſe dominum beneficiorum omnium &c.* e) In convocatione Concilii Tridentini poſita erat ſpes Principum ſæcularium reuniendi Proteſtantes; ſed hanc iterum perdidit exceſſus poteſtatis à Romanis prætenſæ, ab Eccleſia non agnitæ. Adveniunt Tridenti Legati Electoris Saxoniæ, qui primum inter Proteſtantes locum tenebat, petentes, ut ad normam Concilii Baſileenſis declararetur authoritas Concilii ſupra Pontificem; ad hoc à Legatis Pontificiis Concilii Præſidibus reſponſum: *Pontificem contrarium declaràſſe, nec fieri poſſe, ut tertius in terrâ ſupremus judex inter ipſum & Concilium inveniretur.* Pallavicinus Lib. XII. Cap. 15. Atque ita ſpes reunionis evanuit. f) Ad Concilium Tridentinum præcipuè (nec tamen minùs ad quædam alia ei anteriora) pertinet, quod ſcripſit unus ex præcipuis (ſi pietatem & eruditionem ſpectes) ejus Patribus, Dominicus Soto in IV. Sentent. Diſt. 20. Quæſt. 1. Art. 4. *Nihil hic dicere molimur de illâ moleſtâ lite, utrùm Concilium ſit ſupra Papam; QUÆ CAUSA EST, ut nunquam Concilia*

eo

eo candore feliciter celebrentur, quo antiquitùs. g) Rex Ludovicus XIV. quatuor articulos Cleri Gallicani an. 1682. in legem regni erigens, *ſibi pollicetur, futurum, ut Miniſtris Reformatæ religionis omnis per hoc prætextus adimatur, quo illi Caput Eccleſiæ viſibile ejúsque authoritatem Principibus exoſam gravémque reddere laborant.* Hâc occaſione Ludovicus Maimburgus Lib. de Inſtit. & privileg. Romanæ Eccleſiæ. Epiſt. ad Regem ait, „ propoſitiones Pariſienſes eò „ ſpectare, ut circumſcriptâ minutâque Pontificis Romani „ poteſtate, Proteſtantibus odioſâ, tantò iſti faciliùs ad „ Catholicam verámque Religionem perducantur; ſicque „ ſperari poſſe, ſchisma ceſſaturum, *ſublatis ejus cauſis.*" Si pium hunc finem Rex plenè aſſecutus non eſt, Romanis id Pontificibus magnâ ex parte adſcribendum, qui totis viribus adversùs hanc legem pugnârunt & adhucdum pugnant, prætendentes & ſibi arrogantes poteſtatem, quam eis Gallia in memoratis articulis negat. 2.) Ex his monumentis evincitur, exceſſum Pontificiæ poteſtatis eſſe *principium* & *cauſam* ſeceſsûs Proteſtantium ab antiquâ verâque Eccleſiâ, atque ùt refert Orthvinus Gratius *ſolum ſeminarium* omnium malorum, quæ inde ſecuta ſunt. Itaque redeatur utrimque circa primarium hunc articulum, à quo multi alii dependent, ad punctum, à quo primùm diſceſſum eſt; videtur autem (ſi omnia combinemus) hunc terminalem lapidem primus moviſſe Iſidorus Mercator, quem alii deinde identidem volvendo longiùs abigerunt. 3.) Dixit Febronius, ſe in revolvendo eodem lapide ad juſtum terminum laborare, & *in eo* operam ſuam Eccleſiæ locare pro reducendis Proteſtantibus; ad alios articulos, qui hos fortè minùs tenaciter ſuis altaribus ligant, deſcendere non fuit ei animus, moderatorum Theologorum ſollicitudini illos volens relinquere. Attamen,

men, cùm à Lipſienſi Magiſtro Bahrdt librum ſuum ſpeciali Diſſertatione (quâ ei omnes articulos ſubſtantiales Proteſtantiſmi breviſſimè & ferè per ſolam indicationem objecit) oppugnatum cerneret, eidem vel Febronius ipſe, vel alius ejus loco, reſpondendum cenſuit: certè *in Compendio*, ſcilicet ne manus major fieret corpore. Diffuſo opere ei reſpondere, idem fuiſſet, ac triobolari libello noſtri adverſarii opponere volumen ingens. An autem hoc Compendium, habitâ ratione objecti, loci & aliarum circumſtantiarum, *informe* ſit, ùt prætendit Jeſuita, de hoc judicent æquiores.

B. Dixit ſanè Febronius *Cap. VI.* §. 15. & luculenter monſtravit, Eccleſiæ reformationem inde à tempore Concilii generalis Viennenſis ad noſtra usque tempora per Romanam Curiam continuò fuiſſe impeditam. Objicit Jeſuita, ex eodem §. 15. *n.* 5. ſaltem poſt obitum Alexandri VI. anno 1505. Cardinales pro eligendo ſucceſſore in conclavi congregatos jurejurando ſe obligâſſe ad reformandam per eum, qui Pontifex eligeretur, Eccleſiam in generali Concilio, intra biennium convocando. Sed ſilet vir doloſus, qui pro iis ſolùm ſcripſiſſe videtur, qui Febronium nunquam viſuri ſunt, quæ mox ſequuntur, ſcilicet: *Verùm, tam ab electo novo Pontifice Julio II., quàm ejus ſucceſſore Leone X., minimè impletum fuit ſolemne hoc promiſſum Deo factum.*

C. Sequamur Jeſuitam in aliis imaginariis, aut veriùs ab eo ſtudioſè confictis contradictionibus. Undique dignoſcetur vir malæ fidei & tortuoſi ingenii. 1.) De Conſilio reformandæ Eccleſiæ Paulo III. à delectis eum in finem Cardinalibus & Prælatis optimâ mente dato, ſic loquitur Auctor *cit.* §. 5. *Verùm etiam hæc ſaluberrima monita & conſilia, à domeſticis iisque fidiſſimis Conſiliariis profecta, ne tum quidem, cum hæreſes*

reſes jam latè graſſarentur, *audita ſunt.* Anne hæc pugnant cum eo, quod alibi dicitur, Romanam Curiam genium propriæ reformationis oſorem etiam in Concilio Tridentino manifeſtâſſe; id quod præter ea, quæ ipſe Auctor noſter in hanc rem retulit, ulteriùs probatum exiſtit à Daniele Bertono in refutatione Epiſtolarum Italicarum P. Viatoris à Cocaleo *Tit. V.* §. 3. 2) S. Bernardus Epiſt. 280. Eugenium Papam *ſanctiſſimum* vocat; in proloquio Librorum de Conſideratione, *beatiſſimum;* ibid. Lib. II. Cap. I. *virum optimum;* & tamen in iisdem libris ei objicit varios eósque graves ſuæ Curiæ nævos, quorum nonnullos nos infrà recenſebimus, eum Lib. III. Cap. 2. n. 7. Lib. IV. Cap. 2. n. 5. ſub interminatione divini judicii obteſtans, ut illos reformet; quod nec ipſe Eugenius nec alius ſucceſſorum ejus in hunc usque diem præſtitit. Nulla in his contradictio. Cæterùm Marcellus PP. II. jam dixerat, *ſe non videre*, *quomodo*, *qui locum hunc altiſſimum tenent*, *ſalvari poſſint.* 3.) Repoſuerat Magiſtro Bahrdt Lutherano Aulus Jordanus in *Appendice IV. pag.* 112. contra Indulgentias ritè explicatas, & ſalvâ diſciplinâ conceſſas, neminem poſſe habere aliquid fundati; ſucceſſiſſe quidem circa eas abuſus graves, ſed reformationem fuiſſe factam per Tridentinum. Citat hunc in finem *Seſſ. XXI. Cap* 9. item *Seſſ. XXV. in Decreto de Indulgentiis.* Primo horum locorum abrogantur Quæſtores, per quos olim indulgentiæ publicabantur & diſtribuebantur: Altero *S. Synodus in concedendis indulgentiis moderationem juxta veterem & probatam in Eccleſia conſuetudinem adhiberi cupit*, *ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur.* Equidem Roma ſecundum horum Decretorum non ſervat; nimiâ in concedendis indulgentiis facilitate pœnitentialem veteris Eccleſiæ diſciplinam enervans; verùm

Digitized by Google

hoc minimè obſtat, quominùs Acatholico omni jure a Catholico dicatur, Eccleſiam ab hac culpâ vacare, eámque in univerſali Synodo congregatam, neceſſariam feciſſe reformationem circa Indulgentias in Scriptura & Hiſtoria Eccleſiaſtica fundatas. 4.) Si fidelis in recenſendo eſſet Jeſuita, appareret, nec umbram contrarietatis eſſe in eo, quod de Epiſcoporum jurisdictione, per Tridentinum reſpectivè reſtitutâ & imminutâ, tradit Febronius. Etenim primùm *Tom. I. pag.* 61. ſimpliciter refert hæc verba Thuani, in ſe veriſſima: *Epiſcoporum poteſtas* in Concilio Trid. *non ſolùm non aucta*, *ſed ex ea multum delibatum eſt: cùm ea poteſtas*, *quæ ipſorum propria eſt*, *& ex Dei inſtituto iis attributa*, *iis tanquam à Sede Apoſtolica delegatis concedatur.* Hæc ferè *univerſim* de Epiſcoporum jurisdictione imminutâ. Poſtquam deinde Auctor *pag.* 141. de exceſſu poteſtatis Legatorum in medio ævo tractaſſet, ſic proſequitur: „ Tandem per Concilia, „ Conſtantienſe & Baſileenſe, potiſſimùm verò per Tridentinum *Seſſ. XXIV. Cap.* 20. quodammodò reſtricta eſt exceſſiva Legatorum authoritas, & Epiſcoporum jurisdictio „ quaſi poſtliminio reſtituta; ita ut ſub pœnâ nullitatis „ omnes cauſæ in primâ inſtantiâ coram Epiſcopis tractandæ ſint, nec detur niſi à definitivis eorum ſententiis appellatio. " Hoc *ad ſpeciem* pertinet, prius *generale* eſt. 5) Quod de Rom. Pontificis ſeu ſumma authoritate, ſeu ſuprema jurisdictione, fictione plus quàm infelici, contradictionem in Febronio arguit Jeſuita, hoc ille pluribus locis dilucidè explicavit, ſignanter *Tom. I. pag.* 147. ubi: „ Quod multi in Papâ *Jurisdictionem* vocant, nos *Authoritatem* dicimus. Quis rectiùs loquatur, judicent peritiores. Fortè de re convenimus, ſicque inutilis eſſet de „ voce concertatio. Saltem nos cum Tridentino loquimur, „ quod

„ quod quoties de primariis Apoſtolicæ Sedis in Eccleſiâ „ juribus agit, ſemper *authoritatis*, nunquam *juriſdictionis* „ vocabulo utitur." His adde *Tomum II. pag.* 318. ubi Joannes à Calore adhuc diſtinctiùs hàc ſuper materiâ ſe explicat.

D. 1.) Dicíne poſſunt ſentimenta *ſingularia*, quæ ſupremum Romæ tribunal, Rota, continuâ ſerie per integrum ſæculum; quæ ſuccedentes ſibi noſtrâ ætate Secretarii Congregationis Concilii, Proſper Fagnanus, Proſper Lambertinus, Vincentius Cardinalis Petra; quæ primarii Urbis JCti, quorum Opera reliquis omnibus non privatis tantùm, ſed ipſis etiam Curiæ Judiciis & Congregationibus, regula ſunt & cynoſura, jam laudatus Fagnanus, Cardinalis de Luca &c., quin & ipſe ſummus Pontifex Benedictus XIV., cùm jam in ſupremâ cathedrâ ſederet, nemine Curialiſtarum reclamante, conformiter tradiderunt, & adhuc tradunt? 2.) Ait Jeſuita, illorum ſententias ab omnibus ſanioribus Theologis hodie rejici. Videat imprimis ille, num Romani in hoc conſentiant; dein per hoc ipſum eorum ſententias reprobare dignoſcitur, atque in hoc aliquam laudem meretur. Licèt autem Romani in his non faciant conſiſtere Primatum, prætendunt nihilominùs, ſibi ea omnia jure Primatûs competere. Itaque laborent nobiſcum Jeſuitae (ſi tamen omnes cum noſtro Critico ſentiant) ut pro ſublatione ingentis ſcandali, quod Curialiſtae per ſuas conformes doctrinas Acatholicis praebent, eosdem ad abjicienda penitus pro *theoriâ* & pro *praxi* haec noxia Juris Eccleſiaſtici & regiminis ſacri principia deponant. 3.) Sincerus reſpectus debetur primo Chriſti Vicario & Cathedrae S. Petri. Aſt quo veneranda magis eſt haec auctoritas, eo ampliùs cavendum, ne quis illius occaſione inducatur in errorem. Non minùs haec Cathedra

Digitized by Google

thedra dehonoratur per aſſertiones & praetenſiones, quas ei jam nominati Urbis Primores tribuunt, quàm per illos, qui legitimæ ejusdem poteſtati ſe ſubmittere recuſant. Reſiſtentia, quam decretis RR. Pontificum, ſpiritui & præceptis ſanctæ Sedis ſubinde adverſantibus, objicere tenemur, fundatur in nota illa S. Leonis diſtinctione inter *Sedem* & *Sedentem*. Quis audebit dicere tot ſanctorum virorum facta atque ſcripta, qui per ſingula ſæcula ſe ſe actis Romanæ Curiæ oppoſuiſſe leguntur, ſanctæ Sedi fuiſſe injurioſa 4.) Juſtæ hujus reſiſtentiæ caſus & exempla in immenſum creverunt, ex quo in prima Chriſtianitatis Sede ſæcularis Curia formata eſt, omnibus ſæcularium aularum defectibus ac vitiis ſtipata. Hæc Curia conſtat ingenti numero Tribunalium, Officialium, Miniſtrorum, Aulicorum, qui ſub ſpecie & prætextu ſervandæ auctoritatis ſummæ Sedis reipſa laborant, ut Papam conſtituant abſolutum Monarcham, non in ſpiritualibus ſolùm, ſed etiam in temporalibus. Ab eo tempore Epiſcopi, Reges & Principes ſæpe ſe viderunt obligatos ad reſiſtendum huic Curiæ, imò ad recurrendam adversùs illam ad media quandoque extrema. 5.) His fruſtra opponet noſter Lojolæ diſcipulus, ea tempora nunc mutata eſſe: Etenim quanquam Roma hodie rariùs audeat tam apertè magnos tentare aut ferire ictus, ſollicitè nihilominus ſua ſervat principia, quæ illorum olim fuerunt, & adhuc ſunt, fons atque radix, datáque opportunitate illis utitur, quantùm valet.

E. 1.) Hic agnoſcitur *monſtruoſitas* placitorum, queis Romani orbem Catholicum regere prætendunt, ſimul & *cæcitas* hominum, qui ſe his politicis praeceptis ſubderent; atque adeo ea minimè convenire ſaeculo tam lucido, quale noſtrum eſt. 2.) Qui *modernum* Romanae Eccleſiae ſtatum deſcri-

deſcribere ſuſcipit, ille eum haud dubiè ex noviſſimi & decurrentis ſæculi doctrinis atque uſibus deſumet atque judicabit. Hoc certè (quantum ad Romam) ſummâ fidelitate fecit Febronius, non ſuis verbis, ſed *Tomo I. pag.* 214. *ſeqq.* verbis Deciſionum Rotæ, Fagnani, Card. de Luca, Benedicti PP. XIV. *Tom. II. pag.* 398. *ſeqq* verbis Cardinalis Vincentii Petra; itidem *eod. Tom. II. pag.* 93. *& ſeq.* dicti Papæ Benedicti & Cardinalis de Luca. Quæ hac in parte Romanis in Præfatione Tomi primi objecta ſunt, quaeque Jeſuita ipſe monſtruoſa fatetur, ea præmemoratis conformia eſſe, quicunque aperto libro & inſpectis fontibus nullo negotio diſpiciet. Oſtendat autem Criticus noſter vel unum *ſcriptorem Romanum*, qui communibus his doctrinis contradixerit; exhibeat, ſi vir eſt, monumentum, quo *aliquis Pontificum* hujus aut poſtremi ſæculi eadem principia ſeu verbo ſeu facto negaverit.

F. 1.) An Acatholicis (de quorum reunione hic agitur) perſuadebitur, Pontifices omnem animum, omnes prætenſiones ad temporalia Regum atque regnorum depoſuiſſe, quando noſtrâ ætate vident eos Collegio Electorali negantes jus in numerum Electorum alium Principem ſine ſuo placito aſſumendi; quando intelligunt eos prætendere jus confirmandi neo-electum Imperatorem; quando legunt à Clemente XI. Electori Brandenburgico Duci Boruſſiæ contradici jus ſumendi nomen & inſignia Regis; quando Benedictus XIII. novum officium Gregorio VII. condit & Breviario Romano inſerit, in quo attentata ab illo atque perfecta Henrici IV. Imp. depoſitio tanquam magnum ac præcellens Pontificis Sancti factum præconizatur & univerſali Eccleſiæ proponitur; quando anno 1768. Regi Chriſtianiſſimo neceſſarium viſum fuit aulis omnium Catholicorum Principum

Digitized by Google

quod *Tomo II. Febroniano pag.* 330. legitur, nempe: „ Le „ Pape vient de renouveller à l'occaſion des édits publiés „ à Parme pour reprimer les abus des immunités eccleſia- „ ſtiques, les anciens excés des pretentions ultramontaines, „ dont on n'avoit point d'exemple depuis l'excommunica- „ tion lancée, il y a plus de deux ſiécles, par Clement VII. „ contre Henri VIII. Roi d'Angleterre, & depuis cette „ époque par Sixte V. contre Henri III. Roi de France, & „ contre Henri Roi de Navarre, & par Paul V. contre le „ Doge & la Republique de Veniſe. &c. " 2.) His conſideratis minimè ſuperfluum aut inutile fuit eidem *Tomo II. pag.* 447. *ſeqq.* inſeri memoratum Parmenſe Edictum, Breve Clementis XIII. illud caſſans, nec non Epiſtolas Regum eâ de re ad Pontificem exaratas; nimirum ut prudens lector, ponderatis in utramque partem allegatis, de juſtitiâ hujus cauſæ illuſtris (cujus exitum Europa ſuſpenſa ac attonita exſpectat) interim modeſtè judicet; fortè ejusdem deciſio Romanam reddet impoſterum circumſpectiorem. 3.) Memorabilis eſt epocha, quam hìc Jeſuita figit ad aſſerendam converſionem Curiæ circa uſurpationes temporalium, nimirum à regimine Caroli VII. Imp. Videntur illi ad hoc anſam dediſſe ea, quæ de extravagantiis Nuntii in diætâ Francofurtanâ, electionem hujus Imperatoris præcedente anni 1742. *dicto Tomo II. pag.* 351. memorata ſunt. Sed fortè ignorat vir bonus, circumſtantias electionum Franciſci I. & Joſephi II. Impp. Nuntiis Apoſtolicis minùs fuiſſe favorabiles ad easdem Curiæ ſuæ prætenſiones tam apertè renovandas. Interim *Alfenus Vafer omni abjecto inſtrumento artis, clauſâque tabernâ, ſutor erat.* Horat. 4.) Igitur præferenda erit altera epocha optatæ dudum & toties fruſtra expectatæ felicis revolutionis, ſcilicet ab exordio regiminis moderni ſummi

Ponti-

Pontificis Clementis XIV. Ille etenim per ſe ipſum cœpit regere, ſuo, non immutabilis Curiæ, Spiritu. Si Cardinales & ordinarios Miniſtros audiſſet, non omiſiſſet jam à biennio publicationem *Bullæ Cænæ* tot *monſtrorum* matrem, Dictatûs Gregoriani filiam. Dabit ei Dominus in bono propoſito perſeverantiam. Sed quare dixit noſter Jeſuita, & ſpiritu prophetico prædicare auſus eſt, ne ab eo quidem emendationem toties incuſatorum abuſuum exſpectandam eſſe? Ego ſanè de ea minimè deſpero; neque tamen propterea media huic fini convenientia prætermittenda putem: qualia ſunt remonſtrationes ſolidae, imagines vivae eorundem abuſuum, negationes Catholicorum Principum urgentes &c. Ad fortiora, in præſenti adhuc luſtro neceſſaria, qualia ſunt negationes obedientiæ, occupationes temporalium Cameræ Apoſtolicæ, tunc progredi neceſſarium non erit. Sed quare hactenus in Corpore Juris Canonici retinentur *Cap.* 13. *de Judic. Cap.* 13. *Qui filii ſint legitimi. Extrav.* Unam ſanctam. *de Majorit. & obedien. inter Communes.* 5.) Attamen illud prætermittendum minimè venit, cùm de invaſione temporalium quæritur, non in illis ſolùm gravioribus caſibus & negotiis, quæ Theodorus à Palude *Cap. I.* §. 3. recenſet, ſæcularium Principum jura lædi, ſed in multis etiam aliis levioribus, ad quæ attentata reprimenda Procuratorum Regiorum, præſertim in Gallia, officium frequenter evigilâſſe, pluribus locis in Febronii Opere obſervatum eſt.

G. Eæ Regularium Exemptiones, de quibus tam amarè queruntur S. Bernardus, Ivo Carnotenſis, Goffridus Vindocinenſis, Petrus Bleſenſis, Joannes Saresberienſis, Richardus Cantuarienſis, Arnulphus Lexovienſis, Durandus Mimatenſis, Petrus Cardinalis de Alliaco, Alvarus Pelagius,

Digitized by Google

quaeque inde ab horum ætate inſigniter adhuc auctæ fuerunt; quas proinde Febronius non immeritò perſtringit, eæ inquam non probantur à Conciliis Arelatenſi, & duobus Carthaginenſibus à Jeſuita laudatis. Arelatenſe anni 554. expreſsè ſtatuit: *Monaſteria & Monachorum diſciplina ad eum pertineant Epiſcopum, in cujus ſunt territorio conſtituta.* Hanc ex illo legem refert Gratianus Causâ XVIII. Quæſt. 2. Can. 17. Et ſi in vim ac ſequelam hujus conſtitutionis monachi Epiſcopis ſe ſubmittere renuant, ſubminiſtrat auctor Decreti in ſequenti Canone 18. remedium congruum à Papa Paſchali II. propoſitum, his verbis: „ Abbatibus, qui neque ſub Epiſcopo, neque ſub Metropolitano, neque ſub „ Patriarcha ſunt, nullus prorſus Epiſcoporum Epiſcopalia „ quælibet adminiſtret. Cùm enim ſe nulli Epiſcopo „ omnino ſubeſſe profiteantur, conſequens eſt, ut nullus „ Epiſcoporum, quæ ſua ſunt, eis tanquam extraneis „ largitur."

H. 1.) Non indixit Auctor bellum Regularibus, inter quos novit viros ſanctos, doctos, prudentes; neque unquam, inter eos beatè degi poſſe, dubitavit. *Regulares ſimiles eſſe ficubus Jeremiæ, inter quas, quæ bonæ erant, erant bonæ valde, & quæ malæ, malæ valde*, ait Card. Bellarminus de Gemitu columbæ Lib. II. Cap. 6. Syſtema independentiæ impugnavit cum viris primi ordinis, paulò antè nominatis, tanquam Statui publico, Ordini hierarchico adverſum, juris Epiſcopalis à Deo inſtituti læſivum, diſciplinæ Eccleſiaſticæ noxium. Quidſi de ipſiſmet Regularibus exemptis non pauci anhelarent ad ſublationem exemptionum, ſperaturi tunc à propinquioribus ſibi locorum Ordinariis adversùs oppreſſiones dominantium ſuorum Superiorum, ac comploſiones eorum, penes quos eſt monaſteriorum poteſtas, certius

promptiùs-

promptiúſque auxilium, quàm Romæ apud Papam, ſuóſque Generales Ordinum &c. 2.) Quòd autem eâ occaſione de Jeſuitarum Ordine nonnulla ſive pro exemplo, ſive aliàs ſingulatim, prolata fuerint, id iis haud dubiè de cauſis factum eſt, quæ Reges Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, utriusque Siciliæ moverunt ad hoc Inſtitutum deinceps in ſuis Statibus non tolerandum. Equidem Clemens Papa XIII. per Bullam, quæ incipit *Apoſtolicum* de 7. Jan. 1765. idem Inſtitutum ſummopere laudavit & denuo approbavit; ſed neſcio an per hoc cauſam Jeſuitarum in animis Principum, qui eos paulè antè è ſuis regnis ejecerant, meliorem reddiderit. Sanè hanc Bullam Pariſienſe Parlamentum 11. Februarii ejusd. anni ſuppreſſit, & in regno Galliæ legi aut ſervari prohibuit. Procurator regius Luſitaniæ in ſuo Requiſitoriali pro ejusdem proſcriptione ita diſſerit: „ L'une des fins que „ ſe ſont propoſés ces Religieux (les Jeſuites) en impetrant & „ repandant ce Bref par tout avec affectation, a été de ſemer la „ zizanie de la diſcorde, de la ſedition, & de la revolte, entre „ les Souverains & leurs Sujets, ſe ſervant, pour y reuſſir, „ de leur obeiſſance envers l'Egliſe & envers le S. Siege, „ & écartant toujours avec ſoin de l'eſprit des ſimples, *la* „ *difference eſſentielle qu'il y a entre le Chef viſible de l'Egliſe,* „ *& le S. Siege d'une part*, qui meritent veritablement no- „ tre amour & notre ſoumiſſion: & *le ſouverain temporel &* „ *la Cour de Rome d'autre part*, dont l'ambition demeſurée, „ la politique peu chretienne, la cupidité outrée &c. ne nous „ font que trop ſouvent gemir ſur la Capitale du Monde „ Chretien, ſans neanmoins alterer les ſentimens d'eſtime „ & de veneration, qui ſont dus aux hommes reſpectables „ en tous genres, qu'elle renferme dans tous les tems, & „ qui partagent notre douleur ſur les égaremens de ſon Mi-

Digitized by Google

„ niſtére." Hic iterum exhibetur neceſſaria illa diſtinctio inter *Sedem* & *Curiam* Romanam, de qua ſuprà aliquid tactum eſt.

I. Annatas ſimoniam olere, dixêre Patres Concilii Baſileenſis Seſſione duodecimâ, quæ Seſſio ab Eugenio Papa agnita eſt. Hoc aliquoties allegatum legitur in *Tomo II. Febr. pag.* 364. 491. & 601. Neque tamen hanc quæſtionem *de vitio Simoniæ* Annatis adhærente (de quâ pro & contra à Theologis & à Canoniſtis diſputatur) ſive in eodem ſive in primo Tomo ex profeſſo tractatam video. Fuſiùs de eâ egit Petrus de Marca *Lib. VI. Cap.* 12. ubi *n.* 4. ait, *annatas ab epiſcopatibus exactas liberari quidem poſſe à crimine Simoniæ, ſed non à vitio avaritiæ.* Altera eáque gravior atque practica quæſtio eſt, An annatæ *titulo ſubventionis* exigi queant. Hanc tractavit Theodorus à Palude in *Floribus ſparſis ad Febr. Cap. VII.* §. 4., & ad eam quoque pertinet diffuſior ille locus Archiep. Pariſienſis, præfationi *Tomi II. Febr.* inſertus, de quo Jeſuita loquitur, quémque is, ſummâ falſitate, ait ad affricandum annatis *Simoniæ vitium* ab Editore hujus Tomi ſecundi productum fuiſſe. Omnia illa nudè agunt de *titulo ſubſidii*, qui adeo à liberâ voluntate Nationum dependet, ut idem de Marca *loc. cit. n.* 12. & 13. rectè affirmet, eo titulo Pontificem nihil exigere poſſe abſque conſenſu Regis & Eccleſiæ Gallicanæ, liberúmque eſſe Regi atque Epiſcopis conſenſum ſuum revocare, atque huic tributo finem imponere. Cæterùm ùt dixi nullibi Febronius aut ejus defenſores auctoritate Petri de Marca uſi ſunt, ad probandum annatas eſſe *Simoniacas*. Interim allegat Jeſuita (vir bonus ille ſit, an malus, alii judicent) hoc pro exemplo, quo, ait, Febronius pro ſuâ ſententiâ allegat Catholicos auctores, qui contra ipſum totis viribus pugnant; & hoc, addit,

Digitized by Google

addit, exemplum eſt *è millibus* unum; attamen nullum aliud refert.

K. Occaſione Proteſtationis Nationis Germanicæ, factæ in Concilio Conſtantienſi contra electionem Papæ reformationi præmittendam, cujus pars *Tomo II. Febr. pag.* 623. inſerta conſpicitur, quærit Jeſuita, in quo Dictionario inveniatur, *Annatas* & *Reſervationes* vocari *avaritiam* & *ambitionem.* Reſpondeo, in eo Dictionario, quo uſa eſt Germanica Natio ad deferenda dicto Concilio & latino ſermone explicanda ſua gravamina. Dicit etenim: „ inde à centum „ quinquaginta annis nonnulli ſummi Pontifices, cum ſuâ „ Romanâ Curiâ ad ea, quæ quæſtûs ac lucri pecuniarum „ venativa fuerunt, intendentes, aliarum Eccleſiarum jura „ omnibus ingeniis & cautelis invaſerunt; nunc generales, „ nunc ſpeciales, aut aliis modis excogitando reſervationes „ Eccleſiarum . . . . beneficiorum . . . . Annatas ſive ſervitia „ communia, majora & minora . . . . extorquendo . . . . & „ demum tantum aurum congregando, ut quidam ex eis „ ſuos parentes, fratres, ſorores, & conſangvineos ditan- „ do, etiam usque ad faſtigia principatuum terrenorum „ eos contenderent exaltare. &c. " Credo ſanè, quod his Annatæ & Reſervationes ſat apertè dicantur, ſicut ex una parte filiæ, ita ex altera parte cauſa & occaſio ulterioris avaritiæ atque ambitionis; ſic enim in ſuâ Proteſtatione proſequitur inclyta Natio: *Ex quibus, & ſpecialiter propter non continuationem ſacrorum Conciliorum reformativorum in præmiſſis, avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, ambitio eccleſiaſticarum dignitatum, hæreſis & Simonia, & periculoſiſſima ſchismata, faſtúsque & pompæ ſurrexerunt.* In fine additur, hæc *ampliùs, quàm ſchisma nunc exterminatum, horrenda eſſe.*

L. Aut,

L. Aut, inquit Jeſuita, locus Iſaiæ: *Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus*, non poteſt applicari materiæ ſeu objecto, aut à Febronio accipitur in ſenſu, quem ipſe non audebit aperire. Etiam in hoc ſatisfaciendum viro curioſo, tentatori. Hoc verbo Prophetæ clauditur Auctoris Epiſtola *de Subtractione obedientiæ*. In hac referuntur caſus, quibus ex unâ parte exigitur obedientia, ex alterâ parte negatur. Primariò, & quoad univerſalitatem cauſarum, competit hoc jus ſubtractionis Regibus, Principibus, Rebuspublicis, Nationibus. His ſua gloria cordi eſt & eſſe debet; hanc illi neque dant, neque dare poſſunt iis, qui cæcam ſubmiſſionem & obedientiam exigentes, *monſtruoſa* (uti noſter Jeſuita loquitur, ſeu *abominanda*, ut dicit Hadrianus VI. Papa apud Raynaldum *ad annum* 1552. *n.* 70.) id eſt, talia imperant, qualia tum in memoratâ epiſtolâ, tum in Præfatione Tomi primi deſcribuntur, ideoque poteſtatem, quam non dedit Dominus, ſed ſculpſerunt homines, affectant.

III.

JESUITA.

Alia ſiniſtra Febronii aſſerta recenſentur.

pag. 25. a) Aſſerit ſe divum Bernardum ſequi, cùm tamen hic ſanctus Doctor totum ejus ſyſtema evertat, talibus erga Sanctam Sedem & de poteſtate Pontificis utens expreſſionibus, quæ hodie etiam in Ultramontanis carperentur.

13. 15. 49 b) Suſtinendo, abuſus Curiæ Romanæ eſſe ſchiſmate deteriores, ſchiſma Proteſtantium plenè juſtificat; cùm tamen ipſe

Digitized by Google

ipſe Tom. I. Append. 2. pag. 24. fateatur, *ſcindendæ unionis nullam dari juſtam excuſationem.* Hanc ille doctrinam prædicare non deſinit; neque tamen abinde ulla Provincia eapropter à Romanâ communione diſceſſit.

c) Dicit incertum eſſe, an textus Matthæi Cap. XVI. ℣. 18. *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, de alio quàm *de Chriſto ipſo* intelligendus ſit. Hæc interpretatio Proteſtantibus multùm arridet. 30.

d) Suſtinet, nomen *Matris* Eccleſiæ Catholicæ aliis Apoſtolicis Eccleſiis, quæ in Oriente ac Paleſtinâ coaluerunt, potiori jure deberi, quàm Romanæ. 47.

e) Reprobat uſum, pro extraordinariis diſpenſationibus Romam recurrendi; cùm tamen eum omnes Canoniſtæ, etiam Galli, approbent. 33.

f) Febronii reflexiones ſuper Decretales Iſidori veniunt aſſimilandæ ſpeculationibus Neutonianorum, qui omnia, quæ in cœlo & in terrâ ſunt, attractioni tribuunt. 51.

g) Ille adversùs Romanam Curiam producit *centum* Auctores, Proteſtantes, aut in Eccleſiâ Catholicâ ſuſpectos. Ex his maximam partem ſui Operis compoſuit. Inter eos Claudius Fleury etiam numerandus venit. 22. 48. 49.

h) Certum eſt, Paulum Sarpium fuiſſe de Sectâ Proteſtantium; etſi habitum religioſum non depoſuerit. Reſp. Veneta hujus viri genium non novit, quo tempore ejus operâ utebatur; pòſt eum deteſtata eſt. 22. 41.

i) Dixit Febronius: *Date Jeſuitis exercitium continuum cum nervo belli* (non intelligo hanc latinitatem) *& habebimus perpetuos Phinees & Macchabæos, qui converti nolent, excindentur ferro, cremabuntur rogis, Principes terræ Proteſtantes exuentur imperio.* Comparat obſtinatorum hæreticorum 11. 47.

conſtantiam & fortitudinem in defendendis ſuis erroribus virtuti atque zelo Macchabæorum & Phineæ &c.

55. k) Denique Febronius purioris latii ſermonis non ſat ſtudioſum ſe probat. Plures in ejus Opere occurrunt galliciſmi, aliqua etiam vitia contra regulas Grammaticæ. De cætero
50. 51. vaſtam in citando eruditionem affectat, ſæpe inſipidam atque inutilem.

FEBRONIUS.

A. Ego ſanè in ſcriptis divi Bernardi (quanquam vir Sanctus non potuerit non obſcuri ſui ſæculi doctrinis de plenitudine Pontificiæ poteſtatis tinctus fuiſſe) invenio lineamenta & compendium totius ferè Febroniani ſyſtematis. Etenim 1.) ſuſtinet *Lib. III. de Conſiderat. Cap.* 4. *n.* 17. jura Epiſcoporum non minùs immediatè à Deo eſſe, quàm quæcunque jura Pontificis, adeóque huic non licere quidquam ex illis aut minuere aut detrahere, non ſuis Eccleſias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos, quos poſuerunt patres. 2.) Illum non eſſe dominum Epiſcoporum, ſed quaſi unum ex ipſis. *Lib. IV. de Conſid. Cap.* 7. *n.* 23. 3.) Eundem non dici ſummum *conſummatione*, quaſi in eo omnia conſummentur, ſed *comparatione* ad alios Epiſcopos. *Lib. II. Cap.* 7. *n.* 14. 4.) Appellationes ad Romanam Curiam, tum ſicuti nunc in quibuscunque cauſis recipi ſolitas, multùm damnat, tam in *Lib. III. de Conſid. Cap.* 2., quàm in *Epiſt.* 178. *& ſeqq.* 5) Diſpenſationes ſine causâ, hodie tam frequentes, *crudeles diſſipationes* vocat, exigens, ad hoc, ut legitima ſit diſpenſatio, cauſam vel neceſſitatis, vel utilitatis, non privatæ, ſed publicæ. *cit. Lib. III. Cap.* 4 *n.* 18. 6.) In *Epiſtola* 238. *ad Eugenium Papam* queritur de captura auri & argenti

ex

ex uſu clavium, cui Romæ ſtudetur, in omnibus cauſis & negotiis quæ illuc deferuntur, exceptis ſolis indulgentiis, & iis rebus, quæ ad Pœnitentiariam pertinent. 7.) Inter reliqua diffuſior eſt & zelum verè Apoſtolicum ſpirat, quando in *Tract. de Moribus & officio Epiſcop. Cap. IX.* nec non *de Conſider. Lib. III. Cap.* 4. *per tot.* univerſales Regularium exemptiones damnat. 8.) De aſſumpto à Pontificibus dominatu in ſpiritualibus *Lib. II. Cap.* 6. ita diſſerit: „ Eſto ut aliâ quacunque ratione hoc tibi vindices, ſed non „ apoſtolico jure; nec ille (Petrus) tibi dare quod non habuit, potuit; quod habuit, hoc dedit: *ſollicitudinem*, „ ùt dixi, ſuper Eccleſias. Numquid *dominationem?* Audi „ ipſum: *Non dominantes*, inquit, *in Clero*, *ſed forma facti* „ *gregis.* Et ne dictum ſolâ *humilitate* putes, non etiam „ *veritate*, vox Domini eſt in Evangelio, *Reges gentium* „ *dominantur eorum.*" 9) Illud *Lib. IV. Cap.* 2. *n.* 5. ſincerè dolet, quòd omnis Eccleſiaſticus zelus pro ſolâ dignitate tuendâ Romæ ferveat. Denique 10.) *eod. Cap.* 2. *n.* 3. aſſerit, his & ſimilibus abuſibus atque vitiis fruſtra conſuetudinem obtendi. Sed poſteriora ſex ſæcula, quæ ætatem divi Bernardi usque huc ſecuta ſunt, novos nec minùs graves abuſus adjecerunt; hi ſi ſuo tempore viguiſſent, haud dubiè ſanctus Pater (qui in Epiſtola ſua 238. ad Eugenium Papam tam avidè deſiderabat, *antequam moreretur*, *videre Eccleſiam Dei*, *ſicut in diebus antiquis*) hunc ſpiritualem filium pro eorundem reformatione, non minùs ſeriò adhortaturus fuiſſet; ſiquidem ita videns Eccleſiam, non vidiſſet in ea annatas, jura pallii, reſervationes &c.

B. 1.) Abuſus Romanæ Curiæ eſſe ſchismate horrendiores, dixit Natio Germanica in Concilio Conſtantienſi apud Harduinum *Tom. VIII. col.* 853. Ideò verò illi magis quàm

 ſchisma

Digitized by Google

ſchisma ipſum deteſtandi ſunt, quia cauſa utriusque ſchismatis, tam in Oriente, quàm in Occidente, fuerunt. Vide dicta ſuperiùs *Art. II. Lit. A.* Adde etiam *Tom. I. Febr. Cap. VI.* §. 15. item *Tom. II. pag.* 554. 2.) Attamen per hoc ſchisma Proteſtantium nullatenus defenditur. Qui à malefacto alterius ſumit anſam & occaſionem peccandi, per hoc non juſtificatur. Hâc ratione, hócque fine Febronius dixit, & pluries inſinuavit, *ſcindendæ unionis nullam dari juſtam excuſationem.* Vide ejus tradita *Cap. VIII.* §. 8. *n.* 8. 9. *& ſeqq.* præſertim *n.* 14. 3.) Quando Auctor ſuſtinet, cauſas, per quas ſchisma enatum eſt, hodiéque nutritur, æquè, imò magis, deteſtandas eſſe, quàm ſchisma ipſum, inſimul ſollicitè cavet cum Ill. Boſſueto, *ne*, qui hæc legunt, *hominum peccata ſanctæ Sedi & Eccleſiæ imputent. ſed divina judicia contremiſcant, tótque reformationes impias, ſeriùs ex inferis proditas, neglectæ reformationis ultrices cogitent.* Hæc qui intelligit, & ita ſentit, Catholicam Religionem eapropter non deſeret.

C. De loco Matthæi XVI. ℣. 18. tres eſſe (vel omnino quatuor) SS. Patrum & Eccleſiaſticorum Commentatorum ſententias & interpretationes, omnibus notum eſt. Eas indicavit Febronius *Cap. I.* §. 2. Inter illos, qui per verba, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, Chriſtum ipſum ſignificari arbitrantur, Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. pag.* 374. recenſet S. Hieronymum, S. Auguſtinum, Theodoretum, Ven. Bedam, Rabanum Maurum, S. Anſelmum, Petrum Lombardum, Joannem Saresberienſem, Cœleſtinum III. Pont max. Innocentium PP. III. S. Thomam &c. Itaque verum manet, incertum eſſe, an per memorata Evangeliſtæ verba alius præter Chriſtum intelligatur. Quæ, etſi vera

Digitized by Google

vera ſint, ſi Proteſtantibus arrideant, haud approbare, Jeſuitarum eſt, non reunire volentium.

D. *Multarum* Eccleſiarum Roma mater eſt; qui dixerit *omnes* ab illà prognatas eſſe, Hiſtoriam ſibi adverſantem ſentiet. Idem eveniet illi, qui Romanam Eccleſiam eo ſenſu aliarum matrem voluerit aſſerere, quaſi origine & tempore reliquis omnibus fuiſſet anterior. In hoc poſteriore ſenſu Patres Concilii generalis Conſtantinopolitani I. & Juſtinus Imperator nomen matris & matricis *omnium* Eccleſiarum Hieroſolymitanæ jure tribuerunt. *Tom. I. Febron. pag.* 182.

E. Diſtortè, poſſem dicere vel imperitè vel malitioſè, à Jeſuita referuntur, quæ ab Auctore juſto ordine, legali modo & bono fine in materia Diſpenſationum prolata ſunt. 1.) Docet Febronius, nihil eorum, quæ ad Paſtoralem Epiſcoporum curam pertinent, jure divino ſummo Pontifici reſervatum eſſe. *Tom. I. Cap. V.* §. 3. *n.* 3. *Cap. VII.* §. 6. *Tom. II. pag.* 255. 257. 315. 594. 2.) Qualiter nonnulla ſeriùs ex Epiſcoporum conſenſu, atque uſu, propter rationabiles cauſas ac bonum in finem ad primam Sedem delata fuerint, traditur *Tom. I. Cap. V.* §. 5. *n.* 4. item *Tom. II. p.* 432. 3.) Quòd autem Roma hac diſpenſandi facultate & reſervatione contra Canones & in detrimentum Eccleſiaſticæ diſciplinæ triplici modo abutatur, ſcilicet diſpenſando ſine legitimâ cauſâ, ſine debitâ informatione, & non gratis, perhibetur *Tom. I. Cap. V.* §. 5. *n.* 8. *ſeqq. Cap. VI.* §. 13. *n.* 12. *Cap. VIII.* §. 4. *n.* 5. & §. 8. *n.* 12., dein *Tom. II. pag.* 62. 64. 119. & 120. 4.) Propter hos continuos Romanarum diſpenſationum abuſus optat Auctor *Cap. V.* §. 5. *n.* 7. cum piiſſimo Gerſone, ut non concedatur per univerſalem Eccleſiam Papæ poteſtas diſpenſandi in ſtatutis generalium Conciliorum, „ quia conſtat (ſic ait lau-

Digitized by Google

„ datus Cancellarius Pariſienſis) quòd pro majori parte facta
„ & ordinata in quatuor generalibus Conciliis principali-
„ bus & aliis Conciliis ſtatuta tam per Papæ reſervationes,
„ quàm per iniquas Cameræ Apoſtolicæ conſtitutiones, &
„ Cancellariæ Regulas, & ambitioſas diſpenſationes, ab-
„ ſolutiones, indulgentias ſint ferè immutata, & quaſi in
„ deriſum & oblivionem poſita." Neſcio, an, non eò quoque collimârit intentio Caroli Cardinalis à Lotharingia, ſub exitum Tridentinæ Synodi deſiderantis, ut Diſciplina Eccleſiæ reduceretur ad terminos quatuor primorum Generalium Conciliorum; quandoquidem talis reductio planè inutilis futura fuiſſet, ſi Papæ eadem, quæ hodie, facultas & libertas diſpenſandi relinqueretur. Denique 5) Auctor noſter *Tom. II. pag.* 599. & 606. ait, Epiſcopos, etiam rebus ac juribus, prout nunc ſunt, ſtantibus, interveniente aliquo impedimento quominùs Romam recurri valeat, in omnibus caſibus & impedimentis juris humani ex legitimâ causâ diſpenſare poſſe. Hæc de Romanis diſpenſationibus à Febronio tradita ſunt, & nihil ultra; ea (quidquid Jeſuita obganniat) à nullo erudito Gallo, aut cordato Germano improbanda confido.

F. Aërem verberat comparatio, quam Jeſuita inſtituit inter falſas Iſidori Decretales & Neutonianas attractiones. Non inanibus verbis & ludicro ſermone, ſed documentis pugnandum eſt in re ſeriâ, quæ ad decorem Domûs Dei & gloriam Sponſæ Chriſti pertinet. Iſidori Mercatoris Epiſtolas decretales, primorum Pontificum nominibus inſcriptas, ſuppoſititias eſſe, hodie omnibus eruditis notum eſt. Qualiter & quibus mediis eæ obſcurioribus ſæculis, licèt quibusdam initio reluctantibus & opponentibus, tandem in Eccleſia receptæ fuerint, deſcribitur *Tom. I. Febr. pag.* 253. 643. 646.

Digitized by Google

646 & 651. Quàm univerſalem, ſimul ac funeſtam illæ in Eccleſiaſticâ Diſciplinâ & Regimine ſacro, poſtquam receptæ fuerant, revolutionem, in hanc usque diem perdurantem, cauſaverint generatim, referunt &. teſtantur Scriptores ſacri, quibus non habemus graviores in Jure ſacro. Hi ſunt Antonius Auguſtinus, Stephanus Baluzius, Natalis Alexander, Petrus Couſtant, Claudius Fleury, Carolus Sebaſt. Berardus, Petrus Gibert, Gregorius Zallwein, Patres Benedictini Congregationis S. Mauri auctores Hiſtoriæ litterariæ Galliæ. Horum teſtimonia proſtant *Tom. I. Febr. pag.* 199. 206. 638. 641. 646. 648. & 659. item *Tom. II. pag.* 104 *ſeqq.* 307. *&c.* Speciatim autem & per ſingula oſtenditur *eod. Tom. II. pag.* 309. *ſeqq.* & *p.* 550., quas revolutiones ac mutationes eædem Epiſtolæ cauſaverint in ſingulis eisque gravioris momenti partibus exterioris Diſciplinæ adversùs ſacratiſſima Conciliorum conſtituta.

G. *Centum*, ait Jeſuita, Scriptores Proteſtantes, aut in Eccleſia Catholica ſuſpectos adversùs Romanam Curiam producit. Quare non dixit *mille*, ſicut ſuprà Art. II. Lit. i. ? non pluris conſtitiſſet unum ſcribere quàm alterum. 2) De Auctoribus Proteſtantibus à Febronio citatis, videri poteſt in ejus Tomo II. pag. 167. Joannes à Colore *in Apologia Febr. Art. I.* De Scriptoribus, ut ille refert, *ſuſpectis in Eccleſia Catholica*, videamus qui illi ſint. Ii, quibus noſter Auctor præ cæteris uſus eſt, ſunt Galli tres: *Joannes Gerſon*, *Benignus Boſſuet*, & *Claudius Fleury*; duo Germani: *Caſparus Barthel*, & *Gregorius Zallwein*; unus Belga: *Zegerus Van Eſpen*; quanquam hoc poſteriore rariùs. Audet ille proferre, tanti meriti viros *in Eccleſia Catholica* ſuſpectos; voluit, opinor, dicere *in Romanâ Curiâ*; in Eccleſiâ enim Catholicâ, aut Eccleſiæ Catholicæ, illi æque parùm

aut

aut minùs ſuſpecti ſunt, quàm quicunque Jeſuitarum tractans de modo & formâ Eccleſiaſtici regiminis. Addidit: *ſuſpectos;* ſed ne in hoc quidem rectè loquitur; *odioſi* poſſunt eſſe Romæ tales Scriptores vera proferentes, non propterea vel ipſis etiam Romanis *ſuſpecti* eſſe aut debent aut poſſunt. Omnia hæc ſerviunt ad fallendos ignaros eorum, quæ in Eccleſiâ & Rep. eccleſiaſticâ litterariâ aguntur & ſcribuntur; aut, ut mitiùs loquar, Viri illi non ſunt aſſueti legendis ſeu ruminandis bonis Scriporibus, quos ſæpe vix nomine noverunt. 3.) Binorum, quos nominavimus, Gallorum & totidem Germanorum Opera Romanorum cenſuram nunquam ſubierunt. Verum eſt, quòd *Eſpenii Jus Eccleſiaſticum Univerſum* & alii ejusdem Doctoris *Tractatus particulares* decreto ſancti Officii de 22. Aprilis an. 1704., publicato Romæ 4. Octobris ejusd. anni, prohibiti fuerint; ſed tam parum Romana hæc cenſura alibi æſtimata eſt, ut quadriennio pòſt eadem Opera Coloniæ cum approbatione Cenſoris ordinarii, datâ 12. Julii an. 1708., & in eadem urbe anno 1729. cum amplo privilegio propriâ manu Caroli VI. Imp. die 24. Maji 1728. ſignato, denuò reimpreſſa fuerint. Taceo tres alias editiones, Rothomagenſem, Venetam & Pariſinam. Cùm Cardinalis de Alſatia Archiep. Mechlinienſis anno 1724. Romam ad Conclave pro electione Benedicti XIII. proficiſcens, Bononiæ cum ejusdem urbis Archiepiſcopo Proſpero Lambertini de Doctorum Lovanienſium merito verba miſceret, & hic eâ occaſione in laudes Eſpenii effunderetur, Cardinalis autem, pro præoccupato ſuo adversùs hunc Lovanienſem Doctorem animo, ejus Libros Romæ confixos eſſe, reponeret, regeſſit Lambertinus expreſſione populari: *Couillonerie que tout cela, couillonerie,* Vita Doct. V. Eſpen an. 1767. Lovanii gallicè

edita

Digitized by Google

edita *pag.* 857. Quare & idem Lambertinus, ſive ante, ſive poſt ſuum Pontificatum non dubitavit in ſuis operibus, maximè in Tractatu de Synodis, frequenter uti auctoritate Lovanienſis noſtri Profeſſoris. Equidem notum eſt, quòd his non obſtantibus Benedictus XIV. Opera Eſpeniana Indici librorum prohibitorum, quem uno ante ſuum obitum anno, ſc. 1747 evulgari fecit, inſeri paſſus ſit; ſed tantum intereſt inter Archiepiſcopum doctum ac cordatum, & inter Papam genium ſuæ Curiæ ſequentem. 4.) Ut omnis Jeſuiticæ fraudi præcludatur via, quâ ſimplicioribus inſinuari prætenditur, ea, quæ nunc Romæ aguntur, & ibidem ab aliquot ſæculis conformiter acta ſunt, non niſi ab hæreticis, aut aliàs ſuſpectis Scriptoribus improbari; mittemus reliqua, retinebimus ſolùm, quæ paulò antè Lit. A. ex divo Bernardo relata ſunt, his addemus, quæ monitores, Romanis minimè ſuſpecti, Hadrianus PP. VI. anno 1522. ſuo in Germaniam Legato Franciſco Cheregato dedit in commiſſis; & quæ anno 1536. delecti à Paulo III. pro negotio reformandæ Eccleſiæ Cardinales ac Prælati, viri præſtantiſſimi, illi denuntiârunt; aliquid ſaltem auditûs & attentionis etiam adhibebimus conformibus Nationum querelis (quæ omnia proferuntur *Tom. I. Febr. Cap. VI.* §. 13. 14. 15.) atque inſuper tranquillo animo reflectemus ad ea, quæ de meliore obſervatione ac executione Concordatorum in Præfatione Tomi II. & alibi prolata ſunt; & ſic univerſum Opus Febronianum exhauſtum putabimus; cætera ad horum confirmationem, & ad refutationem eorum, quæ adversùm hæc ab adverſariis objecta ſunt, potiſſimùm pertinere dignoſcentur.

H. 1.) Dum Jeſuita *certum eſſe* ait, Paulum Sarpium fuiſſe de ſectâ Proteſtantium, injuriam facit viro magno. Fontes, è

Digitized by Google

quibus de ejus fide ac religione judicium deſumere poſſumus, ſunt a) Libri ſat magno numero ab eo conſcripti & typis impreſſi. b) Vita ejus compoſita à Fratre Fulgentio, Sarpii amico intimo, & omnium actionum teſte. c) Propriæ P. Sarpii Epiſtolæ. Demum d) ejusdem actiones. Verùm a) in nullo Operum ejus vel verbum legitur, quo aut *legitima* ſummi Pontificis poteſtas lædatur, aut quæcunque demum hæretica propoſitio ſuſtineatur, vel proferatur ſolùm. b) In Vitâ Sarpii non tantùm nihil legitur, quo Proteſtanticæ religionis vel in minimo argui queat, ſed ex contrario certa Catholicæ fidei, ab eo conſtanter profeſſæ, argumenta undique proſiliunt, ſignanter *pag.* 142. 237. 240. 246. 247. *&c.* c) Equidem ex propriis ejus Epiſtolis intelligimus, qualiter proſperum ſucceſſum rerum & armorum Proteſtantium optaverit; attamen non eo fine ac ſenſu, quo hi fidem Evangelicam prædicabant, ſed unicè tanquam medium, quo faſtus Romanorum deprimi, atque ita vera Religio à ſuperfluis purgata ad primævam puritatem reduci valeat. Equidem ſentiebat diversè in quibusdam ab illis, qui cum exceſſu in iis etiam articulis, quos ne Tridentinum quidem exigit fidem & cultum Catholicum reponunt, ſed neutiquam in ſubſtantialibus. d) Sarpii conſiliis & ſuggeſtionibus debetur reſpectuoſa procedendi ratio, quâ Reſp. Veneta mediis in diſſidiis agebat cum Papâ Paulo V. Unica ejus hæreſis conſiſtebat in zelo pro defenſione patriæ libertatis adversùs injuſtas prætenſiones Romanæ Curiæ. Rebus inter hanc Curiam & Remp. compoſitis, Paulus V. ſolido viri merito juſtitiam, & perſonæ ejus gratiam reddidit. Card. Bellarminus, non obſtantibus gravibus concertationibus cum Sarpio, publico datis, apertè conteſtabatur, ne tum quidem virum pro condigno Romæ æſtimari. Vita

pag.

Digitized by Google

pag. 218. Deceſſit ex hac mortali vita eâdem tranquillitate, eâdem profeſſione fidei, eisdem religioſis diſpoſitionibus, quibus ſemper vixerat. Sex ante obitum diebus ſacroſanctum miſſæ ſacrificium adhuc piè celebravit. 2.) Tantum abeſt, ut ſereniſſima Reſp. Sarpii ingenium, ſeu ante ſeu poſt ejus obitum, deteſtata fuerit, ut ex contrario, ob ſingularia ſervitia illi praeſtita, perenni ejus memoriae ſumptu publico egregium monumentum erigi curaverit; inſcriptionem compoſuit Patricius Venetus Jo. Antonius Venerius, in quâ inter alia elogia, *Deo mirâ pietate*, *religione*, *continentiâ addictus* fuiſſe, legitur. Officium Theologi Statûs Veneti, quod Paulus Sarpius primus ex Ordine Servitarum tam ſtrenuè geſſerat, Ampliſſimus Senatus ex gratitudine eidem Religioſo Ordini ſesqui ferè ſaeculo continuavit; &, quod amplius eſt, ipſae illae ordinationes, quas circa res & perſonas Eccleſiaſticas Venetia inde à noviſſimo triennio publicavit, dicuntur eſſe opus Fratris Pauli, almo Senatui in ſcriptis relictum. 3.) Quantum ad uſum, quem Febronius fecit, ſcriptorum Sarpianorum, de eo videri poteſt Joannes à Calore *in Apolog. Febr. Art. I. n.* 5. Cui & hoc addi poterit, illuſtris Thuani Hiſtoriam à prudentibus Catholicis non ideo minùs dignam fide haberi, quòd geſta Proteſtantium pluries in eâ laudentur.

I. 1.) Sic dixit Auctor brevium Notarum in Criſin P. Zech S. J. *Tom. II. Febr. pag.* 148. „ Date Jeſuitis *exercitum* continuum cum nervo belli, & habebimus perpetuos Phinees & Macchabeos &c." Verum eſt, quòd errore typi poſitum fuerit *exercitium* loco *exercitum*; ſed in Erratis, in fine hujus Tomi pro more poſitis, hoc vitium typographi emendatum eſt, repoſito verbo *exercitum*. Unde neſcio, an hìc malam Jeſuitæ fidem, an ſupinam ejus negligentiam

atque incuriam incuſare debeam. 2.) Primus hic error Jeſuitam in duos alios induxit. a) Putabat obſtinationi hæreticorum tribui, quod de intempeſtivo Zelo Jeſuitarum dicebatur. b) Dixit, ſe his in circumſtantiis neſcire, quid ſit *nervus belli*. Sed hæc ulteriore commentario non egent. 3.) Quòd ſi fortè Jeſuitæ, quæ hic de materiali gladio Phinees dicuntur, duriora eſſe putaverint, quàm ut eorum genio applicari debeant, dabimus huic gladio Sacerdotis ſenſum Spiritualem, quem ei accommodavit S. Auguſtinus *Lib. de Fide & operibus Cap.* 2. dicens: „ Phinees Sacerdos adulteros ſimul inventos ultore ferro transfixit, quod utique „ de degradationibus & excommunicationibus ſignificatum „ eſt faciendum in hoc tempore, cùm in Eccleſiæ diſciplina „ viſibilis gladius fuerit ceſſaturus." Sed & hic gladius non tam facilè educendus eſt; fortè nunquam, quando de excommunicatione aut ſpirituali interdicto totius gentis agitur.

K. 1.) Ut lector non fruſtretur in verbo etiam de iis, quæ circa defectus latinitatis noſtro Auctori à Jeſuita objiciuntur, addam ipſa ejus verba: „ On y voit *detorquerunt* pour *detorſerunt*. *Dedicitæ jurisprudentiæ*, quoique *diſco* ſoit ſans „ ſupin. *Abyſſus* du genre maſculin. *Eſſe informatum*, être „ informé. *Prætenſa autoritas*, autorité prétenduë. *Maxima*, maxime, principe. *Reclamare libertatem*, reclamer „ la liberté. *Continenda Papæ autoritas*, il faut contenir „ l'autorité du Pape. *Curtiſani*, courtiſans. *Prætendit ſe* „ *non teneri*, il prétend n'être pas obligé. *Concilium non* „ *ſine turbine finivit*, non ſans trouble. *Abuſus in & à* „ *Curia Romana exercentur:* cet *in* & *a* eſt inconnu aux „ anciens Romains. *Pontificem dicere facit*, il fait dire au „ Pontife. *Febronio eruditionem recognoſcit*, il reconnoît „ l'erudition de Febronius. *Fecit regiſtrari*, il a fait enregiſtrer.

Digitized by Google

„ giſtrer. *Horrendior*, nouveau comparatif. *Te conjuro*, je „ vous prie, je vous conjure. *Cum profundo reſpectu*, avec „ un profond reſpect. *Suſtinuit*, il a prétendu, ſoutenu." Si tam puerilibus armis in re ſeriâ pugnare vacaret aut liberet, proferam contra Febronii adverſarios ex eorum ſcriptis multo plura & graviora, præſertim ex Epiſtolis italicis P. Viatoris de Cocaleo, cui inter cætera familiare eſt ſcribere *Ego tibi recordor*, pro *tibi in memoriam revoco* &c. Verùm talibus immorari & delectari eſt argumentum boni otii in ſcribente & defectûs ſolidiorum argumentorum. Interim *optimus ille eſt*, *qui minimis urgetur*. Horat. Cui liceat hic addere cum Poëta Philoſopho:

.... Si fortè lepos auſtera canentes
Deficit, *eloquio victi*, *re vincimus ipſâ.*

Conferatur etiam huc ex Decreto Gratiani Canon. 12. & 13. Diſt. XXXVIII. 2.) Quod de frequentiore allegatione Scriptorum omnis ævi memorat & carpit adverſarius, ei reponimus, in materia Dogmatis & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ parum valere ratiocinia & lucubrationes noſtras; hic deſiderari ſtudioſam collectionem eorum, quæ à majoribus noſtris ad nos transmiſſa ſunt.

IV.

JESUITA.

Syſtema Febronii novum, chimæricum & illuſorium eſt.

Novum dixit Sangallo in ipſo Apologetici ſui titulo: *Contro il NUOVO ſiſtema* &c. *Chimæricum* & *illuſorium* prædicat noſter Jeſuita pag. 2. & 3.

Digitized by Google

FEBRONIUS.

Hoc fuit Syſtema Patrum Tridentinorum, & graviſſimorum ejus ævi Theologorum; conſequenter non eſt *novum*: Hoc illi crediderunt eſſe *genuinum*, & in humano ſenſu *unicè idoneum* ad medendum malo ſchismatis: *Illuſorium* illud hucusque reddidit obſtinatio Romanorum qui jam à tot ſæculis, de ſe communi voce conqueſtis, illud adhibere atque tentare noluerunt.

GENTIANUS HERVETUS, qui cum Cardinale S. Crucis (pòſt ſummo Pontifice ſub nomine Pauli IV.) cum non vulgari nominis famâ Concilio Tridentino interfuit, in Oratione de reparandâ Eccleſiaſticorum diſciplinâ, anno 1559. habitâ, impreſsâ Pariſiis anno 1671. poſt Durandi Tractatum de modo generalis Concilii celebrandi, hâc de materiâ ita diſſeruit:

pag. 6. „ Facta ſunt in Concilio Trid. aliquot decreta *de reparandâ Eccleſiaſticâ diſciplinâ*, quæ etſi ſunt quidem præclara, „ non tamen ejusmodi, *ut priſcos illos mores in integrum reſtituant*. Quod quidem ut fiat, *omnino neceſſe* eſſe mihi perſuadeo, ſi jam diu deſiderata ſit veluti poſtliminio inter „ Chriſtianos *reditura concordia*.

pag. 32. „ *Si Romana* quidem *Eccleſia*, quæ eſt omnium Eccleſiarum Magiſtra, in tantis Chriſtianæ Reip. malis *ſe puram & integram conſervâſſet*, in mandandis ſaltem muneribus Eccleſiaſticis intra fines ſuæ diœceſeos, *res tota loco longe meliori ſtetiſſet*. Inde enim auxilii aliquid ſperari potuiſſet, unde „ tanquam ex Metropoli per totum Occidentem ſunt fidei „ Chriſtianæ deductæ coloniæ. *Sed magnum profectò detrimentum ex hoc accepit Eccleſia*. &c.

„ Atque

Digitized by Google

„ Atque *horum* quidem *malorum non minima cauſa eſt* pag. 34.
„ *accepta ferenda nonnullis Pontificii Juris Profeſſoribus*, qui
„ ſummo Pontifici aſſentantes & Cardinalibus, *Papam eſſe Ordinarium omnium Ordinariorum, & nihil non poſſe*, ſemper habent in ore, & Cardinales Regibus æquiparantes, efficiunt, ut regios ſæpè ſument ſpiritus, & ad tolerandos ingentes ſumptus nihil quantumvis adverſum Canonibus, non ſibi licere perſuadeant. Longè certè ſatius eſſet *Pontifici max. à Chriſto traditam* & Conciliis confirmatam *poteſtatem* ita prædicare, ut interea admonerent, eam *non ad Eccleſiæ ruinam*, *ſed ædificationem eſſe convertendam*, & Cardinales, ut intra ſuos limites ſe continerent, & tum demum verè ſe reges eſſe ſcirent, ſi animos regerent, & vehementioribus imperarent perturbationibus, & omnia ſua conſilia eò conferrent, & ipſi rectè ſuis præeſſent parœciis, & Pontifici perſuaderent, ut ne latum quidem ungvem *à VETERIBUS decederet CANONIBUS*, niſi vel ſumma urgeret neceſſitas, vel evidentiſſima alicujus Eccleſiæ utilitas. Quod quidem ut fiat, cùm totius Eccleſiæ, tum vel ipſius Pontificis maximè intereſſe, quis eſt tam cæcus qui non videat?

„ Elapſi jam ſunt centum & quadraginta duo anni, ex quo *in Concilio Conſtantienſi cæptum eſt agi de reformandâ Eccleſiâ in Capite & membris*. Id cum creato Conſtantiæ Martino Pontifice max. *in aliud tempus eſt dilatum*. In *Concilio Baſileenſi* paulò pòſt ſeriò agi cœptum eſt. Sed intercedente Eugenio, & ab eo Ferrariam primùm, deinde Florentiam translato Concilio, cùm Baſileæ Felix eſſet creatus Pontifex max. adversùs Eugenium, ſchisma in Eccleſia exortum effecit, ut Concilium Baſileenſe non ubique approbaretur. Cujus quanquam acta fuerunt valdè laudanda, non ſunt tamen ejusmodi, *ut VETEREM, quod eſt IN PRIMIS NE-*

„ *CESSE*,

„ *CESSE*, *OMNINO reparent diſciplinam.* Mirum eſt autem, „ quòd qui hoc Concilium tantis laudibus extulit Æneas Sylvius, mox creatus Pontifex, & *Pius* appellatus, id improbaverit. Ab eo tempore *uſque ad Tridentinum* (nam de Lateranenſi quid attinet dicere?) nullum fuit Concilium, in „ quo ſit aliquid perfectum, *quod omnium bonorum votis maximè expetitur*, *de ANTIQUIS moribus reſtituendis.* At interea quot ſe partim corroborârunt, partim recentes exortæ ſunt hæreſes, quæ cùm inter ſe in cæteris propemodùm diſſideant, *in hoc quidem maximè conſentiunt*, *quòd Romanam Sedem omnes impugnant*, & ad eam evertendam nullas non adhibent machinas, nullum non movent lapidem. Quorum quidem *falſis dogmatibus cùm facilè reſiſtant Catholici* (quid enim afferunt quod non jam diu abhinc damnatum, & ex orci tenebris ſit rurſus evocatum?) in vituperandis quidem Cleri moribus, & inſectandis Epiſcoporum & Presbyterorum moribus ac vitiis, quod ſuum munus non rectè obeant, ſe fatentur omnino inferiores, ſe enim veris vinci agnoſcunt. Et *inter hæreticos quidem & Catholicos in hoc convenit*, *quòd lapſa ſit Eccleſiaſtica diſciplina*; in eo autem diſceptant, quòd hæretici Hierarchiam omnem & ſacerdotalem ordinem cupiant evertere, *Catholici* autem unitatem conſervantes, *deformatæ Eccleſiæ vicem deplorant*, *& ut ea reformetur*, *omnibus votis Deum obſecrant*; quæ niſi fiant, nolo malè ominari, ſed *vereor*, *ne hic cancer in dies latiùs ſerpat*, cui tollendo nec ferrum nec flamma ſatis fuerit.

„ Si Adrianus quidem ſextus Pontifex max. in primis pius & doctus, tamdiu fuiſſet ſuperſtes, donec *Romanam Curiam malè ubique audientem*, quod quidem in animo habebat, *reformâſſet*, *& impedimenta illa*, *quæ*, *quominùs in Lutherum animadverteretur*, *obſtant*, Centum inquam illa

„ Germa-

„ Germaniæ gravamina, quæ Pontificis Legato in Imperii „ Conventu, quem Diætam vocant, fuêre expoſita, *ſuſtuliſ*- „ *ſet*, pacatam hodie & tranquillam, quantum conjici poteſt, „ haberemus Eccleſiam. Sed dum inter hæreticos & ſeditio- „ ſos homines, qui Eccleſiæ pacem perturbant, ſevera, ùt „ par eſt, ſcribuntur edicta ac decreta, *de moribus verò ultimæ*, „ *imò verò nulla fit quæſtio*, *fit*, *ut ex noſtrorum vitiorum in*- „ *ſectatione* in vulgi aures & animos ſe inſinuantes, & deinde „ ſua perverſa dogmata offerentes, *facilè perſuadeant*. Quo „ fit, ut usque adeo creſcat eorum numerus, ut iis, quorum „ eſt recta & ſincera fides, incipiat jam eſſe formidandus.

„ Apud me quidem non poteſt non magnum habere pon- pag. 39. „ dus illud præclarum Zoſimi Pontificis dictum: Contra ſta- „ tuta Patrum contendere aliquid vel mutare ne hujus quidem „ Sedis poteſt auctoritas. Cui dicto *ſi poſteriores paruiſſent Pon*- „ *tifices*, *in tot fortè calamitates minimè incidiſſemus*. Reſtat „ nunc, ut explicemus, quemadmodum fieri poſſit, ut hic „ Canon hodie tantopere deformatus, veterem quidem, ſed „ jam ita deletam, ut nova cenſenda ſit, formam ſuſcipiat. „ Locus ſanè difficilis. *Sunt* enim *omnia adeo immutata & confuſa*, „ *ut veteris Eccleſiæ faciem vix poſſis agnoſcere*, & timendum eſt, „ ne dum ejus ſordes & ſquallorem vis abſtergere, ad vivum „ nimiùm reſecans, nonnullis dolorem afferas intolerabilem. „ Nec dubito, quin ſint nonnulli, qui ſentiant eſſe ſatius res „ relinquere in eo ſtatu, in quo nunc ſunt, quàm fruſtra la- „ borare, & ea tentare, quæ non poſſunt fieri. Nec me fu- „ git, eſſe plurimos, qui ſi de reparandâ eccleſiaſticâ diſci- „ plinâ ſit ineunda ratio, *ſint potiùs reclamaturi*, ut qui *vel* „ *ſuam imminui potentiam*, *vel de ſuo quæſtu aliquid decedere* „ ægrè ferant. Qui ſunt à nobis rogandi, ut publicæ cauſæ „ Eccleſiæ ſe paulò præbeant æquiores, & ſi nihil afferre poſ-

„ ſint, quo oſtendant, quæ mox dicturi ſumus, non eſſe
„ Chriſtianæ Reip. utilia, non committant, ut omnibus aper-
„ tè ſuam oſtendant avaritiam, dum *privata commoda præpo-*
„ *nunt publicis* in re tam neceſſariâ; & *Eccleſiæ ſalute* ſuam
„ quoque contineri exiſtiment, *quæ culpâ ſuorum miniſtrorum*
„ *in maximum eſt adducta diſcrimen.*

pag. 50. „ Hoc primum quidem ſtatuo eſſe extra omnem contro-
„ verſiam, leges ita eſſe ferendas, ut, quod præclarè alicubi
„ dicit Ariſtoteles, hominis arbitrio & voluntati minimum
„ loci relinquatur. Nam cùm ea ſit natura hominis, ut facilè
„ depravetur, & in pejus mutetur, hoc quoque mali accedit,
„ quòd id, quod ſit exemplo, jure quoque fieri exiſtimant.
„ Quamobrem hoc mihi primum videretur providendum, *ut*
„ *certis legum finibus homines ita contineantur*, *ut extra eos*
„ *omnem ſibi poteſtatem interdictam intelligant.*"

Hæc Hervetus pro reparandâ & reuniendâ Eccleſiâ egregiè dixit, quorum ſumma ſequens eſt: a) Si Roma ſe puram conſervâſſet & integram, res noſtræ loco longè meliore ſtarent; nunc ex illâ magnum profectò detrimentum Eccleſia accepit. b) Horum malorum non minima cauſa illis accepta ferenda eſt, qui ſummis Pontificibus perſuaſerunt Papam eſſe Ordinarium Ordinariorum, & omnia poſſe. c) Satius foret illum monere, traditam à Chriſto Pontifici poteſtatem ad ædificationem eſſe, non ad ruinam Eccleſiæ; & quod à veteribus Canonibus ne latum ungvem debeat recedere. d) Si Pontificibus ſatis perſuaſum fuiſſet præclarum Zoſimi dictum, nempè eos contra ſtatuta Patrum nihil poſſe, in tot fortè calamitates minimè incidiſſemus. e) Aſt nunc omnia immutata & tam confuſa ſunt, ut veterem Eccleſiæ faciem vix valeas agnoſcere. f) Equidem in Conſtantienſi Concilio de reformandâ Eccleſiâ in Capite & membris agi cœptum eſt; verùm hoc negotium à

Mar-

Digitized by Google

Martino PP. V. ruptum fuit, qui illud in aliud tempus diſtulit. g) Baſileenſi Synodo quoque propoſitum erat materiam reformationis ſeriò tractare; ſed & hoc, intercedente Papâ Eugenio, interceptum eſt; ita, ut quæ ibidem acta fuerunt, nondum talia ſint, quæ veterem omnino reparent diſciplinam; id quod neceſſarium in primis eſſet. h) Inde usque ad Tridentinum de antiquis Eccleſiæ moribus reducendis nihil perfectum fuit, licèt hoc omnium bonorum votis maximè expeteretur. i) Interea hæretici, quamquam in cæteris inter ſe ipſos diſcordes, in hoc maximè conveniebant, ut Romanam Sedem conjunctim impugnarent. k) Sed in eo cum illis etiam Catholici conſentiebant, quòd Eccleſiæ diſciplinam prolapſam omnes agnoſcerent. Unde hi deformatæ Eccleſiæ vicem deplorantes, ut ea reformetur, omnibus votis efflagitârunt. Hoc nî fiat, timendum eſt, ne hic cancer in dies latiùs ſerpat. l) Illud eveniſſet, ſi Hadrianus PP. VI. ſuperſtes manſiſſet; ſiquidem ille Romanam Curiam, malè ubique audientem, fuiſſet reformaturus. Per hoc impedimenta quæ obſtabant, quominùs in Lutherum publicâ auctoritate animadverteretur, gravamina ſcilicet Nationis Germanicæ, fuiſſent ſublata, atque ita Germania pacata reddita. m) Cùm verò poſt Hadriani obitum de moribus in Eccleſiâ reformandis vix ulla ampliùs quæſtio eſſet, inde effectum, ut noſtri adverſarii, dominantia in Eccleſia vitia inſectando, ſe in vulgi aures & animos inſinuarent; quâ viâ facile eis fuit perverſa ſua dogmata illi inſimul perſuadere. n) Et licèt poſteà quædam præclara decreta à Tridentinâ Synodo emanaverint, attamen per ea effectum nondum eſt, ut Eccleſiaſtica diſciplina ad priſtinos mores componeretur. Interim hoc ad reducendam inter Chriſtianos concordiam omninò neceſſarium eſt. o) Illud verè dolendum, quòd juſtæ emendationis ſpem præcindat Romanorum reclamatio, futurum, ut

 per

Digitized by Google

illam ſua imminuatur authoritas, vel de ſuo quæſto aliquid decedat. p) Rogari nihilominùs debent, quorum culpâ miniſtrorum Eccleſia in maximum illud, quo eam videmus, diſcrimen deducta eſt, ut privata ſua commoda publicis poſtponant. q) Et quia nunc Tridenti novæ leges Eccleſiæ ferendæ ſunt, ad illud præprimis attendendum erit, ut earundem finibus homines ita conſtringantur, ut extra hos omnem ſibi poteſtatem interdictam intelligant.

Non multùm ab his diſtant, quæ pro tutela veræ fidei & defenſione Eccleſiæ Imperatori Carolo V. de reductione Curiæ Romanæ ejúsque modo ſuggeſſit *MELCHIOR CANUS*, qui non minore, quàm *Hervetus*, gloriâ ſtetit in Tridentino. Carolus, quà Hiſpaniarum Monarcha, antequam cum Papa Clemente VII. ad apertam rupturam deveniret, de re tanti momenti conſuluit Canum, primarium ſui regni atque ævi Theologum, qui cauſam ſummâ maturitate in utramque partem ponderavit. Reſponſum ejus publicavit *Andreas Ficolanus*, illúdque Epiſcopo Magalenſi *Gaſparo de Molina y Oviedo*, ſanctæ Cruciatæ Commiſſario generali, inſcripſit. In eo profundiſſimus ille Theologus ſequentia adversùs bellum Romanum motiva Imperatori expendenda proponit. Hac viâ, ait, 1.) detegentur Patrum infirmitates ſeu nuditates, id quod divina Scriptura abhorret. 2.) Papa ſuo ſenſui & præjudiciis, quibus innutritus eſt, tam firmiter inhærebit, ut ſperari minimè valeat, futurum, ut ab illis abcedat; ita gravis inter eum & Cæſarem orietur colliſio, ex quâ haud leve periculum ſcandali puſillorum, alteratæ ſubmiſſionis Pontifici debitæ, ſchismatis & diviſionis, in ſummâ concuſſionis Eccleſiæ. 3.) Sic in Germaniâ cœptum eſt à negatione obedientiæ, ſub prætextu & ex motivo deſideratæ reformationis ac ſublationis gravaminum; demum autem hoc negotium per plenariam rupturam terminatum eſt. Nimirum Germani ſe erigentes in medicos Romæ, ipſi

Digitized by Google

ipſi ſuam patriam infirmârunt, Romanos autem inſanatos reliquerunt. 4.) Hæretici jactabundè dicent, Catholicos, negando obedientiam, ad eundem cum ipſis finem tendere. Itaque ſi hi illis ſe ſocient, ſeu facto ipſo, ſeu ſpecie tantùm & exteriore habitu, non poterit non grave inde ſcandalum oriri. 5.) Plus aliquando habet diſcriminis tentata curatio, quàm ſit in morbo ipſo. Quisquis tentat ſanare Romam, eam non novit. *Curavimus Babylonem & non eſt ſanata.* Ægrotat illa jam à pluribus ſæculis, non tertianâ ſolùm vel quartanâ, ſed hecticâ.

His rationibus tam in ſpiritu Melchioris Cani, quàm in animo Imperatoris juſtè prævaluerunt ſequentia momenta in laudato Reſponſo Theologico latiùs expoſita: *a*) Rex ſuis ſubditis debet tutelam & protectionem adversùs quemcunque, eorum bona ſeu jura invadentem, aut illis alio modo damna inferentem. Itaque maleſani Theologi opus foret, patri aut tutori, jura filii vel pupilli ſui defendenti, ſcrupulum ſeu dubium movere, ſub prætextu aut allegatione metûs ſcandali inde proventuri. Scandalum hoc ad ſummum phariſaicum eſſet. *b*) Si Princeps hanc juſtam defenſionem tam propriorum jurium, quàm ſubditorum ſuorum, abjiciendam aut negligendam putaret, hoc à prudentioribus non immeritò attribueretur aut damnabili illius incuriæ, aut defectui animi innovationibus Romanæ Curiæ reſiſtendi, quæ per hoc audacior reddita, Eccleſiæ ampliùs nocere non omitteret. *c*) Quantum ab hac Curia hoc ipſo prætextu futuri ſchismatis Eccleſiæ jamtum (præſertim tempore Concilii Tridentini) nocitum fuerit, pluribus perſpectum eſt; putarent Romani, hoc ſub obtentu ſibi licere, quidquid liberet. *d*) Summi momenti res eſt tueri Chriſtianam Religionem, ipſámque Sedem Apoſtolicam ſervare, proin malis, quibus hæc urgetur, mederi. At Roma certius remedium non habet Eccleſiam deſtruendi, aut ſaltem (quod

Digitized by Google

hactenus egit) diſpergendi, & â ſuâ Sede alienandi, quàm illud, quo etiamnum in Eccleſiaſticâ adminiſtratione utitur. Itaque ſi Principes ſub velo pietatis aut religionis negligerent tantas corruptelas reprimere, atque ſacros Canones defendere, eò citiùs certiúsque ſancta Religio noſtra rueret; proinde illi ſe tanti mali participes, & gravis noxæ reos conſtituerent. *c*) Incommoda & mala, quæ ex hac defenſione, & hîc ſuggeſto reſiſtentiæ medio metuuntur, incerta ſunt; damnum econtra, quod illo neglecto exurget, evidens eſt. Porrò imprudentiæ foret, ea, ad quæ quis notoriè obligatur, omittere, metu inconvenientiarum ac malorum, quæ certa ac evidentia non ſunt; maximè ſi prævideatur, ex hac inactione alia eáque graviora incommoda ſecutura, quàm ſint illa, quæ ex actione, fortè in vanum, timentur. His extra Cani Reſponſum, prudentiâ plenum, addi poſſet, experientiâ duorum ſæculorum, quæ ab ævo Melchioris Cani usque huc effluxerunt, doceri, qualiter differentia inter *Dogma* & *Diſciplinam* & utriusque fines omnibus Catholicis hodie perfectè cogniti ſint, & quòd in illis regnis ac provinciis, in quibus diſciplina Pontificiæ poteſtatis ***ad normam verorum Canonum*** (alibi plus, alibi minùs, necdum tamen perfectè) redacta eſt, id ſine minima læſione ſubſtantiæ Religionis, quinimò in verum ejus bonum, factum fuerit.

Igitur *GENTIANUS HERVETUS* tenet, Pontificem monendum, ut ab antiquis Canonibus ne latum ungvem decedat, & veterem diſciplinam omninò reparet. Hoc nî fiat, timendum eſſe, ne cancer hæreſeos latiùs ſerpat. Interim neceſſariæ hujus emendationis ſpem à Româ (quæ horum malorum cauſa eſt) ferè præcindi. *MELCHIOR CANUS:* Romanæ Curiæ certius Religionem deſtruendi remedium non eſſe, quàm ſi ſuis politicis principiis, ſuaeque regendi methodo inſiſtat;

ad

Digitized by Google

ad Canonum & æquitatis limites eam omnibus viribus reduci debere, non attentâ vanâ allegatione eventuri ſchismatis, quâ illa tot jam bona impedivit, & ſchiſma ipſâmet cauſavit. His jungendus *CAROLUS CARD. A LOTHARINGIA*, qui ſub finem Concilii Tridentini, nullo Patrum contradicente, dixit, Eccleſiaſticam Diſciplinam finaliter ad antiquos Canones, præſertim quatuor primarum Synodorum, reducendam & emendandam eſſe. Quarti ex Tridentinis Patribus, *DIDACI DE ALABA*, ſententiam pro reformanda Eccleſia referemus paulò infrà. Quinti, qui eſt *DIDACUS COVARRUVIAS*, de obedientia Pontifici in præjudicium reformationis non exhibenda, doctrinam vidimus ſuprà Art. I. Lit. b. Adde etiam ſextum, *DOMINICUM SOTUM.* Art. II. Lit. a.

His unum adhuc ſubjiciemus, præmiſſis coævum, Antonium *Florebelum*, qui in eleganti Oratione adversùs Lutheranos habitâ (quæ ſub titulo *de Auctoritate Eccleſiæ ad Cardinalem Sadoletum* anno 1554. Lugduni impreſſa eſt) ita differit: „ Aliud eſt ſacroſancta Religionis noſtræ myſteria tollere, aliud „ *corruptos Sacerdotum mores reprehendere*, aliud leges optimas antiquare, aliud eorum vitam, qui legibus minimè pareant, vituperare; aliud denique *Pontificum aliquos Romanorum, qui poteſtate à Chriſto permiſſâ forſitan aliquando abuſi ſunt, factum damnare.* Hæc ſecerni diſtingvíque oportet, quo minimè error objiciatur, ac ne quis, quæ reprehenſione & correctione digna ſint, aut non animadverti à me, aut etiam probari exiſtimet, non faciam, ut ſigillatim enumerem inſtituta, *quæ magnam, neque omninò injuſtam, ſacerdotum ordini invidiam conflaverunt.* Itaque vehementer à Deo optandum eſt, ut *corrigenda Sacerdotum diſciplina, hæc pars reipublicæ Chriſtianæ ægra, convaleſcat;* id quod juvante Deo, bonis adnitentibus, futurum eſſe minimè deſperan-

„ dum

„ dum eſt: *non enim hanc morum & diſciplinæ correptionem ad-* „ *verſarii magis verbo efflagitant, quàm optimus quiſque ex no-* „ *ſtris reverà expetit.*

Finaliter *ſic ipſi Romani Pontifices ſunt diligendi & venerandi, ut non diligantur & venerentur eorum errores:* Ita Andreas Epiſcopus Magorenſis de Gubernaculo Conciliorum Part. II. Cap. 4. apud Von der Hardt in Actis Concilii Conſtant. Tom. VI. pag. 332.

CONCLUSIO.

Tres jam Jeſuitæ Febronium impugnaverant, Joſephus Kleiner, Franc. Xaverius Zech, & Franciſcus Antonius Zaccaria; quilibet ſuo modo: primus ùt Theologus, alter ùt Canoniſta, tertius ùt Hiſtoricus. Singulis reſponſum eſt. Adeſt nunc quartus, qui diverſâ à prioribus pugnandi methodo utitur. Nulla huic cura Sanctorum Patrum, nulla ſacrorum Canonum, nulla Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; diſputat merè ex ſuo ingenio & judicio Jeſuitico, frequentibus ſophiſmatibus ſuffulto. An vel in uno puncto laudem boni Critici tueatur, judicent prudentiores. Non videtur vir ille conſumpſiſſe dies ſuos ſeveriore ſtudio eccleſiaſtico, ſed ſe ſuæ Societati commendâſſe genuino ſpiritu ſui Ordinis, ingenio callido, fortè etiam externorum negotiorum geſtione ſubinde felici, atque his mediis quandam inter ſuos ſibi conciliâſſe auctoritatem. Aſt talium non eſt tractare materias, quæ ſolers ſtudium Conciliorum & Diſciplinæ primi ac medii ævi deſiderant.

Auctor Notarum criticarum in P. Zech *Tom. II. Febr. pag.* 148. ſcripſerat, ad opus magnum *Reunionis* ineptam fore operam Jeſuitarum. Hoc admodùm diſplicet noſtro, qui *pag.* 6, 7. replicat, *ferè omnes Proteſtantes*, qui ad Eccleſiam Catholi-

Digitized by Google

tholicam redierunt, per Jeſuitas converſos fuiſſe. Magnum ſanè numerum complectitur illud *ferè omnes*; poterimus, credo, citra omne periculum erroris aut injuſtitiæ ab hoc calculo eò plus detrahere, quòd hunc Jeſuitam ſuperlativo & hyperbolicis expreſſionibus delectari jam aliquoties obſervaverimus, quæ methodus multis lectoribus juſtam ingerit diffidentiam. Quidquid ſit: non agitur hìc de *Converſione ſingulorum*, ſed de *Reunione Proteſtantium* cum Catholicis; & ad hoc poſterius opus cenſeo cum Auctore dictarum Notarum, Jeſuitas fore minùs idoneos miniſtros. In eodem opere ſaluberrimo (cujus optatum ſucceſſum adverſarius noſter *pag.* 2. non eſſe impoſſibilem agnoſcit) ipſe *ibid.* refert, magnum Boſſuetum Epiſcopum Meldenſem, primarium illud lumen Eccleſiæ ſæculi XVII. laborâſſe, ejúsque in eandem rem ſcripta Tomo I. Operum poſthumorum proſtare; quod & pro parte verum eſt.

Boſſueti (qui præ quovis alio artem regendi animos, penetrandi in vias conciliationis eísque fine præjudicio veritatis inſerviendi noverat) primum maximúmque principium fuit, nihil poſtulare à Proteſtantibus ultra debitum & neceſſarium. Hunc in finem compoſuit aureum illum libellum, cui titulus *Expoſitio doctrinæ Catholicæ*, ubi (quod rei caput eſt) tantâ moderatione de ſummi Pontificis authoritate loquitur, ut, quantum in ipſo erat, omnes difficultates removeret, quibus oves perditas laborare, atque à primo Paſtore alienari intelligebat. Hic liber gallicè primùm anno 1671. editus, deinde in lingvam latinam, germanicam, anglicanam, hibernicam, belgicam & italicam verſus fuit. Italica editio anno 1678. Romæ procurata eſt typis Congregationis de Propagandâ fide, ejúsque Congre-

gationis Cardinalibus inſcripta, cum ſummâ Operis commendatione, nec non approbatione Magiſtri ſacri palatii. Neque hìc ſtitum eſt; ſummus Pontifex Innocentius XI. ſpeciali Brevi die 12. Julii an. 1679. ad auctorem dato, & editioni ejusdem anni præfixo, librum approbavit, miríſque laudibus exaltavit, tanquam aptum *ad hæreticos in viam ſalutis reducendos; lubenti animo confirmans uberes laudes*, *quæ* auctori *de præclaro opere meritò tribuuntur, & ſuſceptas ſpes copioſi fructus exinde in Eccleſiam profecturi &c.* „ Hæc videntes Proteſtantes, *innumera-* „ *biles eorum* ad unitatem redierunt, & redire porrò pergunt: „ adeò neceſſarium erat, in omnibus articulis, *tum in hoc maxi-* „ *mè, quam hæretici omnium invidioſiſſimè proponebant*, id „ clarè doceri, quod Eccleſia Catholica ùt neceſſarium pariter „ ac ſufficiens poſtularet. Hoc enim facto Catholicam do- „ ctrinam ex omni parte ſplendentem, nullo faſtu turgidam, „ ubique moderatam, atque inter prærupta & extrema tutò „ incedentem, agnitam dilexerunt, eíque adhæſerunt." Ita refert & teſtatur Boſſuetus ipſe *in Defenſione Declarationis Cleri Gall. Part. I. Lib. III. Cap.* 12.

Porrò in memorata Expoſitione, vera de Sede Apoſtolicâ Catholicæ Eccleſiæ fides *Art. XXI.* ab illuſtriſſimo Antiſtite in hoc ſolo defigitur: nempe *Eccleſiam unitate nixam*, *tuendæ ac firmandæ unitati primatum S. Petri à Chriſto inſtitutum, Sedémque Apoſtolicam hujus unitatis centrum ac radicem eſſe, ac propterea Petri ſucceſſoribus DEBERI OBEDIENTIAM EAM, QUAM CONCILIA AC PATRES SEMPER AGNOVERUNT.* Et tum: *Quod attinet ad ea, de quibus in ſcholis variæ ſunt ac diſceptantes ſententiæ: etſi Miniſtri reformatæ religionis ea Eccleſiæ imputare ſolent, ut Pontificiæ poteſtati invidiam conflent*

ſlent, nihil attinet hic commemorari, cùm de fide Catholica non ſint; ſufficit agnoſcere Caput à Deo inſtitutum ad gregem univerſum in via Domini gubernandum. Quod ſic à Meldenſi Præſule refertur, per ſobriam hanc doctrinam & genuinam fidei explanationem, *innumerabiles* ad ſacra Catholica rediiſſe, huic ego, & fortè plures alii, majorem fidem adhibebunt, quàm adverſario noſtro paulo antè narranti, *ferè omnes* Proteſtantes, qui ad Eccleſiam Catholicam reverſi ſunt, per Jeſuitas converſos eſſe.

Vix elapſo triennio à Pontificia eáque ſolemni approbatione *Boſſuetanæ Expoſitionis*, tanto cum plauſu & tam felici ſucceſſu ab Acatholicis æque ac Catholicis exceptâ, habitus fuit menſe Martio anni 1682. Conventus Cleri Gallicani,* in quo, interprete ſæpe laudato Boſſueto, celebres illæ quatuor propoſitiones ſancitæ fuerunt, quæ in effectu aliud non ſunt, quàm memoratæ Expoſitionis ſequela, & applicatio ad nonnulla particularia regulæ ſeu principii in illa traditi: nempe *Petri ſucceſſoribus deberi obedientiam eam, quam Concilia & Patres ſemper agnoverunt;* quam expreſſionem & definitionem Galli à Patribus Concilii Florentini rectè mutuati ſunt. Interim mirum in modum hac Gallorum ſanctione commotus Innocentius Papa, die 11. Aprilis 1682. omnia quæ in dictis Gallicanis Comitiis acta & definitia fuêre, reſcidit, caſſavit, & interdixit. Ejus ſucceſſor Alexander VIII. morti proximus eadem decreta & arreſta proſcripſit per Bullam incipientem *Inter multiplices* nec in Brevi ad Regem Chriſtianiſſimum de 30. Jan. an. 1691. Sed nec in ſimplici prohibitione ſtetêre Pontifices. Nota eſt pertinax illa ad decennium protracta negatio bullarum confirmationis, facta iis, qui memorato Cleri

Digitized by Google

Decreto, à Rege etiam confirmato, ſubſcripſerant, & dein ad Epiſcopatus nominati ſunt; adeo, ut vel ipſe Boſſuetus, magnum illud Eccleſiæ Gallicanæ, imò univerſalis Eccleſiæ ſidus, ſimiles bullas, ſi illis adhuc indiguiſſet, propter eandem cauſam omnium minimè obtenturus fuiſſet. An non per hæc ingens ille fructus *Boſſuetanæ Expoſitionis*, ab ipſómet Pontifice agnitus, inſigniter minui, & tantùm non penitùs intercipi debuerit, prudens quisque facilè judicabit.

Idem finis propoſitus fuit Febronio, qui Boſſueto: nempe *reunio Proteſtantium* ad Catholicos; idem medium: non exigere ab illis ultra neceſſarium; idem hujus medii generale principium: non poſtulare pro Petri ſucceſſoribus obedientiam præter eam, *quam Concilia & Patres ſemper agnoverunt.* In dictis Comitiis anni 1682. Boſſuetus ex hoc principio juſtas conſequentias deduxit, quas cum Clero regni Rex ipſe adoptavit; nempe 1.) non deberi Papæ obedientiam, quando de temporalibus Regum diſponit: 2) quando ſe prætendit efferre ſupra univerſalem Eccleſiam & illud repræſentans generale Concilium: 3.) quando agit contra Canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos: 4.) quando prætendit in rebus fidei ſuum judicium, etiam citra conſenſum Eccleſiæ, eſſe irreformabile. Ad ſpecialiora & ferè ad ſingulas materias Juris Eccleſiaſtici ex his theorematibus deſcendit Febronius, plures alias, eásque juſtas, inde ducens conſequentias particulares, nunquam ex oculis & ex animo dimittens commune illud utrique Pontificiæ poteſtatis ſymbolum: *quod ei Patres & Concilia SEMPER agnoverunt.* In hoc ferè ſolo à Boſſueto differt Auctor noſter, quòd hic ab ipſo Pontifice ea vellet dimitti, quæ ille huic à fidelibus neganda docet; idque ad

Digitized by Google

ad majus certiúsque reunionis commodum. Si talia poſtulanti & ſuadenti uni ſuccenſet Pontifex, aut veriùs ejus Curia, non eſt mirum quòd & alteri. Nimirum dicunt aulici Papæ: *Abſit, non decet, tempori non congruit, majeſtati non convenit, quam geras perſonam attendito. De placito Dei ultima mentio eſt; pro jactura ſalutis nulla cunctatio; niſi quod ſublime eſt, hoc ſalutare ducamus; & quod gloriam redolet, id juſtum:* Ita S. Bernardus ad Eugenium Papam *Lib. IV. de Conſid. Cap.* 2. *n.* 5.'

' Viri boni & ſuæ Religionis ſtudioſi eſt, noſſe abuſus in Eccleſiam ab aliis invectos; illis mederi, quantum in nobis eſt; nunquam eos diſſimulare, cùm tempus eſt loquendi; cum charitate tolerare illos, qui vel ignorantiâ vel fragilitate hos abuſus fovent, & ſufferre, quidquid non valemus ipſi reformare ſine juſto metu majoris mali, quàm ſit abuſus ipſe. Sic ſentire, ſic agere Febronianum eſt. *Vetera imitanda, recentia Pontificum exempla PAULATIM corrigenda eſſe*, monuit idem Bernardus Lib. I. de Conſid. Cap. 9. Utique *paulatim* abuſus Romanæ Curiæ corrigi debent, quia numero multi ſunt, & pondere graves; ne ex præcipitantia novum oriatur malum, aut aliunde præpediatur emendationis effectus. Sed qui omnia Bernardi & aliorum ſanctiſſimorum virorum monita & ſuggeſtiones negligit, & jam à ſæculis neglexit, ille neque *ſubitò* neque *paulatim* emendabitur. Quamdiu Roma ea, quæ auctore Boſſueto, prævià maturâ deliberatione, à Clero Gallicano an. 1682. pro bono & reunione Eccleſiæ ſancita ſunt, tanquam ab hoſte profecta intuebitur, nulla ſpes ſupereſt, futurum, ut ea bono animo complectatur, & juſtam ſuarum actionum normam eſſe patiatur. Verùm vel ideo Principibus ſæculi cuſtodia & executio Canonum ac Diſciplinæ exterioris à Deo & ab

Digitized by Google

ab Eccleſia commiſſa noſcitur, ut hi ſuâ auctoritate tales defectus atque aberrationes ſuppleant & ſarciant. Etenim bono Eccleſiæ rationes & commoda privata præferri non patitur ſana ratio; dico *privata:* privata enim reſpectu Eccleſiæ univerſalis ſunt etiam *Romana.*

Ad reformandam Romanam Curiam, multò magis ad eam, cùm ſemel reformata fuerit, intra limites ſanctorum Canonum retinendam, plurimùm juvabit probè ordinandum Collegium Cardinalium, utpote propinquius Conſilium Pontificis. De hoc ita Didacus de Alaba Epiſcopus Aſturienſis, poſtea Granatenſis Archiep. etiam unus ex Concilii Tridentini Patribus, in *Tractatu de Concilio univerſali, ac de his, quæ ad Religionis & Reip. Chriſtianæ reformationem inſtituenda videntur. Granatæ an.* 1552. *Part. II.* §. 1. *fol.* 66. „ De numero „ Cardinalium actum eſt ſæpiſſimè in Conciliis univerſalibus, „ præſertim in Concilio Conſtantienſi, & deinde in Baſilienſi, ubi decretum extat, ne Cardinalium numerus viginti „ quatuor excedat: atqui idem modò reperi eſſet admodum „ utile, ſaltem quòd numerus triginta Cardinalium immutabilis ſtatueretur; qui quidem Cardinales eligerentur ex „ omnibus Chriſtianis provinciis, inſpectâ perſonarum qualitate; id enim prodeſſet multum ad negotiorum conſultationem, ut facilior eſſet apud Papæ Senatum cognitio rerum, poſſetque maturiùs aſſumi deliberatio cujuscunque „ contingentis cauſæ. Cæterùm hic numerus poſſet per ſummum Pontificem in hunc aut ſimilem modum diſtribui, ut „ ſex eligerentur Cardinales ex tota Germania, ex Hiſpania „ totidem, ex Gallia alii ſex, ex Italia ſex, ex Luſitania

„ unus

Digitized by Google

„ unus, ex Anglia unus, ex Ungaria & Bohemia duo, ex „ Polonia unus, ex Scotia unus." Ea utique fuit hujus Patris proba ſententia, ut hi omnes Romæ reſiderent, non, ùt hodie fit, nullus præter Italos eſſet de Papæ Senatu.

Concludo hoc Examen verbis Nicolai de Clemangis *de corrupto Eccleſiæ ſtatu* §. 43. apprimè huc pertinentibus: „ Quia Eccleſia (Romana) ſe ipſam humiliare, vel tot flagellis attrita, contempſit, rectè ab illo, qui plus æquo „ exaltata humiliat, eliſâque & humiliata erigit, priùs humilianda erat, ut in gratiam, à quâ exciderat, rediret, „ poſtea erigenda atque ſublevanda: priùs deſolanda, poſtea „ conſolanda: priùs percutienda, poſtea ſananda. Nam quod „ ad redintegrandam ipſam Eccleſiam, functo hoc ſchismate „ dilaceratam, attinet, fruſtra aliquid per nos effici ſperamus. „ Non hoc humanis operibus, non ullâ arte, aut gratiâ „ agendum eſt: altiorem planè manum res ipſa depoſcit, & „ neceſſe eſt, ſi unquam uniri debeat, idem ipſe medicus ſit, „ qui vulnus intulit; quia tam acerbum atque immedicabile „ vulnus eſt, ut nullà operâ curari valeat. Multa ſuper „ hac re tractata ſunt, multa agitata vel cogitata, multa „ conſcripta, multa conſulta, multæ legationes ſuſceptæ, „ Verùm quo plura miſcuimus & moliti ſumus, eò res „ aſſiduè implicatior atque turbatior evaſit, Deo labores „ noſtros irridente, imò jugiter irritante, qui noſtrâ ſine „ ejus adjumento ſoleritâ illud ipſius opus explere credidimus. Adde, quòd *indigni ſumus & pacem ab ipſo impetrare, & pacem habere: quia non eſt pax impiis*, dicit Dominus: qui rurſum per Prophetam ait, Erit opus juſtitiæ pax.

„ pax. Denique nato in carne Domino, Angelorum exer-
„ citus pacem ſuo prædulci carmine in terra denuntians, ſo-
„ lis eam hominibus bonæ voluntatis futuram nuntiavit."

Tunc potiſſimùm volunt dominari, cùm profeſſi fuerint ſervitutem. Fideles ſe ſpondent, ut opportuniùs fidentibus noceant. S. BERNARDUS Lib. IV. de Conſid. Cap. 2. n. 4.

ANI-

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES FEBRONIANÆ IN P. ANTONII SCHMIDT S. J. IN UNIVERSITATE HEIDELBERGENSI SS. CANONUM PROFESSORIS PUBL. ORD. INSTITUTIONES JURIS ECCLESIASTICI GERMANIÆ ADCOMMODATAS.

Unus è primis, qui calamum acuerunt adversùs Juſtinum Febronium, fuit P. *Joſephus Kleiner* S. J. in Heidelbergenſi Univerſitate SS. Theologiæ Profeſſor. Reſponſum ei fuit in Appendice III. Tomi I. Febroniani, & ita reſponſum, ut non putaretur, alium ex eâdem Societate & Academia in idem argumentum tam facilè rediturum. Verùm audax & præſumptuoſum eſt illud genus hominum. Accidit, ut nuper junior Jeſuita Pater *Antonius Schmidt* Heidelbergæ adveniret ad tradendum publicè Jus Canonicum. Is mox altero ſuæ Profeſſuræ anno, ſc. 1771., curavit imprimi pro ſuis Prælectionibus in uſum Candidatorum *Inſtitutiones Juris Eccleſiaſtici*, in quibus plura capitalia loca Febroniani Tractatûs animosè invadit. Ne vir ille glorietur in opere ſuo infirmo, maximè autem, ne juniores Canoniſtas à genuinâ Juris Sacri prudentiâ, ab hiſtoriâ & energiâ Canonum, demum à veritate ipſa abducat, reſpondendum ei erit paucis, ſicut reſponſum fuit Collegæ ejus in Ingolſtadienſi Univerſitate P. *Franciſco Xaver. Zech.* Si (quod planè creditur) iis, qui genuinè eruditi & ab omni præjudicio vacui ſunt, poſt lectas has

Digitized by Google

Animadverſiones videatur, Patrem Schmidt in ſuis Prælectionibus circa graves illas, quas de ſtatu & regimine ſanctæ Eccleſiæ noſtræ adversùs Febronium tractat quæſtiones, nihil proferre veri, nihil ſolidi, facilè concludetur, cum uti alios illi ſimiles ſiniſtrum planè ſervitium præſtare ſanctæ Religionis noſtræ, dum in celebri Academiâ, Catholicis ac Proteſtantibus tam in docendo quàm diſcendo communi, circa graviora, licèt non ſubſtantialia, Religionis puncta, inania & falſa diſcipulis publicè propinant, atque ita illis, qui ex adverſo ſunt, non ſolùm materiam triumphi præbent, ſed & anſam judicandi, quòd etiam in eſſentialibus fidei non ſint magis fideles ac ſolidi. Verbo, his cathedris tales viri non ſunt apti.

Ut interim Schmidio & ſociis ejus fidem ac religionem meam (quam ille ſuſpectam habet, aut ſaltem ſuſpectam habere affectat) circa eam, de quâ inter nos agitur, materiam manifeſtam faciam, non dubito quidem Cardinalis Perronii in Reſponſione ad Regem Angliæ Cap. LIX. hæc verba mea facere: *Hanc unitatem in Eccleſiâ ſervandam cùm decreviſſet Chriſtus, principium ejus & radicem in Petro conſtituit. Cùm autem ad ſtabiliendum hoc unitatis Eccleſiaſticæ Caput eximiâ quâdem auctoritate opus eſſet, quæ valeret ſchismata compeſcere, aut avertere ab Eccleſia; præter auctoritatem Apoſtolatui eſſentialem, facta eſt perſonæ Petri, quam huic muneri obeundo deſtinavit Chriſtus, ſingularis dignitatis & poteſtatis acceſſio* (Hæc in quo conſiſtat, dixit Ill. de Marca apud Bertonum in Defenſione Febr. Tit. II. § 2.) *ut nimirum omnes fideles, atque ipſos Apoſtolos in officio ſuo contineret, ac prohiberet, ne quis Eccleſiæ ſcinderet unitatem; non quidem quaſi hac diſciplinâ egerent Apoſtoli, quibus ſingulis ſpeciatim in orbis Chriſtiani adminiſtratione Deus adfuturus erat; ſed ut Eccleſiæ formam aliquam proponeret, quâ res eſſent poſt mortem ſuam componendæ.*

Verùm

Digitized by Google

Verùm hæc non impediunt, quominùs cum clar. Barthelio & ſanis omnibus inſimul adoptem, quæ ille in Diſſertatione generali de Concordatis Germ. *Sectione proœmiali* § 15. tradit, ſcilicet: „Convenit quidem omnibus orthodoxis de „ Primatu Sedis Apoſtolicæ divinitùs inſtituto quoad intrinſeca „ & eſſentialia ejusdem Primatûs; ſed de accidentariâ „ ejusdem extenſione, *noviter ſuperinductis reſervatis*, non „ ita conveniebat: inde ſcatebant tot concertationes . . . , „ querelæ , . . . motus, & eorundem graviſſimæ cauſæ . . . „ *Modum* ergo & *temperamentum* eidem pro ſalute & pace „ Eccleſiæ ponendum eſſe demum convenit, idque vel per „ rationabiles Conſtitutiones, vel per amicas Conventiones „ & amicabiles Concordias." Rationabiles illæ Conſtitutiones, de quibus hic Barthelius loquitur, queis *modus & temperamentum* ſuperinductæ Primatui extenſioni poni conveniebat, ſunt Decreta Conciliorum *Conſtantienſis* & *Baſileenſis*; amicæ Conventiones ſunt *Concordata* cum Nationibus inita. Porro cùm Heidelbergenſis Canoniſta noſter Inſtitutiones ſuas Eccleſiaſticas *ad uſum Germaniæ* accommodaverit; ſic pro diſcipulorum ejus notitiâ ac inſtructione nonnulla, jam antè quidem à Febronio & Defenſoribus ejus tradita, hic tamen, tanquam ad illud *legale temperamentum* pertinentia, ex Concordatis Germaniæ ſpecialiùs prænotanda duximus.

Nimirum (*) Eugenius PP. IV. in duabus Bullis, datis anno 1447. Nonis Februarii (quæ conſtituunt partem Concordatorum Germaniæ, quæque proſtant in libello, cui titulus *Concordata Nationis Germanicæ integra* Num. IV. V.) profitetur, ſe Concilia Conſtantienſe & Baſileenſe pro œcumenicis agnoſcere, & pari cum aliis generalibus Synodis veneratione amplecti, promittens prædictæ inclytæ Nationi, ſe omnia & ſingula eorum Decreta ſervaturum, niſi in quantum

Mm 2 his

Digitized by Google

his per ſubſequens univerſale Concilium (quod quidem tunc promiſit, ſed dein non celebravit) aut per Concordata cum eâdem Natione ineunda eisdem derogaretur. In his autem Concordatis, anno ſequenti cum Nicolao V. initis, quoad aliquas ſolùm materias modificatio facta eſt, reliqua verò amborum generalium Conciliorum Decreta in eisdem Concordatis Aſchaffenburgi conventis ℣. *In aliis autem.* Simpliciter confirmata ſunt. Confer Obſervationes Hiſtorico-Juridicas in Concordata Nationis Germanicæ anno 1771. editas. *Obſervat. XVI. p.* 30. 2.) Vigore eorundem Concordatorum Rom. Pontifici hodie non competit jus vel unicum beneficium in Germaniâ conferendi. Hoc probat Auctor Præfationis *Tomi II. Febroniani.* Adde jam citatas Obſervationes Hiſtorico-Juridicas *pag.* 38. 3.) Idem de Annatis obtinere, demonſtratur ab Auctore memoratæ Præfationis, à Febronio *Cap. VII.* §. 5. *n.* 10. à Theodoro à Palude *in Floribus ſparſis ad Febr. Cap. VII.* §. 8. *n.* 3. 4.) Non poteſt Papa ullam cauſam privatam (etiam quamdiu uſus appellationum ad Romanam Curiam, qui & ipſe veteribus ac genuinis Canonibus contrarius eſt, toleratur) viâ evocationis aut appellationis Romam trahere, ſed tenetur pro earundem inſtructione & deciſione delegare Commiſſarios in partibus. Febron. *Cap. V.* §. 10. Auctor Tractationis Juris Publici *de Appellationibus & Evocationibus ad Curiam Romanam*, *ad illuſtrationem Art. XIV.* §. 3. 4. & 5. *Capitulationis Cæſareæ*, *anno* 1771. *Francofurti editæ.* §. 40. & *ſeqq.*

Ex his Jeſuita Profeſſor & diſcipuli ejus imprimis *generatim* dignoſcent, quid Germanica Natio conſentientibus ac probantibus ipſiſmet RR. Pontificibus, ſenſerit de intrinſecis ſeu ſubſtantialibus eccleſiaſtici Primatûs; quid de reſpectivâ ſuperioritate generalium Conciliorum atque ſummorum Pontificum;

Digitized by Google

tificum; quid & quæ ad accidentalia retulerit; quem in his modum ſervari utrique parti placuerit &c. His præmiſſis deſcendamus ad *ſingula*, quæ P. Schmidt in Febronio vel probat vel damnat; expendamus ea ad juſtam lancem. Loquetur in hoc examine pro ſe ipſo Heidelbergenſis Profeſſor propriis ſuarum Inſtitutionum verbis; loquetur contra eum vel Febronius, vel quiſcunque alius ejus loco & nomine.

I.

P. SCHMIDT S. J.

„ Eccleſiam in decidendis controverſiis falli non poſſe, *Parte II.*
„ ex perpetuâ Chriſti & Spiritûs Sancti eidem aſſiſtentis ope, §. 13.
„ indéque tanquam judicem agnoſcendam, ubi quoddam circa orthodoxum S. Scripturæ ſenſum dubium ingruit, Catholicis certum eſt. Tanquam digito hæc indicâſſe nobis ſufficiat. Proteſtantes, qui hoc Eccleſiæ judicium conſtanter revereri detrectant; vel ex ipſis ſuis in rebus fidei fluctuationibus, demum ſe inter devia errare cognoſcant: aut ſi malint, cùm Theologos noſtros non inſpicere quidem ſoleant, apud Febronium, *virum profectò ipſis etiam commendatum*, perpendant ratiocinia Lockii, Saywelli, Cavei, quæ ex eorum Operibus is adducit Cap. I. §. 9. ſ. 49. Hæc hominibus, à Catholicâ aliàs Religione alienis, vel ipſa ſana ratio expreſſit."

FEBRONIUS.

P. *Joſephus Kleiner* in ſuis Obſervationibus ſummariis, nec non alius Jeſuita auctor libelli *Jugement d'un Proteſtant &c.*

 cum

cum reliquis ferè omnibus, qui adversùs Febronium ſua ingenia exercuerunt, dicunt, hujus librum vel ipſis diſplicere Proteſtantibus. Doctor Kauffmans in ſuo Apologetico Differt. I. §. 9. n 15. Febronius, inquit, trium Britannorum, à ſacris Catholicis alienorum, Lockii, Saywelli & Guil. Cavei, ratiocinia, ridiculo dicam an deplorando conatu, inſtaurat.

P. Antonius Schmidt S. J., hac in parte ſuis Collegis ſincerior & æquior, econtra hoc loco fatetur, Febronium Proteſtantibus commendari; commendat inſuper ipſe conſilium, quo Proteſtantes per ratiocinia celeberrimorum Proteſtantium (quæ vel ipſa ſana ratio expreſſit) ad reverentiam judicii Eccleſiæ pertrahere conatur; quod ſanè conveniebat præſtari in Opere, in quo primariò agebatur de Reunione Chriſtianorum diverſa ſacra ſectantium. Sed pruritus & ſtudium cavillandi neque communi ſenſu rationis reguntur, neque amore veri feruntur.

II.

P. SCHMIDT S. J.

§§. 22. 23. 24. „ Circa *jus convocandi Concilium univerſale*, Febronius „ *Cap. VI.* §. 2. dicit, nullam extare legem *divinam*, quæ „ illud ſoli Pontifici tribuat. Potiſſimùm autem ad facta ap„ pellat, quæ etiam *loco cit.* largè refert, ex quibus conſtet, „ primæva Concilia ab Imperatoribus convocata fuiſſe.

„ Minimè verò exinde conſequitur, quod vult Febro„ nius, jus illud convocandi *tacito* Principum & Eccleſiæ *con„ ſenſu* in Pontificem translatum; hunc quidem adſenſum „ *tacitum* fingit ipſe, nullo argumento probat. Sanè, fatente „ ipſo, poſt octavum ſæculum id nonniſi à Pontificibus factum, „ & nequaquam ex alieno in ſe beneficio translatum uſurpâſſe „ conſtat.

„ Non

„ Non ſat ſibi cohæret novi ſyſtêmatis fabricator: fun-
„ damentum enim *Cap. II.* §. 3. locat hujusmodi: *omnia il-*
„ *la & ſola eſſe primigenia & eſſentialia jura Primatûs*, *ſine*
„ *quibus unitas non poteſt ſervari.* Benè eſt: *Cap. VI.* §. 7. ait:
„ Concilia generalia abſolutè neceſſaria eſſe; id quidem ab
„ Eccleſia ſæpiùs cognitum fuiſſe, exortis præcipuè hæreſibus
„ & ſchismatibus: & §. 4. addit: alioquin brevi tempore
„ Eccleſia univerſa in partes ſcinderetur & periret: conſecta-
„ neum nunc eſſe quivis videbit; igitur jus convocandi talia
„ Concilia generalia omnino ad primigênia Primatûs jura per-
„ tinere: quod idem prono alveo ex eo fluit, quod habet
„ *cit. Cap. II.* § 6. Ea quæ ad Eccleſiæ ſtatum attineat ubivis
„ geri, ad Pontificem Romanum referenda eſſe.

FEBRONIUS.

Cùm P. Schmidt negare non poſſit, octo priora œcumenica Concilia ab Imperatoribus convocata fuiſſe; ſed neque ipſe neque alius, ùtcunque capitoſus Jeſuita ſuſtinere audeat, Cæſares id vel nullo jure, vel, quod amplius eſſet, contra jus, vel etiam ex delegatione Papæ egiſſe; atque ea diſciplina ex cauſis relatis à Febronio *Cap. VI.* §. 3., nec non in Floribus ſparſis *Cap. VI.* §. 4., ſignanter ob diſtractum in partes Imperium, dein mutata fuerit, ita ut deinceps Papa potiorem in convocandis Conciliis partem habuiſſe videatur, eáque omnia jure merè humana ita acta atque immutata fuiſſe dubitari nequeat: hinc neque tacitus ille Principum & Eccleſiæ in qualemcunque hanc mutationem conſenſus *fictus* dici poteſt; cùm (ſicut *Cap. VI.* §. 3. *cit.* disertè Febronius poſuit) *uſu* hoc jus convocandi fuerit *dimiſſum ferè* (non ait: *translatum*) ſoli Romano Pontifici: novit autem ſcholaris, *uſum eſſe jus ex con-*

ſenſu

Digitized by Google

ſenſu tacito: quinimò, ne in hunc quidem usque diem illi Catholici Principes, inter quos Occidentis Imperium diviſum eſſe cernitur (quatenùs in idipſum conſentirent) à priſtino Imperatorum in ipſos transmiſſo jure convocationis primario excluſi haberi debent; ſiquidem jus iſtud à jure pacatam retinendi, aut turbatam pacandi religionem Reipublicæ ſeparari non poſſit. In eo itaque Pontifex hac in parte Imperatoris & reliquorum Magnatum beneficium ſeu favorem atque deferentiam agnoſcere habet, quòd jus, ipſis in regula & principaliùs competens, atque eis ab Eccleſia per novem ſæcula agnitum, nunc per ſolum Papam (requiſito tamen pro ſingulis caſibus & obtento eorum conſenſu) exerceri patiantur; patientia verò quid JCto eſt, niſi *tacitus* conſenſus? Cæterùm occaſione Concilii Piſani rectè dixit Gerſon *Opp. Tom. II. col.* 135. . perinde eſſe, à quo Concilium convocetur, dummodò Eccleſia reverà habeatur congregata; quandoquidem in Conciliis neque *modus* convocandi, neque perſona convocans, jure divino determinetur.

Memini, me in uno Defenſorum Febronii legiſſe, caſu quo neceſſitas Eccleſiæ celebrationem univerſalis Concilii exigat atque urgeat, & nemo eorum, qui ad hoc de jure tenentur, illud revera convocet, Papam ad id obligari, ſaltem in ſubſidium, ídque ex eo principio, quòd ipſe in aliorum defectum utilitati & neceſſitati Eccleſiæ omni loco & tempore proſpicere atque occurrere ex ſuo Primatûs officio teneatur. Verùm ex eo nondum ſequitur, quod P. Schmidt ſophiſticè arguit, eodem *Primatûs titulo* Pontifici hoc convocationis jus competere *primariò*, imò *excluſivè* ad Catholicos Imperatores. Concilium eſt cœtus publicus *in Imperio*, *Regno*, *vel alio Statu*, cœtus magni ſtrepitûs, multæque conſequentiæ: talem

talem cogere non eſt *portio Primatûs*, utpote qui de ſe neque Imperium, neque Regnum habet.

Sed & æque parum hoc jus deduci poterit ex illo *Relationis*, de quo tractat Febronius *Cap. II.* §. 6. cujus hoc loco latinitatem corrumpit extractor grammaticus, nec reflectit illator, à diverſis argumentum non procedere. Sanè aliud eſt, *ad Primatem Eccleſiæ omnia à particularibus eccleſiis eſſe referenda*, & aliud, *Primatem hunc poſſe in terris, quas ex ſe prorsùs habet nullas, cœtum publicum, manifeſtum atque ſolemnem congregare.*

III.

P. SCHMIDT S J.

„ Ut legitimè celebrentur Concilia, debitéque repræ- §. 21.
„ ſentent Eccleſiam, Capiti ſuo unita eſſe debebunt; præſi-
„ dente nimirùm in iis ſummo Pontifice, eáque ſive per ſe
„ ipſum, ſive per Legatos ſuos dirigente.

„ Adſentientem hîc habemus ipſum Febronium, qui
„ *l. cit.* § 4. ex relatione Synodi Chalcedonenſis ad Leonem
„ Papam apud Harduinum Tom. II. duplex diſtinguit præſi-
„ dium, alterum *quoad ordinem exteriorem*, ad Principes ſe-
„ culares ſpectare inquit; alterum *Hierarchicum* ex iis verbis:
„ *ſicut membris caput præeras in his, qui tuum tenebant ordi-*
„ *nem;* idque ſummo Pontifici competere adfirmat: *jurique*
„ *præſidii* naturaliter annexum ait *jus proponendi.* Rectè enim-
„ verò, ſed ne hoc quidem triticum ſine zizaniis eſt in agro
„ Febroniano: prius enim ita temperat, ut integrum tamen
„ ſit Concilio, jus præſidii alteri deferre; adeo, ut, quod
„ ipſe tanquam jus Primatûs agnoſcit veritate cogente, jam
„ pro lubitu à voluntate alienâ dependeat. Reſpondemus illi

Digitized by Google

„ cum viro cl. Riggero *l. cit. Cap.* 4. §. 204.; quoniam id „ aſſerit ſolùm, quin probet, aut contrariis reſpondeat; æquo „ animo ferat cum ſuo Giberto & Launoio, alia omnia arbi„ trantes. Proteſtantes autem plura hìc iterum Imperatorum „ facta Conciliis, ùt videtur, Præſidentium adcumulantes, „ ex ipſo Febronio intelligere poſſunt, cujus generis illa „ præſidia fuerint.

„ Pallavicini Hiſtoria Concilii Tridentini cruditis qui„ busvis videbitur ſemper omni exceptione major, modò „ ipſi ſtudio partium careant: etſi id ſecùs videatur auctori „ Principiorum Juris Publ. Eccleſ. *Cap. VI.* §. 34., iniquiſſi„ mè Pallavicinum in eâdem cum Sarpio & Sleidano claſſe hâc „ in re collocanti; item Vindici Febroniano *Tom. II. fol* 165., „ quod pluribus oſtendit Gautier in Animad. in dicta Principia
* 484. „ *pag.* * 69. *ſeqq.* "

FEBRONIUS.

Iniquus hìc eſt Febronio Schmidius cenſor: ille *regulam* dedit & *exceptionem*, claris omni JCto verbis; iſte ait, zizanias eſſe in tritico, eò quòd integrum ſit Concilio juxta Febronium, jus præſidii alteri deferre, adeo, ut jus Primatûs *pro lubitu à voluntate alienâ* dependeat: Cordatus JCtus ab impactionibus abſtinet, non ſubſtituit ſua verba verbis alterius, aſſumit dicta authoris & cauſas dictorum; ſin ſecùs incedat, rabula forenſis erit. Febronius poſuit: *hæc quidem in regula, & niſi Concilio aliter videatur:* non dixit: *pro lubitu Concilii*, aliàs, quod noluit, regulam propriam, à ſe ſtudiosè probatam, deſtruxiſſet.

Quòd regulariter Eccleſia Capiti ſuo adhærere, & viciſſim Caput Eccleſiæ unitum eſſe debeat, de hoc nullus Catho-

hco-

licorum dubitat. Sed, quid ſi eveniat, ut Papa fiat auctor ſchismatis, ſacrorum Canonum & eccleſiaſticæ Diſciplinæ everſor, jurium Epiſcopalium deſtructor &c. an in his etiam Capiti ſuo adhærebit Eccleſia, ita ut ſi talia neque in Concilio neque extra illud correcta velit Pontifex, Epiſcopi, ſine omni fructu emendatæ Eccleſiæ, à Synodo recedant, & malum in eodem, quo antè, ſtatu relinquant?

Theſis de ſuperioritate Concilii ſupra Pontificem (cujus contrarium docere non in Galliâ ſolùm, ſed in variis etiam Catholicis Germaniæ Academiis, authoritate ſuperiore prohibitum eſt) non eſt mera quæſtio de nomine: foret autem talis, ſi univerſalis Eccleſia, ſynodaliter congregata, adversùs Papam invitum, utcunque improbum, boni Eccleſiaſtici inimicum, nihil ſtatuere poſſet, quinimò & in ipſo malo Diſciplinæ, per eum in Eccleſiam invectæ, illi adhærere teneretur.

De præſidio in generalibus Conciliis, uti & de jure in eis proponendi abundè egit Febronius *Cap. VI.* § 4., & ejus Defenſor Theodorus à Palude *Cap. VI.* §. 5. Utrumque jus ibidem *in regula* tribuitur ſummo Pontifici: *in exceptione* (nimirum caſu quo Papa Concilio vel præſidere, vel neceſſaria proponere in eo recuſet, aut non valeat) alteri, ex beneplacito Synodi. Quo ingenio, quo jure, quo fructu P. Schmidt primum appellet *triticum*, alterum *zizaniis* comparet, judicent prudentiores. Probat ille, ſe juvenem Canoniſtam, quando de Giberto & Launoio cum quâdam ſpecie vilipenſionis loqui affectat; falſum autem profert, dum quæ hac in parte ad exceptionem à regula juſtè refert Febronius, ſine probatione ab eo tradita memorat. Videantur hujus loca jam citata, quippe quibus ex Conciliorum diſciplinâ ejus aſſerta probantur, quæ etiam de ſe ipſis fluunt ex memoratâ generalium Conciliorum ſuperioritate & hujus analogiâ atque applicatione.

De fide Pallavicini comparatè ad Paulum Sarpium egit Joannes à Calore *in Apolog. Febr. Art. I. n.* 5. Pro illo hæc ſola verba invenio in libro P. Gautier *pag.* 484. ultrà omnino nihil: „ Card. Pallavicinus ex ſinceris actis Hiſtoriam Concilii „ Trid. concinnavit: adeo veritatis amans, & in ſcribendo „ modeſtus, ut nihil per aſſentationem finxerit. " Sic Jeſuitæ Pallavicino, Societatis ſuæ alumno, fidem omnimodam conciliare, & hanc diſcipulis ſuis inſtillare ſtudent; dum interea viri exegetæ hiſtoriarum, de Tridentino Concilio ſcriptarum, nunquam credent utrique aſſerto audaci, ſcilicet: *Pallavicinum adeò fuiſſe veritatis amantem, & in ſcribendo modeſtum, ut nihil per aſſentationem finxerit:* Item: *Ejus hiſtoriam eruditis quibusvis de hoc Concilio viſum iri ſemper OMNI EXCEPTIONE MAJOREM, modò ipſi ſtudio partium careant:* hanc conditionem ab ipſómet Pallavicino non ubivis impletam fuiſſe, ſtudio partium carentes invenient.

IV.

P. SCHMIDT S. J.

§. 39. „ Febronius *Cap. IX.* §. 4. inter remedia tollendorum „ abuſuum Concilia Nationalia in uſum revocari cupit, quo„ rum utilitatem imò neceſſitatem dilaudat: hactenus rectè: „ ſed, dum licitum eſſe nobis vult perſuadere, ſi ad tempus „ ſe etiam à Sede Apoſtolicâ, quam ipſémet Centrum unionis „ nominat, ſegregent, remedia ſuggerit malis omnibus de„ teriora. Confer Vindicias Ballerini adversùs Febronium „ ſubnexas ejus Libro *de Vi & ratione Primatûs Pontificii* „ *Cap.* 7. "

FEBRO-

FEBRONIUS.

Singularem lucubrationem *de Subtractione Obedientiæ* anno 1770. compoſuit Febronius, quæ in fine Partis primæ Tomi II. Operum ejus conſpicitur; hanc ſi vidiſſet Petrus Ballerinius, Veronenſis Presbyter, non dixiſſet, eam eſſe remedium malis omnibus deterius; etenim vidiſſet in ea perpetuum æque ac felicem hujus remedii in Eccleſiâ Catholicâ uſum, citra omne periculum mali, & cum ſummo diſciplinæ bono. Vidiſſet, hoc medio ejectos è regnis ac provinciis extraneos pecuniarum Collectores, Annatas abolitas aut ſaltem ſuſpenſas, Sacerdotiorum aut ſacrorum beneficiorum diplomata, antè magno & inutili ſumptu Romæ redempta, nunc ſine eo in partibus expedita, Pallia à Metropolitanis ſine pretio obtenta, Diſpenſationes ex motivis reverà canonicis auctoritate ordinariâ eâque legitimâ absque pecuniâ conceſſas, Beneficia dignioribus, & ab iis quidem, quibus de jure competit, collata, Confirmationes Epiſcopalium electionum in provinciis legitimè factas, genuinorum Canonum vigorem reſtitutum, Concordata Nationum, à Romanis promiſcuè violata, in uſum atque obſervantiam reducta, injuſta bella æquâ pace compoſita, iniquas excommunicationes, cenſuras & interdicta ſublata, eâque omnia & ſingula ſine minimâ læſione *legitimi Primatûs*, aut infractione prærogativarum, *Capiti* jure divino competentium, aut everſione *Centri Eccleſiæ*; imò magis pro hujus firmitate & ſtabilitate.

Hæc debitè atque ordinatè cum propriis ſingulorum factorum circumſtantiis atque motivis prout ea in Actis publicis conſignata, & à Febronio tradita ſunt, diſcipulis ſuis exponat P. Schmidt, ſic merebitur titulum Profeſſoris *bonæ fidei* apud Catholicos æque ac Proteſtantes; neque hi habebunt cauſam,

Digitized by Google

Heidelbergenſibus Academicis inſinuandi, Profeſſorem Canonum ſuis Candidatis, in iis, quæ ad Romanum Pontificem pertinent, *quid pro quo* venditare.

V.

P. SCHMIDT S. J.

§. 44. „ Primatum honoris auctoritatíſque cum certis juribus „ Catholici omnes, qui vel ſe tales adhuc venditant, uno ore „ Pontifici Romano competere adſtruunt; quod vel unius „ Febronii exemplo luculenter adparet. Sed non arrident ei „ probationes, à Catholicis adferri ſolitæ, quæ ſcilicet Pontifici jam plus, quàm ipſe vellet, tribuerent: utì dum notiſſimo illo textu Matthæi XVI. Chriſtus ait: *Tu es Petrus,* „ *& ſuper hanc Petram &c.* Item: *Tibi dabo claves regni cœlorum &c.* Quantum autem cunque ſe torqueat, ſe non „ expediet, utì contra eundem luce clariùs denuò demonſtrârunt Kauffmans Theol. Prof. Colon. *in Apolog. Diſſert. I.* „ §. 2. *& ſeqq.* Held *in Juriſprud. Univerſ. L. I. P. 2. C.* 1. „ §. 1. Neque nos movent, quæ reponit Vindex *Tom. II.* „ *p.* 168. *ſeqq.* Nam *Monarchiam abſolutam* nec ipſi inde evincimus, &c."

FEBRONIUS.

Gratiæ ſaltem hìc debentur Heidelbergenſi Canoniſtæ, quòd Febronium adhuc inter Catholicos utcunque numeret; licèt ei ad probandum Rom. Pontificis Primatum non arrideant probationes deſumptæ à textibus S. ſcripturæ in ſenſu, quo illos P. Schmidt accipit. Habet hoc Febronius commune cum

non

non paucis SS. Patribus, cum multis Catholicis primæ eruditionis, præſertim Gallis, licèt ſecùs videatur S. Franciſco Saleſio, quem Schmidius hoc loco in ſubjectâ Notâ citat. Fuit hic vir ſanctiſſimus magnus Aſceta; an in ſtudio critico Canonum & Conciliorum peræque expeditus, dubitare licet. Videantur interim circa diverſos Patrum & Tractatorum Eccleſiaſticorum ſenſus & interpretationes memoratorum Textuum tradita Febronii *Cap. I.* §. 2. 3. *Cap. V.* §. 1. Joannis à Calore *Apol. Febr. Art. II.* Theodori à Palude *in Flor. ſparſ. ad Febr. Cap. I.* §. 2. Danielis Bertoni *Def. Febr. Tit. I.* §. 1. 2. 3., & hæc tranquillà mente comparentur cum Apologetico Kauffmanni.

Vellem videre in Cathedrà Canonicà Univerſitatis *mixtæ* Religionis Profeſſorem *liberum*, & adſuetum proferre non niſi ſolida & convincentia argumenta circa materias & quæſtiones Juris Eccleſiaſtici, quæ nos à Proteſtantibus ſeparant. Talia certè non ſunt, quæ P. Schmidt hoc loco è ſacris Litteris profert, quippe quæ à totidem, imò pluribus viris doctis & piis adversùs Petri Primatum, quàm pro eo interpretationem accipiunt. Tam vagis & indefinitis utens argumentis nullum prudentem Acatholicum ad veram fidem perducet.

De cætero, quàm parùm aut multùm *abſoluta* ſit illa *Monarchia*, quam ex iisdem Textibus Jeſuitæ eliciunt, Profeſſor noſter quidem hìc non explicat; attamen illud ſatìs conſtat, quòd ii inde deducant infallibilitatem Pontificis, ejus ſuperioritatem ſupra Concilium, immediatum jus, omnia Epiſcopalia per totum orbem exercendi, jura Epiſcopatui annexa minuendi, tollendi, jus appellationis per omnes mundi partes; paucis *Monarchiam abſolutam*, quam ipſémet Schmidius inde non vult evincere: debebit autem prono alvei ſui fluxu, ſi textum *de perſonâ Petri*, cum *excluſione* reliquorum Apoſtolorum, intelligendum eſſe contendat.

VI.

VI.

P. SCHMIDT S. J.

§. 49. „ Febronius totus eſt in eâ declamatione, *ut jura Pontificis SECUNDARIA velit non licitè ſolùm Sedi Pontificiæ iterum abſtrahi poſſe, ſed & id omninò fieri expedire; imò eſſe neceſſum ad Proteſtantes cum Eccleſia denuò conciliandos.* Jam verò ex Juris publici univerſalis principiis brevi ratiocinio tota hæc, ùt ùt ſpecioſa, moles facilè corruet.

„ Jura quædam alia, etſi *non ex inſtitutione divinâ* Sedi Pontificiæ jam adligata, ab Eccleſiâ ritè in eam transferri potuêre: ubi id vetitum? nullo ſanè verbo extundet, tale quid prohibitum eſſe, Febronius: quòd ſi à Chriſto id prohibitum non ſit, ab Eccleſiâ fieri ritè poſſe, nemo niſi inſanus negabit: jura hæc ſemel in Principem legitimè translata revocari ſine injuriâ nequeunt: ſi id vult Febronius, ſanè principiis regitur cuilibet Imperanti plurimùm pernicioſis: igitur & idem de Reſervatis *ſecundariis* Primatûs Apoſtolici dicendum. At legitimè translata inficiabitur: id de *compluribus* expreſſis verbis ſtatuit *Tridentinum:* quoad *omnia reliqua* tranquillam per tot ſæcula poſſeſſionem *homo heri natus* fruſtrà intervertere conabitur. Quam utilitatem aut neceſſitatem ex ſcopo ſuo fingit, intelligere poteſt ex ſcriptore Proteſtantico *Bahrdtio.* Abuſus clamitat, quæ tot gravamina pepererint: at nôrit, hos quoque hìc non defendi, vel iſtis eam, quam dixi, poſſeſſionem tribui. "

FEBRONIUS.

Elumbe omninò eſſe hoc prætenſum magiſtrale argumentum,

tum, Candidati Juris Eccleſiaſtici facilè advertent, ſi illorum Profeſſor ex Operibus Febronii, ex auctoritatibus atque monumentis ab eo relatis, cordatè illis aperiat 1.) *graviora* illa Papæ jura *adventitia* ſeu *ſecundaria* ſuum habere fontem in falſis Iſidori Epiſtolis. *Cap. VIII.* §. 2. 3. Joan. à Calore *in Apol.* Febr. *Art. IX. n.* 6. *ſeqq.* 2.) Quoad hæc Epiſcopos non abdicâſſe jus ſuum *cum notitiâ & libertate*; atque ita Sedem Romanam alienis ſpoliis injùſtè exornatam fuiſſe. *cit. Cap. VIII.* §. 5. 3.) Proinde in his non prodeſſe Romanis ceſſionem, poſſeſſionem, conſuetudinem, præſcriptionem, concordata, utpote falſò ſyſtemati innixa. *Eod. Cap. VIII.* §. 6. & 10. 4.) Huic ſpurio fundamento ſubſequentium Conciliorum, atque ipſius etiam *Tridentini*, Canones diſciplinares inædificari. *Cap. VIII.* §. 5. n. 5. 5.) Tridentinos Patres ſub finem Synodi agnoviſſe, quòd Diſciplina Eccleſiæ ad normam quatuor primorum Conciliorum generalium emendari debeat. *Cap. VI.* §. 12. 6.) Ea etiam quæ ab Epiſcopis Pontifici liberè & voluntariè dimiſſa fuerunt, ſi ille his abutatur, in bonum Eccleſiæ, atque ad ſatisfaciendum nativo & ſuo modo inabdicabili Paſtorali officio ab Epiſcopis recipi poſſe ac debere. Joan. à Calore *Art. XIII.* 7.) Exceſſum atque abuſum Pontificiæ auctoritatis dediſſe occaſionem ſchismatibus, & hodienum impedire reunionem. *Cap. VIII.* §. 8. 8.) Inde Eccleſiam, utpote Papâ ſuperiorem, pro bono Religionis ordinare poſſe, ut quantum ipſi commodum & in commune utile videbitur, cum retractatione plurium vel pauciorum dictorum jurium adventitiorum unitati conſulatur. *Cap. VI.* §. 7. *n.* 8. *Cap. VIII.* §. 8. *n.* 11. 12. 9.) Neque hoc in puncto argumentum duci poſſe à juribus Principi *ſæculari* ſeriùs adquiſitis ad ſtatum & jura Eccleſiæ. Auctor Notarum Crit. in P. Zech. §. 165. n. 7. *Tom. II. Febr. p.* 126. Daniel Bertonus *in Def. Febr. Tit. II.* §. 1. *pag.* 30.

10.) Quidquid exuberante Zelo ſuæ Confeſſionis, & ad avertendam reunionem, quam ipſe ex Opere Febronii verebatur (quæ hujus laus eſt) ſcripſerit Bahrdtius, illius conſilium, præter innumeros Catholicos, probant laudántque eruditiſſimi & moderatiſſimi Proteſtantium, Erneſtus Schuberus primarius Theologiæ in Helmſtadienſi Univerſitate Profeſſor, Moſerus Conciliarius Imperialis aulicus, Auctores Auctorum Eruditorum Lipſienſes, Göttingenſes &c. Quid? quòd ipſe P. Schmidt *ſuprà N. I.* ipſis etiam Proteſtantibus Febronium commendatum memorat.

Quoniam ad *Tridentinum* hìc provocat P. Schmidt, tanquam in quo prætenſiones RR. Pontificum ad *Monarchiam*, aut *ſaltem ad plenam poteſtatem* legiſlatoriam, & propriam in ſingulis diœceſibus jurisdictionem, ſpecialiùs aſſertæ ac firmatæ ſint, juvat hìc paucis examinare eum locum hujus univerſalis Synodi, quem ii, qui Febronio adverſantur, nominatim D. Kauffmans *Diſſert. I. Cap.* 8 *n.* 26. P. Sappel *pag.* 223. objiciunt. Nimirum Seſſ. XIV. Cap. 7. *meritò*, ait Synodus, *Pontifices Maximi pro ſupremâ poteſtate, ſibi in Eccleſia univerſali traditâ, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt judicio reſervare.* Notum eſt, duplices eſſe reſervationes Papales: primæ & antiquiores originem ducunt ab Epiſcopis quosdam criminoſos pro abſolutione Romam mittentibus; ad harum imitationem poſt aliquot ſæculorum curriculum Pontifices ipſi alias propriâ ſuâ auctoritate induxerunt; earum prima, in Corpore Juris conſignata, eſt anni 1139. relata à Gratiano Can. *Si quis ſuadente* 29. Cauſ. XVII. Quæſt. 4. Ad harum robur dixit Febronius deſiderari Epiſcoporum conſenſum; Kauffmans *l. cit.* regerit: *Quis dicat aſſertam poteſtatem Papalem peccata reſervandi à conſenſu dependere Epiſcoporum, qui, ſi id ipſum judicâſſent, hoc ſine dubio hic expreſſuri fuiſſent.* Debile ratiocinium!

pro

pro cujus emendatione inter plures legantur Collationes Andegavenſes (*Conferences d'Angers*) Tract. de Caſibus reſervatis *Tom. I. p.* 51. ubi: „ Les péchés peuvent être réſervés au Pa„ pe, ou par une Loi général de l'Egliſe, ou par un uſage „ particulier d'un Diocèſe. Ils le ſont par une Loi général de „ l'Egliſe, lorsque la réſerve a été établie par un Concile Oe„ cuménique, ou par une Bulle du ſouverain Pontife, reçue „ par le conſentement exprès ou au moins tacite du Corps „ Epiſcopal. *Ce conſentement eſt eſſentiel;* & comme les Evê„ ques de l'Egliſe Gallicane ne l'ont point donné à quelques „ Bulles des Papes, par lesquels ils ſe réſervent l'abſolution „ de certains péchés, ces péchés ne ſont point en France ré„ ſervés au Saint Siége."

Si Epiſcopi Galliæ non omnibus Pontificum reſervationibus conſentientes, earum plures inutiles & ſine effectu reliquerunt, Germaniæ Antiſtites non minùs RR. Pontificibus negârunt jus & poteſtatem ſuis diœceſanis, ſine expreſſâ ſuâ veniâ abſolutionem & indulgentiam graviorum criminum largiendi, quando in Concilio Salegunſtadienſi anni 1022. *Cap. XV. & XVII.* apud Harzhemium *Tom. III. pag.* 57. ſtatuerunt, ut „ nullus Romam eat, niſi cum licentia Epiſcopi ſui vel ejus „ Vicarii: & cùm multi tantâ mentis ſuæ falluntur ſtultitiâ, „ ut in aliquo capitali crimine mulctati, pœnitentiam à ſuis „ ſacerdotibus accipere nolint, in hoc maximè confiſi, ut Ro„ mam euntibus Apoſtolicus omnia ſibi dimittat peccata; ſa„ cro viſum eſt Concilio, *ut talis indulgentia illis non proſit*, „ ſed prius juxta modum debiti pœnitentiam ſibi datam à ſuis Sa„ cerdotibus impleant, & tunc Romam ire ſi velint, *ab Epiſco„ po proprio licentiam* & litteras ad Apoſtolicum ex iisdem re„ bus deferendas accipiant."

VII.

P. SCHMIDT S. J.

§. 50. „ Ii ipſi, qui judicium Pontificis ſine conſenſu acceſſu-
„ que Eccleſiæ infallibile eſſe negant (nam Febronius denuo
„ planè extra orbitam vagatur, dum *Cap. VI.* §. 8. ne huic
„ quidem aſſenſui ſat firmum præſidium ineſſe vult) tali tamen
„ deciſioni Pontificis reverenter aſſurgendum eſſe ajunt, ita,
„ ut nefas ſit, ſalvâ reverentiâ Primæ Sedi debitâ, Catholico
„ ſaltim publicè eam impugnare: *Quis enim cuilibet deliranti*
„ *Theologo aut JCto ſumptibus immenſis indicet Concilium to-*
„ *tius orbis?* ait Auctor anonymus in Princip. Juris Eccleſ.
„ *Cap. V.* §. 3. 8. Hoc habeat ſibi Febronius à viro, quem
„ procul dubio magni æſtimat. "

FEBRONIUS.

Febronius *Cap. VI.* §. 8. multâ ſedulitate tuetur ſententiam omnibus Catholicis communem, quòd judicium ſummi Pontificis in negotio fidei per acceſſum conſenſúmque Eccleſiæ firmum fiat & immutabile. Hoc in *Theſi*; in *Hypotheſi* autem ait, hìc & nunc dubitari, nec immeritò, *an reverà adſit ille conſenſus Eccleſiæ.* Ad hoc declarandum, exemplis, non fictis, ſed factis utitur. *a*) Exponit *eod. Cap. VI.* §. 9. ex divo Auguſtino cauſam Rebaptizationis hæreticorum, in quâ S. Pater primùm refert, *multos* cum Stephano Papâ, *quoſdam* cum S. Cypriano, ſenſiſſe. Aliquantò pòſt ſcribit, fermè *octoginta* Epiſcoporum Africæ cum ſuis Eccleſiis ſententiam Cypriani tenuiſſe reliquos per orbem Chriſtianum *omnes* Stephani judicium ſecutos eſſe. In perplexo hoc rerum ſitu quærit S. Auguſtinus,

ſtinus, *An ſic totius Eccleſiæ conſenſione firmata cenſeri debeat R. Pontificis ſententia?* & reſpondet negativè, antequam Generalis Concilii definitio acceſſerit. *b)* Aliud exemplum: Emanat anno 1713. famoſa Clementis XI. Conſtitutio *Unigenitus:* acceptatur illa ab univerſâ Eccleſiâ: ſed quo anno? An, qui eam non acceptans anno 1718. defunctus eſt, pro hæretico haberi poterit? Hæc & ſimilia conſiderans Febronius, non quidem *de jure* dubitans, ſed *in facto* ſubinde incertus, ſuſtinuit expedire, ut ſimiles quæſtiones per Concilia œcumenica decidantur; horum frequentiam ſanxère Patres Conſtantienſes & Baſileenſes, quorum auctoritas apud me major eſt, quàm illa Auctoris Principiorum Juris Publici Eccleſiaſtici.

VIII.

P. SCHMIDT S. J.

„ Legum ferendarum poteſtas Eccleſiæ in Concilio generali congregatæ vel maximè competit. Sed & Eccleſiæ non congregatæ de remedio proſpectum eſſe debet. Jure itaque neceſſario ad Primatum ſpectabit, pro temporis neceſſitate opportunitatéque novas etiam leges condere. Febronius *Cap. V.* §. 2. tales à Pontifice proponi poſſe concedit, ſed quas Epiſcopi non niſi ob intrinſecam earum æquitatem, ſi nempe bono Religionis & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ eſſe proficuas agnoverint, acceptare teneantur. Verùm, an æquitas illa per ſe obligat, vel ùt propoſita à Pontifice? Si prius, jam non erit res meræ Diſciplinæ; de quâ hîc quæritur præcipuè: ſi alterum, jam eo ipſo hæc poteſtas Pontifici competat neceſſe eſt. ” §. 52.

FEBRONIUS.

Sophiſticum Heidelbergenſis Canoniſtæ dilemma ne reſponſo quidem dignum reputo. Quæcunque ad bonum Fidei & Diſciplinæ reverà conducunt, intrinſecam in ſe habentia honeſtatem & æquitatem (dummodo alio inconveniente non impediantur) juſtum eſt & officio Paſtorali dignum, ut ea Epiſcopus in ſuam diœceſin recipiat, & congruè diſponat, undecunque illa veniant. Sic novimus, multa in particularibus Synodis ſtatuta, in aliis etiam provinciis ac diœceſibus, imò per omnes fermè Eccleſias recepta & prudenter introducta fuiſſe: Illud tamen inter ſimiles Synodorum Canones ſeu particulares Conſtitutiones, & inter Conſtituta Pontificum intereſt, quòd Papa, Primatum univerſalis Eccleſiæ tenens, ea *vigore officii* aliis Eccleſiis proponere *obligetur*, ſalvâ dein harum examine & acceptatione.

Interim hic ſui immemor neophytus Canoniſta ſubitò incidit in *abſolutam Monarchiam* contra quam paulò antè §. 46. & 47. proteſtatus eſt; qui enim novas etiam leges Eccleſiæ non congregatæ imponere poteſt, quas illa intuitu poteſtatis proponentis acceptare tenetur, is *abſolutus Monarcha eſt*, quales noſtri Imperatores fuerunt, quousque leges ſoli poterant condere.

IX.

P. SCHMIDT S. J.

§. 55. „ An jus Appellationum ſit ex *primigeniis* & jure *divino* „ Primatui Sedis Apoſtolicæ competentibus, ſunt etiam ex „ Catholicis qui negant; inter quos facilè princeps eſt de „ Marca *Lib. VII. Cap.* 3., quem, additis ex genio ſuo parergis,

„ gis, ſequitur Febronius. Appellatio vel interponitur ob de-
„ negatam aut protractam juſtitiam, item ob nullitates, eás-
„ que inſanabiles in proceſſu commiſſas: tum equidem ex
„ ipſo Jure Naturæ, Publicíque univerſalis dogmatis, id ju-
„ ris omninò Primatui neceſſariò competere exiſtimo; cùm
„ ratione ſolâ dictante conſtet, præcipuum neceſſariúmque
„ Rectoris in civitate officium eſſe, ut ad eum oppreſſæ inno-
„ centiæ perfugium pateat: vel eo ſenſu hæc quæſtio inſtitui-
„ tur, ut ultimæ neceſſariò inſtantiæ judex ſit ſummus Ponti-
„ fex; & hâc in re diſciplinæ mutationi locum eſſe, ex rerum
„ Eccleſiaſticarum Hiſtoriâ ipſâ elucet."

FEBRONIUS.

Dictat enimverò recta ratio, ut qui per inferiorum judicum ſententias injuſtè gravantur, finaliter ad ſupremum, ad ipſum Principem, aut ad eum, qui hujus loco & nomine ultimatum judicium exercet, provocare valeant. Hoc in omnibus *ſæcularibus* ſtatibus, in quibus judiciaria poteſtas authoritate ſummi Principis exercetur, inconcuſsè obtinet. Non ita *in Eccleſiâ*, in quâ ex juris ſacri origine, & ex Primatûs naturâ nulla cauſarum judicia à Rom. Pontifice aut ejus nomine ac jure exercentur. In ea finale cauſarum judicium, ex ordinatione Conciliorum *Nicæni*, *Antiocheni*, & aliorum pertinet ad Provincialem Synodum, quæ ſuam anthoritatem à Papâ neque obtinet neque mutuatur. Ordinem inſtantiarum in foro Eccleſiæ ſic deſcripſit anno 530. Juſtinianus Imp. in *Lege 29. Cod. de Epiſcopali audientiâ.* „ Clericus priùs juxta ſacra inſtituta apud
„ Epiſcopum Civitatis, tum, ſi is ſuſpectus eſt, apud Me-
„ tropolitanum Epiſcopum reum agat: ſed ſi fortè ne ibi qui-
„ dem accuſatio placuerit, ad ſacrum ejus regionis Synodum
„ accuſa-

„ accuſatum deducat, & cum Metropolitano, tribus conve-
„ nientibus religioſiſſimis Epiſcopis, de cauſâ coram totâ Sy-
„ nodo cognoſcatur. Si ſe lædi exiſtimaverit, provocet illius
„ Provinciæ beatiſſimum Patriarcham; atque iis, quæ ipſe
„ judicaverit, omnino pareat, perinde ac ſi eum ab initio ju-
„ dicem eſſet conſecutus: *nam contra horum Antiſtitum ſen-*
„ *tentias non eſſe locum appellationi, à majoribus noſtris con-*
„ *ſtitutum eſt.* "

Hadrianus Papa Carolo M. Imp. dedit Codicem Canonum, in quo 50. Canones ſic dicti Apoſtolorum, 20 Nicæni, 24. Ancyrani, 14. Neo-Cæſarienſes, 20. Gangrenſes, 25. Antiocheni, 59. Laodiceni, 3. Conſtantinopolitani, 12. Epheſini, 27. Chalcedonenſes, 21. Sardicenſes, 33. Carthaginenſes, 105. Africani, nec non Decretales à Siricio ad Gregorium occurrunt. Hunc Codicem poſt alios ex Bibliotheca Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis edidit P. Harzheim *Concil. Germ. Tom. I. à pag.* 131. *ad pag.* 235. In eo (qui, ùt rectè idem eximius Editor, erat ad uſum Eccleſiarum occidentalium, ſeu Eccleſiarum in regno Caroli exiſtentium, adeóque Germaniæ, Bavariæ, Norici, Belgii, Galliæ) hi populi ante oculos habuêre Canones de appellationum materiâ ſtatuentes, ſcilicet Nicænum V., Antiochenos XIV. & XV., Chalcedonenſes IX. & XVII., Sardicenſes III. IV. & V., Carthaginenſem XXVIII., porrò Africanos LXXXVIII. LXXXIX. XCII. CI. CII. CIII. & CV.; præcipuè autem Canonem noviſſimum Concilii Africani, cui *l. cit. p.* 234. verbotenùs annexa conſpicitur celebris illa Epiſtola Epiſcoporum Africæ ad Cœleſtinum Papam, hoc tenore: *Decreta Nicæna, ſive inferioris gradûs Clericos, ſive ipſos Epiſcopos, ſuis Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt; prudentiſſimè enim juſtiſſiméque viderunt, quæcunque negotia in ſuis locis, ubi orta ſunt, finienda; nec unicuique*

Provin-

Provinciæ gratiam ſancti Spiritûs defuturam: maximè quia unicuique conceſſum eſt, ſi judicio offenſus fuerit Cognitorum, ad Concilia ſuæ Provinciæ vel etiam univerſale (Nationis) *provocare.* Ideo rogant R. Pontificem, ut *Clericorum* ad ipſius Curiam *refugia* (quæ *improba* vocant) *repellat.*

Hæc originaria & genuina proceſſûs Eccleſiaſtici norma, hæc meta inſtantiarum, tam generalibus quàm particularibus Synodis declarata, quam RR. Pontifices, nolentes, agnoſcere & ei ſe conformare debuerunt. Ex hac, uti confido, Anteceſſor noſter Heidelbergenſis intelliget, an jus Appellationum ſit ex *primigeniis* & jure *divino* Primatui annexis.

Equidem adversùs certa hæc jura poſteris temporibus, occaſione Canonis Sardicenſis, ſiniſtrè applicati, maximè verò adminiculantibus falſis Decretalibus (Vid. Febron. *Cap. V.* §. 6. *ſeqq.* Theod. à Palude *in Flor. ſparſis Cap. V.* §. 10.) appellationes ad Romanam Curiam introducta ſunt, atque eo ſenſu verum eſt, quod tradit P. Schmidt, in hac re diſciplinari mutationi locum dari; verùm illud indagandum ſupereſt, an quæ ſic ex errore & falſâ cauſâ in jure, tot Synodis firmato, mutata, & hoc ipſo cum Nationum gravamine conjuncta, atque inſuper ſiniſtram de indole Pontificii Primatûs ideam populis ingerere apta ſunt, ſicuti hic ab exemplo Heidelbergenſis Profeſſoris docemur, an, inquam, ea in recentiore illo genuinis Canonibus adverſo ſtatu relinqui debeant? Neque quis mihi hic objiciat primæ Sedis decus & præeminentiam, cui præcipuum aliquod hac in parte tribui deceat; etenim Sardicenſis Synodus, cùm de Epiſcopis per Arianos oppreſſis iterum audiendis ageretur, memoriam S. Petri eâ occaſione ho-

norandam cenſuit, neque tamen eapropter proprium jus appellationum Romæ tribuere voluit.

X.

P. SCHMIDT S. J.

„ Febronius *Cap. IV.* §. 8. velut rem certam ponit, omnes „ Synodos Provinciales poteſtatem habuiſſe olim, non *Epiſcopos* ſolùm ejusdem Provinciæ, ſed & ipſum *Metropolitanum*, de ſede ſuâ dejiciendi, ſine ullo ad Pontificem recurſu: atque inde ejus lamenta ob cauſas iſtas nunc ad ſolam Sedem Apoſtolicam devolutas. Novi, quòd hac in re conſentientes alios habeat. Sed ego hìc alia omnia ſtatuenda exiſtimo: Jam anno 269. Patres Synodi contra *Paulum Samoſatenum* celebratæ, acta ſua à Dionyſio Papâ rata eſſe voluêre, teſte Euſebio Lib. V. Cap. 30. Anno 311. *Cæcilianus Carthaginenſis* Epiſcopus à Melchiade Sedi ſuæ reſtitutus eſt, etſi ab eâ à Synodo Africanâ dejectus; quam rem jure factam manifeſtè agnoſcere videtur S. Auguſtinus Epiſt. 162. Cyprianus, ille nimirùm, in quo triumphant ſecùs ſentientes, Epiſt. 63. ſcribit Stephano Papæ: *Dirigantur in Provinciam & ad plebem Arelate conſiſtentem, quibus abſtento MARCIANO alius in locum ejus ſubſtituatur.* Adde geſta paſſim nota à Julio in cauſa *Athanaſii.*

„ Hæc quidem *ante* Sardicenſe acta; *poſt* ejus Canones proſtant exempla *Euſtathii Sebaſteni* confugientis ad Liberium apud S. Baſilium Epiſt. 74. aliàs 187. *Helladii Tarſenſis*, &

„ *Eu-*

„ *Eutherii Tyanenſis* apud Harduinum Tom. I. à pag. 1635.
„ *S. Chryſoſtomi* ad Innocentium I. ex Palladio in Dial. de Vi-
„ ta S. Chryſoſt., aliorúmque poſteà plurium.

FEBRONIUS.

Cauſas depoſitionis Epiſcoporum ex Canonum diſpoſitione ad Synodos Provinciales usque ad receptionem ſpuriarum Decretalium conſtanter pertinuiſſe, omni jure ſuſtinent, & irrefragabili Conciliorum auctoritate atque fide Hiſtoriæ probant Febronius *Cap. IV.* §. 8. Joannes à Calore *Art. VIII. n.* 7. item *Art. XI n.* 7. Adversùm hæc non niſi inania & falſa P. Schmidt ſuis diſcipulis propinat. 1) Poſtquam *PAULUS SAMOSATENUS* in plurium Epiſcoporum Synodo apud Euſebium *Lib. VII, Cap,* 29. damnatus & ſuâ Sede dejectus fuiſſet, Patres ejusdem Concilii dederunt Epiſtolam ſequenti Capiti 30. inſertam, non ad ſolum *Dionyſium Romanæ urbis Epiſcopum*, ſed *& ad Maximum Alexandrinum* directam, in quâ eisdem Dionyſio & Maximo, *& omnibus per univerſum orbem comminiſtris ſuis; Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis; & univerſæ Eccleſiæ Catholicæ, quæ ſub cœlo eſt*, ſynodalium ſuorum geſtorum notitiam communicant. Quem autem hæc in finem? non ut à Dionyſio Papâ ſuæ ſententiæ confirmationem peterent & obtinerent, ſed ut memorati omnes etiam *ad Domnum*, quem in Antiochenſi Cathedra Paulo ſuffecerant, *ſcribant, & ab eo communicatorias litteras accipiant:* ſic ſonant verba Synodalis Epiſtolæ. 2.) Melchiades Papa non ex propriâ auctoritate judicavit in cauſa *CÆCILIANI*, ſed quia *cum aliis* electus fuerat judex à Conſtantino; ſic enim eo de negotio ad Melchiadem ſcripſit Imperator apud Euſebium Lib. X.

Cap. 5. *Placuit mihi*, *ut idem Cæcilianus*, . . . *Romam naviget*; *ut ibi coram vobis*, & *coram Retico*, * *Materno*, ** *ac Marino*, *** *Collegis veſtris*, *quos eâ causâ Romam properare juſſi*, *poſſit audiri*, *quemadmodùm ſanctiſſimæ legi convenire optimè noſtis*. Unde S. Auguſtinus Epiſt. 162 negat, Melchiadem ſibi uſurpâſſe judicium cauſæ Cæciliani: *Quid quòd*, inquit, *nec ipſe uſurpavit*; *rogatus quippe Imperator judices miſit Epiſcopos*, *qui cum eo ſederent*. Ergo ab Imperatore ſedere & judicare juſſus eſt, alioquin uſurpâſſet judicium. Taceo, quòd eadem cauſa poſt Melchiadis & Collegarum ejus judicium anno 314. in Arelatenſi Synodo retractata fuerit. 3.) De cauſa S. *ATHANASII* ſatis egit Febronius *Cap. V.* §. 9. De negotio *MARCIANI* Arelatenſis idem *Cap*, *II.* §. 9., nec non Daniel Bertonus *Defenſ. Febr. Tit. I.* §. 4. Quibus non eſt neceſſe hìc addere quidquam.

* Auguſtodunenſi.
** Agrippinenſi.
*** Arelatenſi.

4.) *EUSTATHIUS SEBASTENUS* in Synodo Conſtantinopolitanâ anni 359. propter varias cauſas, quas refert Sozomenus *Hiſt. Eccleſ. Lib. IV. Cap.* 24. potiſſimùm verò ob malè ſanam doctrinam, in Cappadociam, patriam ſuam reverſus, ſanam ibi fidem ſimulavit; aſt alibi modò Arianam, mox Semi-arianam hæreſim oſtentavit, utrorumque formulis ſubſcribens. Dein Romam pergens, tanquam Legatus Epiſcoporum Aſiæ, qui Smyrnam convenerant, eorum nomine Liberio Papæ libellum dedit, quo Filium Patri conſubſtantialem profitebantur. Hoc prævio *à Liberio litteras obtinuit*, *per quas reſtitueretur*, inquit S. Baſilius Epiſt. 74. Attamen per has litteras ſuæ Sedi reſtitutus non eſt; verùm cùm iisdem litteris fides ejus commendaretur, reverſus illas Tyanenſi Synodo exhibuit; cúmque inde cognoviſſent Epiſcopi Catholici, illum rectè

rectè ſentire, judicârunt eum eſſe reſtituendum; ſi tamen effectivè reſtitutus eſt, de quo non immeritò dubitat Ludovicus le Quien in *Oriènte Chriſt. Tom. I. col.* 422. 5.) *EUTHERII THYANENSIS* & *HELLADII TARSENSIS* Epiſtola ad Xiſtum nonnullis eruditis ſuſpecta, etſi extra omne dubium eſſet, nihil tamen pro verâ jurisdictione Pontificis in cauſis Epiſcoporum ex eâ erui poſſet; neque enim illi provocant ad Rom. Pontificem à judicio in ſe lato, ſed tantùm ejus opem implorant, *cujus*, inquiunt, *rei gratiâ & nos præſumimus has ſupplicationes offerre, ut adjuvetis orbem terrarum, & in illâ parte, quæ errat, & in illâ, quæ tyrannidem ſuſtinet, quæque ad hoc impugnatur, ut illis, quæ non conveniunt, aſſenſum præbeat, eo quòd nec velit nec expedire judicet, ut Ægyptiorum Capitulorum varias vocum novitates excipiat.* Et in fine: *Rogamus verò & ſanctis tuæ religioſitatis provolvimur pedibus, ut manum porrigas ſalutarem, & auferas mundi naufragium, omniúmque horum inquiſitionem jubeas fieri in his illicitis cæleſtem ſuperduci correctionem.* Itaque auxilium tantùm & opem petunt Romani Pontificis (quale eſt illud in Epiſtola Bonifacii I. memoratum, de quo Num. ſequenti ſermo erit) non verò ejus in ſuâ cauſâ judicium. Proponunt etenim illi hanc cauſam, quaſi univerſalem Eccleſiam tangeret atque hoc titulo ad ſollicitudinem Rom. Pontificis pertineat. 6.) S. *CHRYSOSTOMI* cauſa à Febronio *Cap. V.* §. 9. abundè diſcuſſa eſt.

Digitized by Google

XI.

P. SCHMIDT S. J.

§. 59. „ Illud minimè concedendum, recùrſum in *Cauſis Majoribus* vix ante ſæculum VII. ad Pontificem ſumptum eſſe; „ nam Innocentius I. ad Victorem * Rhotomagenſem jam ſcripſit: *Majores cauſæ ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, referantur.* Verba autem „ illa *de veteri conſuetudine* mentionem facientia fruſtrà ſuſpecta „ reddere conatur Febronius. Neque diu pòſt Bonifacius I. „ de ipſis Orientalibus inquit: *in magnis negotiis NB. ſemper* „ *ab iis conſultam Sedem Apoſtolicam, atque inde auxilium petitum.* Eccur malè hæc jura iterum à Sede Apoſtolica avelli „ velit Febronius, jam antè paucis notatum eſt: cui adde, „ ſi à poſſeſſione Pontifici à tot ſæculis competente, ad petitorium velis provocare; tum quidem totam neceſſariò Ecclesiam turbis graviſſimis implicandam; cùm id ſaltim necdum expeditum ſit, an jura iſthæc non potiùs juris ſint divini; an quæ in Petro & ſucceſſoribus primis complicata adhuc poteſtas fuerat, tempore dein aliud exigente, explicata tantùm & evoluta ſit; cùm & S. Chryſoſtomus Homil. „ 3. in Act. Apoſt. inquiat: *Quid, an non licebat ipſi Petro* „ *Matthiam eligere? licebat, & quidem maximè: verùm id non* „ *fecit, ne cui videretur gratificari:* an horum omnium interpretatio authentica non niſi ex diſciplinâ primorum ſæculorum petenda? & quæ ſunt ſimilia. Certè his nodis ſolvendis Febronii cujusdam auctoritas minimè ſufficit.

* *Victricium.*

FEBRO-

FEBRONIUS.

De Epiſtola Innocentii I. ad Victricium egit Febronius *Cap. IV.* §. 1. *n.* 1. de illâ Bonifacii ad Rufum & alios Orientis Epiſcopos *eod.* §. 1. *n.* 6. Sanè ea, *quæ ad univerſalis Eccleſiæ ſtatum attinent*, ubivis gerantur, ad Romanum Antiſtitem referenda ſunt. Ideo Sardicenſis Synodus, perſuaſum habens, Romanæ Sedis Epiſcopo, ùt Eccleſiæ Capiti, omnium Eccleſiarum ſollicitudinem incumbere, anno 347. ad Julium Papam ita ſcribit: *Hoc optimum & valdè congruentiſſimum judicabitur, ſi ad Caput, id eſt ad Petri Sedem, de ſingulis quibusque provinciis domini referant Sacerdotes.* Huic Synodo anno 314. præluſerant Patres primi Concilii Arelatenſis, qui Silveſtrum Papam de rebus à ſe geſtis ac decretis pariter certiorem facere curaverunt. Anno 416. Afri, paternum exemplum imitati, è Conciliis Carthaginenſi & Milevitano ad Innocentium PP. referenda duxerunt ea, quæ de Pelagii atque Cæleſtii causâ ſentiebant, & quæ adversùs illorum hæreſim definierant. Horum litteris reſpondens Innocentius Epiſt. 30. n. 1. & 2. primò *inter cæteras Romanæ Eccleſiæ curas & Apoſtolicæ Sedis occupationes* eas recenſet, *quibus*, ait, *diverſorum conſulta fideli ac modicâ diſceptatione tractamus:* tum nec ſilet, quo pacto Apoſtolicæ Sedis Præſulem *præter illa, quæ extrinſecùs ſunt ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum:* unde Afris gratulatur, *quòd ſuper anxiis rebus, quæ ſit tenenda ſententia*, ab eadem Sede quæſierint, *antiquæ regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper orbe mecum*, inquit, *noſtis eſſe ſervatam*, utpote *ſcientes*, idque etiam *actione firmantes, quòd per omnes provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent.* Poſt hæc Afros demùm ſic alloquitur: *præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbi-*

arbitror, omnes fratres & Coëpiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit veſtra Dilectio, QUOD PER TOTUM MUNDUM POSSIT ECCLESIIS OMNIBUS IN COMMUNE PRODESSE.

Itaque quoties fidei, aut aliæ ſimilis momenti quæſtiones, *quæ in commune omnibus per totum mundum Eccleſiis prodeſſe aut nocere valeant*, oboriuntur, eæ utique ad ſummum Pontificem, ad Caput Eccleſiæ, unitatis Centrum, & primarium Cuſtodem Canonum referri debent, & nullo non ævo à particularibus Eccleſiis ad eum relatæ ſunt; verùm inde minimè ſequitur, quòd *illa particularium Eccleſiarum cauſæ*, quibus *MAJORUM nomen* deinde datum eſt, ad Papam referendæ, aut ab eo definiendæ ſint: v. gr. quòd ille Epiſcopum criminoſum ſuâ auctoritate deponere, innocentem reſtituere valeat, & quæ ſunt ejus generis alia. Quinimò in iis etiam, quæ ad Papam referuntur, tanquam omnibus in commune Eccleſiis aut profutura aut nocitura, auctoritatem ſuam moderari, & ex Canonum præſcripto ita agere tenetur, ut nullius alterius vera jura auctoritatémque præripiat: *Poteſt & debet ex officio & vi poteſtatis ſibi collatæ unitatem tueri, ERUDIENDO IGNAROS, ET CONTUMACES LIGANDO*, inquit Petrus de Marca Opuſculo de diſcrimine Clericorum & laicorum *Cap. III. n.* 11.

Contendit P. Schmidt, nondum expeditum eſſe, an cauſæ, quæ in Decretalibus dicuntur *Majores*, non potiùs ſint *juris divini*. Mira ſanè aſſertio, & riſu digna! Ergò veroſimile eſt Papæ jure divino reſervari omnes per orbem Epiſcoporum Trans-

Tranſlationes, Ceſſiones, Depoſitiones, Confirmationes neo-electorum, dationes Coadjutorum, admiſſiones Poſtulationum, &c. quando hæc ſua jura integris novem vel decem ſæculis Pontifices neglexerunt, & totus mundus ſinceris Canonibus edoctus, ea Romam deferenda eſſe ignoravit. Ipſe P. Schmidt *hoc* §. 59. agnoſcit & tradit, cauſam præcipuam, cur Majores Cauſæ, anteà plerumque à Synodis, aliquæ item ab Epiſcopis exercitæ, ad ſolam Sedem Apoſtolicam transfuſæ fuerint, in Epiſcoporum negligentiam & Synodorum infrequentiam refundi. Ergo ex contrariis cauſis contraria & anterior diſciplina eodem jure reduci poterit. An autem ad omnium horum authenticam interpretationem & verarum originum indagationem plus valeat uſus & obſervantia anteriorum, an verò poſteriorum, per tam multas & palpabiles cauſas in diſciplinaribus corruptorum ſæculorum, quæſtio eſt, quam Heidelbergenſis noſter proponit, ſed dignior Diſcipulo, quàm Magiſtro.

Dubitat, aut dubitare affectat, an non hæc poteſtas in Petro & primis ejus ſucceſſoribus (id eſt ſaltem ſub centum quinquaginta Pontificibus) *complicata* fuerit, dein temporè aliud exigente *explicata* tantùm & *evoluta* ſit; & ut aliquam huic dubio veroſimilitudinem affricet, refert locum truncatum ex S. Chyſoſtomi Homilia III. in Acta Apoſtolorum. Verba integra S. Patris hæc ſunt: „ Quid? An non licebat ipſi (Petro) eligere: Licebat, & quidem maximè. Verùm id non „ facit, ne cui videretur gratificari. Quanquam alioqui non„ dum particeps erat ſpiritûs. *Et ſtatuerunt*, inquit, *duos*, „ *Joſeph*, *qui vocabatur Barſabas*, *cognomento Juſtum*, *ac* „ *Matthiam*. Non ipſe eos ſtatuit, ſed omnes. Cæterùm ſen„ tentiam ipſe protulit, ſed hanc quoque declarans *ſuam non*

 eſſe,

„ *eſſe*, ſed è ſupernis profectàm juxta Prophetiam. Itaque „ NB. *recitator fuit, non præceptor.*" Antè, paulò poſt ingreſſum Homiliæ, dixerat: „ Cur non ſolus à Chriſto poſtu- „ lavit, ut ſibi daret aliquem ſubſtituendum in locum Judæ?.. „ Conſidera, quàm Petrus agit omnia ex communi Diſcipu- „ lorum ſententiâ, nihil authoritate ſuâ, nihil cum imperio. „ Neque ſimpliciter dixit, hunc in locum Judæ ſufficiemus, „ ſed conſolans illos ſuper eo, quod acciderat, vide, quo „ pacto dicendi ſumit exordium...... *Viri*, inquit, *fra-* „ *tres* &c."

Primaria intentio Febronii in determinando genuino Jure *Cauſarum Majorum* videtur fuiſſe, ut inde tanquam ab effectu judicaretur de naturâ Romani Primatûs. Quare poſſet, ubi id bonum Eccleſiaſticæ Diſciplinæ depoſceret, & circumſtantiæ ſuaderent, jam una jam altera earundem Cauſarum ad verum Jus Canonum revocari; quinimò ſi omnia hæc, in gratiam reunionis Proteſtantium, aut aliâ rationabili de cauſâ, ad originarium Jus reducerentur, non video inde neceſſario naſcituras graviſſimas illas turbas, quas hic mirari Schmidio placuit. Inde à tribus vel quatuor annis Sereniſſima Reſp. Veneta admodùm ponderoſas mutationes diſciplinares (quæ Romanam Curiam non minùs acriter pungere potuerunt) per omnes ſuas terras & provincias introduxit, ſine notabili motu aut turbâ; unus Epiſcoporum in favorem dictæ Curiæ recalcitrans, medio arreſto temporalium illicò in ordinem reductus eſt.

XII.

XII.

P. SCHMIDT S. J.

„ Cardinales, teſte Thomaſſino *P. I. L.* 2. *C.* 113. in §. 86.
„ Concilio Romano an. 1058. jam ante Epiſcopos ſederunt:
„ id tamen necdum ſatis conſtanter, cùm in Bullâ Callixti II.
„ *Tom. I. Bullar. an.* 1122. ad Henricum V. Imp. Epiſcopi
„ adhuc Cardinalibus præponerentur. Imò lites hâc occaſione
„ ſubortas recenſet *ibid.* Thomaſſinus *ad. an.* 1439. Tomo I.
„ Bullarii *pag.* 332. habetur Bulla Eugenii IV., ubi Joanni,
„ Archiepiſcopo Eboracenſi, Cardinali creato adversùs Hen-
„ ricum Cantuarienſem, prærogativam ei neganti, eandem
„ vindicare adhuc debuit. Saltem in Lugdunenſi II. an. 1274.
„ extra controverſiam jam ſupra Patriarchâs ſediſſe leguntur...
„ Febronium *Cap. VII.* §. 9. pungit hæc prærogativa: ſed
„ cùm ii, quorum intererat, Præſules, eam ratam habuêre,
„ privato quoque conticeſcendum exiſtimo."

FEBRONIUS.

Febronium aliter non pungit prærogativa Cardinalibus ſeriùs data, quàm quòd per illam in favorem Romanæ Curiæ nonnihil obſcuretur divinum illud jus & dignitas Epiſcoporum, quæ in Hierarchiâ Eccleſiaſticâ nullo humano inſtituto debet aut poteſt deprimi. Interim talia ſerviunt ad perdendam juſtam ideam proportionis & relationis, quæ eſt inter Epiſcopos & eorum primum. Inter hos divino jure nihil eſt medium in Eccleſia, nec tale quid fortè humano jure introduci deberet.

 Porro

Porro quidquid in Eccleſia abuſivum deprehenditur, emendationi obnoxium eſt.

XIII.

P. SCHMIDT S J.

§. 194. ſeqq. „ Status monaſticus, etſi à populo ſecerneretur, intra „ Laici tamen ab initio fines permanſit, uti elucet ex *Cauſ.* „ *XVI. Quæſt.* 1. *Can.* 6. . . . . Ex Laicorum ſorte quidem „ exceſſère brevì; dubium tamen non eſt, quin Epiſcopo „ proprio penitùs ſubjecti fuerint . . . . Non aſſentimus iis, „ qui Exemptiones, intellectas pro immunitate à canonicâ erga Epiſcopos ſubjectione, ſæculo jam VI. invaluiſſe vo- „ lunt . . . . Privilegia jamtum hinc inde Monaſteriis conceſ- „ ſa reſpiciunt electiones liberas Abbatum, retentionem obla- „ tionum à fidelibus, immunitatem à penſionibus ſubin ab „ Epiſcopo petitis, & quæ ſunt ſimilia; atque hujus quoque „ rationis alia ſunt, quæ ex vetuſtioribus monumentis huc re- „ ferri poſſunt . . . , Exemptiones verò à ſæculo XI. atque „ deinceps frequentiores grande demùm illud malum ſunt no- „ ſtris diebus Febronio *Cap. VII.* §. 8. . . . . Sed ut aliquid „ adferam Viris tanto Eccleſiæ commodi ardore flagrantibus, „ neque ipſe ſimul partium abreptus ſtudio videar, teſtimo- „ nium adduco viri, non orbi ſolùm literato, ſed & ipſi Fe- „ bronio, prout par eſt, maximè æſtimati, celeberrimi Bar- „ thelii in Theſibus ſubnexis Diſſert. II. de Eo, quod circa „ libertatem exercitii Religionis ex Lege Imperii juſtum eſt, „ ubi ita inquit: *Tridentinum, etſi attentâ temporum conditio-* „ *ne non omnes exemptiones penitùs tollendas & revocandas ju-*

„ *dica-*

„ *divaverit, illas tamen per varia Decreta, potiſſimùm Seſſ.* 25.
„ *de Regular. evulgata ad eos reduxit limites, qui ſi exactè obſer-*
„ *varentur, plerisque exemptionum incommodis occurrendi*
„ *ſpes foret.*

„ Epiſcopi cùm invigilare utique queant, ut quæ in Tri-
„ dentino ſtatuta ſunt, obſerventur, patet, hujus viri clariſ-
„ ſimi judicio, rem ſaltim non eam eſſe, ob quam Febronius
„ lamentis orbem impleat, aut tanquam in re ultimi diſcrimi-
„ nis undique ad arma clamet. Alia profectò ſunt ſub larvâ
„ cujusdam zeli virorum iſtorum conſilia. Si exemptionum
„ iſtarum effectus hodie conſideres, ferè nullus eſt, niſi *in-*
„ *terius domuum religioſarum regimen ſolis Superioribus Ordi-*
„ *num relictum*. An autem ea res tanti ſit momenti, ut ipſi
„ Præſules terminandis clauſtrorum intimis litibus occupari
„ velint, aut adita quotidie ſua inquietis hominum, Prælatis
„ ſuis refractariorum, querelis perſonare?"

FEBRONIUS.

Utique grande malum in oculis Febronii ſunt eæ Regularium exemptiones, quæ à ſæculo XI. inductæ fuerunt, idque non obſtante poteſtate delegatâ, Epiſcopis in Concilio Tridentino attributâ, ad quam Heidelbergenſis provocat. Ratio primaria eſt, quam refert Thuanus Hiſt. Lib VI. ſcilicet: *Epiſcoporum poteſtas* in Concil. Trid. *non ſolùm non aucta, ſed ex eâ multum delibatum eſt, cùm ea poteſtas, quæ ipſorum propria eſt, ET EX DEI INSTITUTO IIS ATTRIBUTA, iis tanquam à Sede Apoſtolica delegatis concedatur.* Ne ipſe quidem Pallavicinus Thuano hujus aſſerti veritatem potuiſſet contra-

tradicere, niſi falſâ cum multis Ultramontanis opinione fuiſſet imbutus, quaſi Epiſcopi nullâ jurisdictione potirentur præter eam, quam à Papa accipiunt.

Videamus interim, an, ùt ait P. Schmidt, iſte Exemptionum effectus hodie *ferè nullus* ſit. Recenſet ipſémet Heidelbergenſis Jeſuita §. 19. præcipuos caſus ex Trid. Seſſ. 4. 5. 6. 7. 21. 23. 25. de Ref. potiſſimùm autem Seſſ. 25., in quibus delegata in Exemptos Epiſcoporum jurisdictio locum habet, ſcilicet „quoad edendos typis libros; viſitationem & correctio„nem Regularium extra monaſterium habitantium, promul„gationem indulgentiarum à Pontifice impetratarum non ſine „conſenſu Epiſcopi faciendam; petendo ab eo veniam ſi in alie„nis eccleſiis ad populum verba facere volunt; ſacrificium di„vinum extra ſuas item eccleſias peragendum; Ordines ſacros „recipiendos, examénque ſubeundum, citra ſpeciale denuò „privilegium; approbationem in ordine ad Confeſſiones ſæcu„larium excipiendas; deciſionem cauſarum matrimonialium „eorum quoque ſpectantium, qui monaſterio exempto ſunt „ſubjecti; erectionem novorum monaſteriorum; publicandas „in eccleſiis Cenſuras, quas tulit Epiſcopus; obſervationem „dierum diœceſis feſtorum; caſtigationem extra monaſterium „non ſine ſcandalo delinquentium, ubi Epiſcopus Superiorem „etiam exemptum ad pœnam infligendam urgere poteſt; & „quæ adhuc ſunt plura alia etiam circa Virgines ſacras."

Vides hinc, omne Epiſcopi jus ferri ad ea, quæ *extra clauſtrum* fiunt; nihil illi poteſtatis, nequidem delegatæ, circa ea quæ intra *monaſterii fines* aguntur. Nulla nunc Epiſcopo cura de vitâ, moribus, & actionibus domeſticis Religioſorum, nulla inquiſitio

quiſitio

Digitized by Google

quiſitio de criminibus quandoque graviſſimis, nulla competens vindicta, aut judicis criminalis incompetentis, eſt; nulla invigilantia ſtudiis impenditur, an & quatenùs Eccleſiæ vel Diœceſi utilia ſint néçne; nulla de adminiſtratione temporalium, an in luxum potiùs & comeſſationes, quàm ad mentem fundatorum pro pauperibus, impendantur. Ignorat Epiſcopus, quas ſecretas inſinuationes ab exteris ſuis ſuperioribus ſæpe accipiant Regulares, bono Diœceſeos, in & de quâ vivunt, minùs convenientes; qui ſint cum aliis ejusdem Ordinis monaſteriis, quæ in aliis provinciis, imò regnis ſita ſunt, nexus, quæ relationes, quæ ſecretior regiminis forma, &c.

Dum verò exempti ſuave onus ſui nativi paſtoris Epiſcopi hactenus excuſſerunt, vident, ſe his temporibus ſubjugari potentioribus mundi poteſtatibus, quæ tanquam cuſtodes SS. Canonum eorum contra Canones peccata in receptione novitiorum cum pactionibus illicitis, excurſiones, migrationes, quæſturas, opum ſtudia, refrœnare inceperunt ſuis mandatis reformatoriis, & ſapienter pergunt.

Schmidius nöſter aut non eſt ſatis expertus rerum, quæ in diverſis monaſteriis emergunt, aut illudere vult inexpertis, dum interrogat, an res interioris domuum religioſarum regiminis ſit tanti momenti, ut ipſi Præſules terminandis clauſtrorum intimis litibus occupari velint, aut adita quotidie ſua inquietis hominum, Prælatis ſuis refractariorum, querelis perſonare? Non ſunt ſemper inquieti, qui à ſuis premuntur præpoſitis, & ideo gemunt in cœnobiis viri multi, quòd ab Epiſcopis juvari non poſſint, quia exempti; & propter diſtantiam Romæ, artésque Superiorum nihil ab eximente Papâ auxilii ſperandum habeant:

optarent

optarent judicem Epiſcopum, utpote proximiorem, & facilioris aditûs, quem durus callidúsque Superior non ſic, ùt viam Romanam, præcluderet. Sed & Prælatorum multi optarent eſſe ſub Epiſcopo, dum malè feriati ſubditi aut perſonaliter confugiunt Romam, aut aliàs expracticant proceſſus contra eos, ingentibus monaſterii expenſis. Si res non eſſet Epiſcopi, ab inquietis toties adiri religioſis, quantò minùs res erit Papæ, tot curis majoribus diſtenti? Ut nihil dicam de prolixitatibus proceſſuum, difficultate probationum alibi faciendarum, & neceſſitate petendarum ab Ordinariis relationum, in cauſis, quas ſine ſtrepitu unâ comparitione ſummariâ ſæpe componeret aut decideret Epiſcopus. Optimè tunc facient Epiſcopi Germaniæ, ſi iſta exemptorum ſcandaloſa jurgia ſupprimant, non tam *epiſcopali*, quàm *territoriali* jure, aut utroque conjunctim.

Si contra præſcriptum ordinem tanquam homines exceſſiſtis, non pudeat vos errorem veſtrûm corrigere, qui poſiti eſtis ut aliorum corrigatis errores.

INNOCENTIUS III. in Cap. *Qualiter*. 17. de Accuſationibus.

JUSTINI

Digitized by Google

JUSTINI FEBRONII

RESPONSIONES AD POSTULATA CHRIST. WILH. FRANC. WALCH

THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS PRIMARII IN UNIVERSITATE GOETTINGENSI.

Evulgavit anno 1771. clar. D. Walch primum Volumen Noviſſimorum Actorum Religionis, *der neueſten Religions-Geſchichte*; in quo de fatis Libri Febroniani multis diſſerit, non ſine Operis commendatione. Attamen cùm ipſe Evangelicam Religionem profiteatur, eámque in celebri Univerſitate cum laude doceat, congruum putavit *pag.* 190. & *ſeqq.* hiſtoricè referre, quibus in articulis, quáſque ob cauſas Proteſtantes, ſubſiſtentibus ſuæ Religionis principiis, neque poſſint neque debeant pacificis Febronii conſiliis acquieſcere; eæ autem ſunt ſequentes: *a*) Reformatio à Febronio propoſita ad *exteriora* ſolùm *Eccleſiaſtici regiminis* pertinet, quâ adoptatâ, illa adhuc ſubſiſtent, quæ à Proteſtantibus in Religione Catholicâ tanquam errores, ſuperſtitiones, & ſuperfluitates taxantur. *b*) Febronius auctoritatem *Traditionis*, etiam in interpretandis ſacris Scripturis, ſuſtinet; hanc Proteſtantes nunquam agnoſcent. *c*) *Syſtema Eccleſiæ*, quod eſt anima Febronianorum conſiliorum, non poterunt Proteſtantes ſine præjudicio portionis eſſentialis ſuæ Religionis amplecti. *d*) Febronius equidem laborat in moderanda *Papali Monarchia*, verùm Proteſtantes neque ullam *Monarchiæ* ſpeciem, ſed ne *Ariſto-*

Digitized by Google

cratiam quidem admittent; *e*) Volunt illi *omnimodam libertatem conſcientiæ*, etiam ab auctoritate tam *Conciliorum generalium*, quàm *Epiſcoporum*, ex quocunque demum fonte ea his obveniat, *f*) quippe in quibus omnibus illi plus *periculi* inveniunt quàm *ſecuritatis.*

Veriſſimum eſt, cum ſyſtemate Eccleſiæ, quod Catholici ſequuntur, principia Religionis Evangelicæ & Reformatæ ſociari haud poſſe. Quare, ſi reunio facienda ſit, quæri ante omnia oportet, num illud, an verò hæc, debeant ſuſtineri. Scilicet hoc diſputationis punctum nobis cum Proteſtantibus omnium maximum ac præjudiciale eſt: *An Eccleſia ſit ſupremus & infallibilis controverſiarum fidei judex?* Si hoc Catholici Proteſtantibus perſuadere poſſimus, & hi judicium Eccleſiæ audire non detrectaverint, jam uno ferè ictu omnes, quæ inter nos & ipſos diſputationes vigent, ceſſare neceſſe eſt. Non ab illis ampliùs vocabuntur errores ac ſuperſtitiones, quæ Eccleſia ſacræ Scripturæ conformia eſſe declaraverit; veras Eccleſiæ Traditiones agnoſcent tanquam fideles verbi Dei ſcripti interpretes; procul factis huc minimè quadrantibus *Monarchiæ & Ariſtocratiæ* terminis, agnoſcent in Eccleſia Primatum divinitùs inſtitutum, ſacris Canonibus quoad ſui exercitium ordinatum, & cum eo auctoritatem Epiſcoporum, à Deo poſitorum regere Eccleſiam; demum, damnato ſpiritu privato, omnium inordinationum fonte, definitionibus generalium Conciliorum, tanquam univerſam Eccleſiam repræſentantium, ſe ſubmittent, ſine periculo erroris in fide, aut morum perverſionis.

In hac conſideratione celebris illa Collatio inter Boſſuetum & Miniſtrum Claudium, olim habita in Galliis, *circa unum hoc punctum* inſtituta fuit; quippe quod omnibus de Religione & capitalibus circa illam controverſiis metam ac modum figere poteſt & debet: „ Mihi perſuaſum fuit, Proteſtantes, ſi vel la-

„ tum

Digitized by Google

„ tum ungvem à Tolerantiſmo recederent, à Catholicis vinci:
„ vinci verò ab Hæreticis & Infidelibus, ſi non recederent,
„ quibus arma ad ſe defendendum ſuppeditant; neque enim
„ facere poſſunt, quin omnibus ſalutem concedant, plenámque credendi & docendi quidvis tribuant facultatem. Eadem
„ argumenta, quibus Tolerantes eos ferendos eſſe probant,
„ qui ſacras Literas, quâcunque demum ratione explicantur,
„ pro (*ſolâ*) Fidei regulâ habent, non minùs efficaciter probant, ferendos eſſe quotquot bonâ fide ſe eſſe profitentur,
„ etiamſi Athei eſſent. Et quibus momentis à tolerantiâ Chriſtianiſmi hoſtes excludunt, etiam tolerantiâ eos omnes indignos eſſe pronuntiant, quos tolerandos eſſe profitentur."
Ita Iſaacus Papinius Eccleſiæ olim Anglicanæ Miniſter, pòſt autem ad Catholicam unitatem reverſus, in Lib. *les deux voies oppoſées en matiere de Religion, l'examen particulier, & l'autorité. Part. II. Sect.* 1. *n.* 13.

Aliquod huic malo remedium Proteſtantes adferri poſſe putârunt, cogendo ſuos, ut Synodorum definitionibus ſe ſubmitterent. Id factum an. 1618. in Synodo Dordrectana, damnatis *Arminianis*, & in Charentoniana an. 1644. proſcriptis *Independentibus*. Verumtamen nihil magis repugnat Proteſtantium principiis, quàm hujusmodi remedium; etenim juxta eorum ſententiam quæcunque Synodus, etiam ex omnibus mundi partibus collecta, errori obnoxia eſt, potéſtque ſubinde ſimplex aliquis & rudis homo verum Scripturæ ſenſum attingere, quem Synodus non percepit: hinc apud eos unusquisque gaudet poteſtate Synodorum definitiones examinandi; eodem jure eâdémque ratiône, quibus primi eorum Reformatores definita jam & à tota Eccleſia recepta dogmata ad incudem revocârunt, imò & rejecerunt. Unde ſequitur Synodorum congregationes & deciſiones in illorum Communione in-

 utile

utile prorſus remedium eſſe ad continendos in officio populos, unitatémque Religionis ſervandam. Ita ſemper reſponderunt *Independentes*, nec poterat eorum ſententia jure ab ipſis improbari.

Interim circa illud genuinum *ECCLESIÆ SYSTEMA*, quod cum Catholicis exponit Febronius, nonnullas huic clar. D. Walchius *cit. Tom. I. pag.* 173. 174. & 187. proponit difficultates, & dubia, quæ ab illo dilucidari poſtulat. Attingunt ea ſubſtantiam rei; & ratio Febroniani conſilii (per quod ille ſe Proteſtantibus æque ac Catholicis debitorem conſtituit) exigit, ut eis hic reſpondeatur.

Cæterùm non poteſt non ad commendationem operæ Febronianæ apud Catholicos pertinere quod *pag.* 191. refert Walchius, pleriſque Proteſtantium eam eſſe ſententiam, Syſtema reunionis Febronianum illorum Religioni tum demum periculoſum appariturum, cùm primùm illud ab Eccleſia Catholica adoptatum, & in uſum redactum fuerit.

POSTULATUM PRIMUM.

An Unitas ſit vera Eccleſiæ proprietas.

Unitatem eſſe veram Eccleſiæ proprietatem docemur ab Apoſtolo, tum Epiſt. I. ad Corinth. Cap. 12. ℣. 12. 13. *Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa; omnia autem membra corporis, cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt; ita & Chriſtus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptiſati ſumus.* Proſequens deinde Apoſtolus eandem comparationem Capitis, ℣. 27. ſic concludit: *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro:* tum ad Epheſeos Cap. 4. ℣. 3. 4. 5. *Solliciti ſervare unitatem Spiritûs in vinculo pacis. Unum*

Digitized by Google

Unum corpus, & unus ſpiritus, SICUT VOCATI ESTIS IN UNA SPE vocationis veſtræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma. Unus Deus & Pater omnium.

Eandem unitatem declarat conſtans ac perpetua SS. Patrum & Conciliorum traditio, & continua Catholicæ Eccleſiæ praxis. Inter multos Patres hîc referam paucos. S. Irenæus *Lib. I. adversùs Hæreſes Cap.* 10. „ Etſi in mundo loquelæ diſ„ ſimiles ſunt, ſed tamen virtus Traditionis una & eadem eſt. „ Et neque hæ, quæ in Germaniâ ſunt fundatæ Eccleſiæ ali„ ter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ, quæ in Hiberis „ ſunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, „ neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Lybia, ne„ que hæ, quæ in medio mundi conſtitutæ." S. Cyprianus *de Unitate Eccleſiæ edit. Baluz. p.* 195. „ Eccleſiæ fœtu naſci„ mur, illius lacte nutrimur, ſpiritu ejus animamur. Adul„ terari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt & pudica. „ *Unam domum* novit, *unius cubiculi ſanctitatem* caſto pudore „ cuſtodit. Hæc nos Deo ſervat, hæc filios regno, quos ge„ neravit, aſſignat. Quisquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ „ jungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Nec perveniet ad „ Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti. Alienus „ eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt. Habere jam non poteſt Deum „ patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. Si potuit eva„ dere quisquam; qui extra arcam Nöe fuit, & qui extra *Ec„ cleſiam* foris fuerit, evadit. Monet Dominus & dicit: *Qui „ non eſt mecum adversùs me eſt; & qui non mecum colligit, „ ſpargit.* Qui pacem Chriſti & concordiam rumpit adversùs „ Chriſtum facit. Qui alibi præter Eccleſiam colligit, Chriſti „ Eccleſiam ſpargit. Dicit Dominus: *Ego & Pater unum ſu„ mus.* Et iterum de Patre & Filio & Spiritu ſancto ſcriptum „ eſt: *Et hi tres unum ſunt.* Et quisquam credit hanc unitatem

„ de divina firmitate venientem, ſacramentis cæleſtibus cohærentem, ſcindi in Eccleſia poſſe & voluntatum collidentium divortio ſeparari? Hanc unitatem qui non tenet, *Dei legem* non tenet, non tenet Patris & Filii fidem, vitam non tenet & ſalutem." Dein. *pag.* 198. „Quam ſibi igitur pacem promittunt inimici fratrum, quæ ſacrificia celebrare ſe credunt æmuli ſacerdotum? An ſecum eſſe Chriſtum, cùm collecti fuerint, opinantur, qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur? Tales etiamſi occiſi in confeſſione nominis fuerint, macula iſta nec ſangvine abluitur. Inexpiabilis & gravis culpa diſcordiæ nec paſſione purgatur. *Eſſe* martyr non poteſt qui in Eccleſia non eſt. Ad regnum pervenire non poterit, qui eam, quæ regnatura eſt, derelinquit.... Cum Deo manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei unanimes noluerunt. Ardeant licèt flammis & ignibus traditi, vel objecti beſtiis animas ſuas ponant, non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ, nec religioſæ virtutis exitus glorioſus; ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt."

S. Auguſtinus Epiſt. 43. aliàs 162. ad Glorium, Eleuſium & alios *Cap.* 8. *n.* 24. „Non enim nobis diſplicent, quia tolerant malos; ſed quia intolerabiliter mali ſunt propter ſchisma, propter altare contra altare, propter ſeparationem ab hæreditate Chriſti toto orbe diffuſâ, ſicut tantò antè promiſſa eſt. Violatam pacem, conſciſſam unitatem, iterata Baptiſmata, exſufflata Sacramenta, quæ in ſceleratis quoque hominibus ſancta ſunt, plangimus & lugemus. Quæ ſi parvi pendant, intueantur exempla, quibus demonſtratum eſt quanti hæc penderit Deus. Qui fecerunt idolum, uſitatâ gladii morte perempti ſunt: qui verò ſchisma facere voluerunt, hiatu terræ principes devorati, &

„turbi

„ turba conſentiens igne conſumpta eſt. Diverſitate pœnarum, „ diverſitas agnoſcitur meritorum.” Idem *Tom. VII. Sermone ſuper geſtis cum Emerito Donatiſta*, *ultra med.* „ Salutem „ (*Emeritus*) non poteſt habere, niſi in Eccleſia Catholica: „ extra Eccleſiam totum poteſt, præter ſalutem: poteſt habere „ honorem, poteſt habere Sacramentum, poteſt cantare hal„ leluja, poteſt reſpondere Amen, *poteſt Evangelium tenere*, „ poteſt in nomine Patris & Filii & Spiritûs S. fidem & ha„ bere & prædicare, ſed nusquam niſi in Eccleſia Catholica „ ſalutem poterit invenire. ”

Exortâ celebri controverſiâ de legalium obſervatione, Apoſtoli rem ad Eccleſiam deferri voluerunt. Act. XV. ℣. 6. *Conveneruntque Apoſtoli, & Seniores videre de verbo hoc.* Quæſtione autem diligenter examinatâ, tandem decretum protulerunt his verbis: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis &c.* Ex eo tempore quotiescunque controverſiæ majoris momenti exortæ ſunt, Eccleſiæ Præſules, Apoſtolorum veſtigia prementes, vel in Conciliis particularibus, vel ſi commodè fieri poterat in generalibus, congregati eas definierunt. Sic in cauſa Arii Concilium Nicænum anno 325. coactum eſt; in cauſa Macedonii Conſtantinopolitanum anno 381. Epheſinum anno 431. contra Neſtorium; Chalcedonenſe contra Eutychen anno 451. & ita deinceps. Qui autem Synodi ſententiæ ſubſcribere recuſârunt, hoc ipſo fuerunt ab unitate præciſi. Porrò omnes Epiſcopi tum Orientis tum Occidentis inſignis injuſtitiæ & calumniæ fuiſſent rei, dum ita apud ſe Catholicam Eccleſiam conſtanter profeſſi ſunt, ut ab ejus ſinu omnes hæreticos, nemine contradicente, excluderent, eorundémque conſortia fugienda eſſe identidem inculcarent. Illuſoriæ etiam, falſæ, atque injuſtæ fuiſſent fidei profeſſiones, quas à tempore Concilii Nicæni ſemper ab hæreticis ad ovile reverturis utraque Eccleſia poſtulavit, ut nem-

pe

Digitized by Google

pe hæreſes, ab eadem Eccleſia Catholica damnatas & proſcriptas, ejurarent.

Equidem hæc à nonnullis Tolerantibus *de unitate fidei in articulis fundamentalibus* explicari volunt. At enimverò hi inter ſe nullo modo conveniunt de numero & qualitate horum articulorum. Sed nec hactenùs ulla certa regula conſtitui potuit, quâ ſine omni controverſia articulorum fundamentalium catalogus conſtitueretur; quos enim hi in fundamentalibus ponunt, illi ex eorum numero penitùs explodunt. Sed & perpetuo Eccleſiæ uſu hæc evaſio facilè præcluditur; ex quo conſtat, eos ſemper ab illa pro hæreticis habitos fuiſſe, qui *quibusvis doctrinis ab ipſâ damnatis* pertinaciter inſiſtebant. Exempla proſtant in Canone VIII. Concilii Nicæni I., nec non Canone VII. Concilii generalis Conſtantinopolitani I., in quō poſteriore Canone ab Arianis, Macedonianis, Sabbatianis, Novatianis, Quartodecimanis atque Apollinariſtis ſcripto exigebatur profeſſio Fidei, quâ omnem hæreſim anathematizarent, *quæ non ſentit, ſicut ſancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia.*

Quæſtio, quam nonnulli hac occaſione movent, an hæretici ſint Eccleſiæ membra, ſpeculativa magis eſt quàm utilis; ſufficit, & ex præmiſſis ſequitur, illos, quamdiu ſe definitionibus Eccleſiæ ſubmittere renuunt, ſalutem conſequi non poſſe. Attamen de iis, qui circa hæc in bona fide & inſuperabili errore ſunt, ſentimus cum S. Auguſtino memoratâ Epiſtolâ 43. ad Glorium mox in ingreſſu, ubi ita: *Dixit quidem Apoſtolus, Hæreticum hominem poſt unam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt ejusmodi & peccat & eſt à ſemetipſo damnatus. Sed qui ſententiam ſuam, quamvis falſam & perverſam, nullâ pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audaciâ præſumptionis ſuæ pepererunt, ſed à ſeductis atque in errorem lapſis parentibus acceperunt, quærunt autem cautâ ſollicitudine veritatem,*

tatem, corrigi parati, cùm invenerint; nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi. Tales ergo vos niſi eſſe crederem, nullas fortaſſe vobis litteras mitterem.

POSTULATUM SECUNDUM.

In quo Unitas Eccleſiæ conſiſtat.

Vera Chriſti Eccleſia multiplici modo una eſt: 1.) Una eſt *unitate principii*, hoc eſt Dei vocantis & juſtificantis juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. Cap. 4. ℣. 6. *Unus Deus & Pater omnium:* 2.) Una eſt *unitate finis ultimi:* nam ad unam & eandem vitam æternam vocati ſumus, éamque ſperamus, juxta illud Apoſtoli ibid. ℣. 4. *Sicut vocati eſtis in unâ ſpe vocationis veſtræ:* 3.) Una eſt *unitate mediorum*, per quæ poſſumus & debemus tendere ad vitam æternam, fidei ſcilicet, (quam Theologi nominare ſolent *unitatem doctrinæ*) legum & ſacramentorum, conformiter ad verba Apoſtoli l. cit. ℣. 5. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma:* 4.) Una eſt *unitate ſacrificii*, juxta illud Malachiæ Cap. 1. ℣. 11. *In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda:* cum enim dicit, *Oblatio*, non, *Oblationes*, apertè unitatem ſacrificii ſignificat: 5.) Una eſt *unitate cibi ſpiritualis*, teſte Apoſtolo ad Corinth. I. Cap. 10. ℣. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus:* 6.) Una eſt *unitate Capitis*, tum *inviſibilis*, juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. Cap. 1. ℣. 23. *Ipſum* (Chriſtum) *dedit* (Pater) *Caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius*: tum *viſibilis*, per illud Chriſti ad Petrum ejúsque ſucceſſores Joannis Cap. 21. ℣. 16. 17. *Paſce agnos meos . . . . Paſce oves meas.* Unde ad eundem Petrum Cap. 10. ℣. 16. Dominus dixerat, *fiet unum ovile &*

unus Paſtor &c. 7.) Una eſt ratione ſubjectionis reſpectu legitimorum Paſtorum; idcirco enim Paſtores à Chriſto dati ſunt, ut omnes occurramus in unitatem fidei: *Alios dedit .... Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, donec occurramus omnes in unitatem fidei.* ad Epheſ. 4. ℣. 11. 12. 13. 8.) Eſt una *unitate Spiritûs*, à quo, tanquam ab externo & ſeparato Rectore, gubernatur juxta illud Apoſtoli I. ad Corinth. Cap. 12. ℣. 4. *Diviſiones gratiarum ſunt: idem autem Spiritus:* dein ℣. 11. & 13. *hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult ... Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptiſati ſumus:* 9.) Una eſt unitate *Corporis moralis* tenore verborum Apoſtoli antè laudatorum: *unum Corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.*

POSTULATUM TERTIUM.

Petitur demonſtrari, quòd ad ſervandam Eccleſiæ unitatem viſibili Capite opus ſit.

Equidem textibus ſacræ Scripturæ Matth. XVI. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c.* Ibid. *Tibi dabo claves regni cælorum &c.* Porro Joannis XXI. *Paſce agnos meos, Paſce oves meas*, ſacræ Monarchiæ, &, quæ ad hanc referuntur, prætenſionibus Romanorum, nullum præſidium ferri, attamen *Petri Primatum* probari, aſſeruère Juſt. Febronius *Cap. I.* §. 2. Theodorus à Palude *itidem Cap. I.* §. 2. Daniel Bertonus *Tit. I.* §. 2. Ex iisdem Scripturæ locis eundem Primatum, in ordine ad ſtabiliendam ſervandámque in Eccleſia unitatem, colligit ac firmat S. Cyprianus *de Unitate Eccleſiæ Opp. edit. Baluz. pag.* 194. ubi: „ loquitur, inquit, Dominus ad Petrum: „ *Ego*

Digitized by Google

„ *Ego tibi dico, quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædifica-
„ bo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam.* Et
„ *tibi dabo claves regni cælorum; & quæ ligaveris ſuper terram,*
„ *erunt ligata & in cœlis; & quæcunque ſolveris ſuper terram,*
„ *erunt ſoluta & in cœlis.* Et iterum eidem poſt reſurrectionem
„ ſuam dicit: *Paſce oves meas.* Super illum unum ædificat Eccle-
„ ſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas. Et quamvis Apo-
„ ſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem
„ tribuat & dicat, *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos, ac-
„ cipite Spiritum ſanctum, ſi cujus remiſeritis peccata, remit-
„ tentur illi, ſi cujus retinueritis, retinebuntur*, tamen, ut
„ unitatem manifeſtaret, unitatis ejusdem originem ab uno
„ incipientem ſuâ auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique &
„ cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi
„ & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſ-
„ citur, & *PRIMATUS PETRO DATUR, ut una Chriſti
„ Eccleſia & Cathedra una monſtretur.* Et Paſtores ſunt omnes,
„ & grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus unanimi
„ conſenſione paſcatur, ut Eccleſia Chriſti una monſtretur.
„ Quam unam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiri-
„ tus ſanctus in perſonâ Domini deſignat & dicit: *Una eſt co-
„ lumba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ, electa genitrici
„ ſuæ.* Hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem
„ credit? Qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, qui Cathedram
„ Petri, ſuper quem fundata eſt Eccleſia deſerit, in Eccleſia
„ ſe eſſe confidit? quando & beatus Apoſtolus Paulus hoc
„ idem doceat & Sacramentum unitatis oſtendat dicens: *Unum
„ corpus & unus ſpiritus, una ſpes vocationis veſtræ, unus Do-
„ minus, una fides, unum baptiſma, unus Deus.* Quam unita-
„ tem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Epiſco-
„ pi, qui in Eccleſiâ præſidemus, ut Epiſcopatum quoque

 „ ipſum

„ ipſum unum atque indiviſum probemus. Nemo fraternita„ tem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfidâ prævaricatione corrumpat. Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis „ in ſolidum pars tenetur. Eccleſia quoque una eſt, quæ in „ multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur. „ Quomodo ſolis multi radii, ſed lumen unum, & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum, & „ cùm de fonte uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas, licèt „ diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen „ ſervatur in origine. Avelle radium ſolis à corpore, diviſionem unitas lucis non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præciſus areſcit. Sic & Eccleſia Domini luce perfusâ per orbem „ totum radios ſuos porrigit. Unum tamen lumen eſt, quod „ ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur. Ramos „ ſuos in univerſam terram copiâ ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latiùs expandit. *UNUM TAMEN CAPUT EST, ET ORIGO UNA*, & una Mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa."

Sanè verbis Chriſti *Tu es Petrus*, & quæ ſequuntur, nec non illis *Tibi dabo claves regni cœlorum*, ſi maturè ponderentur, aliqua prærogativa ſignificatur, quæ nullatenus fuit cæteris Apoſtolis communis. Quanquam enim omnibus Apoſtolis *claves regni cœlorum* datæ ſint, & ad omnes pertineant iſta Domini verba: *Paſce oves meas;* attamen ex ipſis his verbis elucet Petri prærogativa, quia S. Petro tanquam figuram Eccleſiæ gerenti, ac primum inter cæteros Paſtores locum occupanti, claves regni cœlorum, & regendas oves Chriſtus commiſit. Ad quid enim inter cæteros electus à Chriſto Petrus, ut in ejus perſonâ toti Eccleſiæ claves regni cœlorum daret, niſi quia Primatum in tota Eccleſia, Chriſto concedente, gerebat?

Sint ergo & dicantur reliqui Apoſtoli *Eccleſiæ fundamenta*, ſemper ſalva & integra vindicari debet Petro dignitas & prærogativa Primatûs. Inſuper cùm Joannis XXI. Dominus ſemel, iterùm & tertiò Petrum interrogâſſet: *Simon Joannis diligis me PLUS HIS?* reſpondiſſet autem Petrus: *Domine tu ſcis, quia amo te*, Chriſtus iteratò adjecit *Paſce agnos meos*, & tertiâ demum vice *Paſce oves meas.* Ut quid autem repetita hæc de amore interrogatio, repetitùmque paſcendi dominici gregis mandatum Petro datur, ſi nullum peculiare & à cæteris diſtinctum munus illi collatum fuiſſet?

In omni hominum collegio debet aliquis ordo ſervari, & neceſſe eſt aliquem primum inter plures eſſe; haud igitur dubium, quin in collegio Apoſtolico primus aliquis fuerit; ſed hunc Petrum fuiſſe, diſertè teſtantur Evangeliſtæ. Advertendum autem eſt, Petrum hunc primatum habere non potuiſſe, niſi Chriſto *inſtituente*, non autem approbante tantùm. Hunc etiam locum Petrum poſt Chriſti mortem retinuiſſe, conſtat ex Actis Apoſtolorum, ubi Cap. I. commemorantur omnes Apoſtoli, & inter eos primus nominatur Petrus; primus ibi cæteros alloquitur, & quid ſit faciendum præordinat; Cap. II. primus omnium Apoſtolorum Chriſtum annuntiat; & iterum Cap. III. ac IV. licèt comitem haberet Joannem, ſolus tamen orationem habet, ac pro ſe & pro ipſo reſpondet. Illud quoque extra omne dubium eſt, veteres omnes exiſtimâſſe, Petrum Apoſtolorum primum fuiſſe; innumeris id penè illorum teſtimoniis probari poſſet.

Porro Chriſtus Eccleſiam fundavit in æternum duraturam; ergò in ipſa inſtituit perpetuam regiminis formam, quæ non in S. Petro duntaxat, ſed & in ejus ſucceſſoribus eluceret. Itaque cùm certum ſit, Primatum eſſe propter Eccleſiam, non debuit moriente Petro interire, ſed perſeverare, quamdiu

Digitized by Google

manet Eccleſia. In hac ſucceſſione Primatûs duo diſtingvenda ſunt: *ſucceſſio ipſa*, & *ratio ſucceſſionis*; illa eſt ex ordinatione Chriſti, hæc ex inſtituto hominum; ſicut Epiſcopos eſſe in Eccleſia eſt ex jure divino & Chriſti inſtituto &c. *Romanum* Pontificem in Eccleſia hunc Primatum gerere, & ab exordio Eccleſiæ non interruptâ ſerie geſſiſſe haud difficulter probari poteſt; nullus etiam eſt, nec fuit unquam, qui ſe in Eccleſiæ Primatu Petri ſucceſſorem ullo modo aſſeruerit, vel pro tali habitus ſit præter, Epiſcopum Romanum.

Ipſa ratio ſtatûs Eccleſiæ tale Caput quadam eminentiore poteſtate inſtructum exigere videtur: Cùm enim Chriſtus Dominus in ſua Eccleſia regnum pacis, unitatis & concordiæ inſtituere voluerit, talem formam regiminis præſcribere debuit, quæ eſſet apprimè apta ad hanc communionem, pacem & concordiam conſervandam: quâ autem arte eam conſervari poſſe exiſtimabimus, niſi Caput quoddam Eccleſiæ eminentiori poteſtate prædítum ſupponamus, quod omnium Eccleſiarum ſollicitudinem portans, admonitione dociles contineat, rebelles & incorrigibiles extra corpus Eccleſiæ eſſe faciat; attamen in his ſe ita comportet, ut jura Epiſcoporum illæſa permaneant; hi enim auctoritati Primatis in iis ſolùm ſubjecti ſunt, quæ ad bonum & gubernationem univerſalis Eccleſiæ pertinent. Quâ demum ratione ſummus Pontifex pro ſervanda unitate ſuum Primatis officium explere debeat, ordinatim tradit Febronius *Cap. II. §. 12. n. 4.*

Sic explicatus Primatus ſuum in Scriptura habet legitimum ſolidúmque fundamentum, quod per Traditionem egregie declaratur ac firmatur. Etenim facilè demonſtrari poteſt, & perſæpè demonſtratum eſt, hunc Primatum non interruptè tam ab Oriente quàm ab Occidente, etiam ante pacem Eccleſiæ ab Imperatoribus datam, Romanis Pontificibus verbis & factis agnitum fuiſſe. Aſt

jam

Digitized by Google

jam reclamavit clar. Walchius *pag.* 190. ſe cum omnibus ſuæ communionis, in cauſis fidei omnem rejicere Traditionem. Liceat tamen nobis (ſiquidem de compoſitione inter Catholicos & Proteſtantes Febronio, pro quo nunc verba facimus, negotium eſt) hic in medium vocare celebrem Molanum Abbatem de Lockum in ſuis *Cogitationibus privatis de Methodo reunionis Eccleſiæ Proteſtantium cum Eccleſia Romano-Catholica* apud Boſſuetum *Opp. poſthum. Tom. I. p.* 70. ubi „ de Traditionibus, inquit, ſive Verbo Dei non ſcripto . . . . res compoſitu facilis, ſi dicamus, ſtatum controverſiæ inter nos „ (*Proteſtantes*) & Catholicos non eſſe, an dentur traditiones; „ ſed an per traditionem acceperit Eccleſia novum aliquem „ fidei articulum, ad ſalutem creditu ſub æternæ beatitudinis „ jacturâ neceſſarium, in Scripturâ neque totidem verbis, „ neque per bonam conſequentiam extantem. Poſterius negant Proteſtantes, non prius; ex quibus moderatiores admittunt, non ſolùm ipſam ſacram Scripturam nos Traditioni debere, ſed in articulis fundamentalibus genuinum & „ orthodoxum Scripturæ ſenſum; ut multa alia noſtratium „ Calixto, verbi gratiâ, Horneio, Chemnitio dudum memorata ex traditione dumtaxat cognoſcibilia taceamus. Sanè „ qui ex Proteſtantibus poſt Symbola Apoſtolorum, & S. „ Athanaſii, quinque priora Concilia œcumenica, unà cum „ Synodo Arauſicanâ, & Milevitanâ, conſenſum itidem primitivæ Eccleſiæ, ſi non plurium, quinque minimùm priorum ſæculorum, admittunt, pro Theologiæ principio ſecundario, ita ut articuli fundamentales non aliter, quàm „ illis ſæculis unanimi Doctorum conſenſu factum eſt, explicari debeant, de Traditionibus in Eccleſiâ Romanâ quid „ diſputent, vix habebunt. ”

Eſt

Eſt nobis hic negotium cum viris ſapientibus; quid autem prudentius quàm audire & ſequi hac in parte conſilium Vincentii Lirinenſis in Commonitorio I. Cap. 2. ita ſcribentis: *Quia ſacram Scripturam pro ipſa ſua altitudine non uno eodémque ſenſu univerſi accipiunt, ſed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius interpretatur; ut penè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris, Priſcillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Cæleſtius, aliter poſtremò Neſtorius. Atque idcirco multùm neceſſe eſt, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea, ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſûs normam dirigatur.* Idem anteà dixerat Euſebius Cæſar contra Marcellum Ancyr. Cap. 1. *Hæc .... præterquam quòd ſunt divinis literis conſignata, ſunt etiam adhuc majorem in modum confirmata per traditionem Catholicæ Eccleſiæ Dei à finibus ad fines terræ; quæ ex non ſcriptâ traditione ſacrarum Scripturarum teſtimonia confirmat & obſignat.*

POSTU-

POSTULATUM QUARTUM.

An ex proprietatibus Eccleſiæ Unitas ſola ſit, quæ Caput deſideret.

Veræ Eccleſiæ dotes ac proprietates ſunt 1.) *UNITAS*, de qua jam actum eſt. 2.) *SANCTITAS:* ideo S. Petrus Epiſt. I. Cap. 2. fideles appellat *genus electum*, *gentem ſanctam*, *populum acquiſitionis*. Eſt autem ſancta *ſanctitate doctrinæ* & profeſſionis; *ſanctitate eorum*, qui primùm eam fundaverunt; *gloriâ miraculorum*, quibus veritatem Chriſtianæ Eccleſiæ confirmavit Dominus. 3.) *CATHOLICITAS;* juxta illud S. Auguſtini Libro contra Epiſtolam fundamenti Cap. 4. *multa ſunt alia, quæ in ejus* (Catholicæ Eccleſiæ) *gremio me juſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium: tenet autoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, caritate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſâ Sede Petri Apoſtoli .... usque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum: tenet poſtremò IPSUM CATHOLICÆ NOMEN, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut cùm omnes Hæretici ſe CATHOLICOS dici velint, quærenti tamen peregrino alicubi, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum vel baſilicam ſuam vel domum audeat oſtendere.* Idipſum hodieque demonſtrant Inſtrumenta Pacis, & Conſtitutiones noſtri Imperii. 4.) *APOSTOLICITAS:* Apoſtolica autem dicitur Eccleſia, quæ ab Apoſtolis originem ducit, eandem cum ipſis doctrinam profitetur, & cujus Paſtores legitimam miſſionem & ſucceſſionem habent ab Apoſtolis non interruptam. *Brevem tibi apertámque animi mei ſententiam proferam; in illa eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata, usque ad diem*

hanc durat, ita S. Hieronymus in Dialogo contra Luceferianos in fine. His proprietatibus (quæ à Theologis communiter *Notæ Eccleſiæ* vocantur) annumerari poteſt 5.) *VISIBILITAS.* Viſibilis omninò eſt Eccleſia ſecundùm ſtatum ſuum exteriorem, ſeu ſecundùm Corpus, & quatenùs ſocietas eſt eorum, qui publicâ ejusdem fidei profeſſione, eorundem Sacramentorum & Paſtorum communione conjuncti ſunt; adeo autem conſpicua eſſe debet, ut non à filiis ſolum & domeſticis, ſed ab extraneis etiam, & iis qui ſunt extra ejus ſinum & ſocietatem dignoſci poſſit. Cùm enim Eccleſia eo præſertim fine à Chriſto inſtituta ſit, ut ſit columna & firmamentum veritatis, tenentur omnes ſub periculo æternæ damnationis ſe illi adjungere, & in ea usque ad finem perſeverare: at hæc fieri non poſſunt in Eccleſia inviſibili. *Hæc eſt civitas in monte poſita, quæ abſcondi non poteſt, quæ ſub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata*, inquit S. Auguſtinus Tom. VIII. Pſalm. 47. circ. init. Demum 6.) *PERPETUITAS* ſeu indefectibilitas Eccleſiæ, ſecundùm illam promiſſionem Chriſti Matth. ult. ℣. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus usque ad conſummationem ſæculi*, & conformiter ad ſimilitudinem petræ, ſuper quam ait ſe ſuam *ædificaturum Eccleſiam*; ut ejus inconcuſſam firmitatem ſignificaret: unde ſubjungit ſtatim, *Adversùs quam portæ inferi non prævalebunt.* Hanc indefectibilitatem in Eccleſia inviſibili conſtituere velle, eſſet in præcedentem quintam Eccleſiæ proprietatem impingere.

His ſingulis per plura probandis non immoror, tum quia hujus loci non eſt, tum quia Theologi Catholici ea fuſiùs & ſolidè tractare ſolent. Illud aſſero, omnes has Eccleſiæ proprietates, quæ indiſſolubili inter ſe vinculo nectuntur, ad ejus-

Digitized by Google

ejusdem Caput ſuas habere relationes tum utiles tum neceſſarias. a) Ut Eccleſia una ſit & talis toto orbe perſeveret, in mille occurrentiis, & tantùm non continuò, neceſſe eſt, ut ejus membra inter ſe communicent atque invicem referant; hoc autem fieri non poteſt niſi per unum commune medium ſeu correlationis Centrum. b) Puritas doctrinæ & Apoſtolicæ diſciplinæ non minùs pro tanta ingeniorùm diverſitate periclitabitur, & hæreſes prævalebunt, ſi non ſit communis Paſtor & Doctor, qui invigilet, inſtruat, ad Apoſtolicam doctrinæ normam devios reducat, Apoſtolicos Eccleſiæ ritus per omnes particulares Eccleſias ſuſtineat, demum rebelles ſecundùm Canones damnet. c) Catholicitatem ſeu univerſalitatem ſine Rectore & Capite communi corruere docent exempla omnium Sectariorum. Idem SS. Patres, qui declarant Eccleſiam Chriſti in totum terrarum orbem eſſe diffuſam, eandem cum Epiſcopo Romano communione junctam eſſe aſſeverant, uti S. Irenæus, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Optatus, S. Auguſtinus. d) Legitimam & non interruptam ſucceſſionem Epiſcoporum probant Eccleſiæ Catholicæ inde ab Apoſtolorum ævo, ſemper communicantium cum primo Paſtorum Capite Rom. Epiſcopo; hanc communionem cùm deſeruerint Proteſtantes, hinc carent legitimis Paſtoribus; quòd ſi in eodem nobiſcum nexu perſtitiſſent, nobis adjutorio fuiſſent ad auferenda eò citiùs perfectiúsque humana illa vitia, quæ temporis ſucceſſu eidem Capiti extrinſecùs adveniſſe illi nobiſcum queruntur; in quantum tamen ea in veritate vitia ſunt. e) In vera Chriſti Eccleſia Paſtores tenentur gubernare oves ſuas, eas docere, hortari & inſtruere, eis Sacramenta miniſtrare. Viciſſim tenentur oves Paſtores ſuos ſequi, vocem eorum audire, eis obtemperare, eos revereri. Item debet homo fratrem in ſe delin-

Tt 2 quen-

Digitized by Google

quentem, & à ſe correptum, atque reſipiſcere nolentem, deferre Prælatis Eccleſiæ, qui tenentur illum corripere, & contumacem à fidelium communione ſeparare. At nihil horum fieri poteſt in vera Chriſti Eccleſia, ſi non ſit viſibilis. Si enim Paſtores non noſcunt oves ſuas, quomodo poſſunt eas ducere, regere, docere &c. Si oves non noſcunt Paſtores ſuos, quomodo poſſunt eos ſequi, eorum vocem diſcernere, eis obtemperare, debitam eis exhibere reverentiam? Denique ſi vera Chriſti Eccleſia eſt collectio hominum inter ſe colligatorum per externam fidei Chriſtianæ profeſſionem, & eorundem Sacramentorum participationem ſub legitimorum Paſtorum externo regimine, non poteſt illa non eſſe viſibilis & conſpicua. Qualiter hæc Eccleſiæ viſibilitas in opus miniſterii ſui, & ad conſummationem ſanctorum egeat diverſis Miniſtrorum gradibus, & in hoc uno primo ſeu Capite, ex mox dicendis apparebit. f) Utitur Deus ad fines ſupernaturales conſequendos mediis humanis & naturalibus. Si quilibet Epiſcopus, quævis provincia Eccleſiaſtica, in Oriente & Occidente, in omnibus partibus terræ, ſuo relinqueretur judicio, citra viam & ſine mediis correlationis omnium cum omnibus, ſine directione ac motu communis Capitis, continuo miraculo opus foret, ad Eccleſiam *eſſentialiter unam* in perpetuo nexu & vigore ſervandam; quando ex contrario, prout res ex Chriſti inſtituto in Eccleſia Catholica ſunt, haec perpetuitas ſub uno Capite & Rectore (dummodo ille officio ſuo ex præſcripto SS. Canonum fungatur) ſuſtinetur & ſubſiſtit, ejectus & abſciſſis ab ea illis, qui divinum ac providum hunc ordinem turbare moliuntur.

Uni-

Digitized by Google

Unitas Corporis *Eccleſiæ* potiſſimùm percipitur per regimen, quod Salvator noſter inſtituit, & per illam ſubordinationem, quæ undique in unitate terminatur. Omnes fideles ejusdem parochiæ ſunt ſub cura & directione ſui Paſtoris: omnes parochi & parochiæ diœceſium ſuos habent paſtores communes, qui ſunt eorum Epiſcopi: & quamvis omnes Epiſcopi ſint æquales in epiſcopatu (etenim *Epiſcopatus*, juxta S. Cyprianum, *unus eſt*, & quilibet Epiſcopus ejus portionem tenet *in ſolidum*) & quamvis habeant idem cum Apoſtolis, quorum ſucceſſores ſunt, Sacerdotium, *pari conſortio & honoris & poteſtatis;* nihilominus ad repræſentandam eò perfectiùs unitatem Capitis inviſibilis, univerſalis & eſſentialis Eccleſiæ, qui eſt Chriſtus Jeſus, unus inter reliquos Epiſcopos divinitùs conſtitutus eſt, quem reliqui omnes tanquam Caput ſuum reſpiciant, qui ſit primus omnium Paſtorum, imago Jeſu Chriſti, Caput & Paſtor totius Eccleſiæ, Centrum, in quo omnes particulares Eccleſiæ per totum orbem diffuſæ reuniuntur, & per quod omnes Eccleſiæ inter ſe communicant. Hoc Caput eſt Epiſcopus Romanus, ſucceſſor S. Petri, in ejusdem cathedra poſitus, ſicut ille tanquam lapis principalis viſibilis, ſuper quo ædificium Eccleſiæ conſolidatur, ut viſibili auctoritate ſui miniſterii omnes ſacri hujus ædificii partes muniat & ſuſtentet.

POSTULATUM QUINTUM.

An conſtitutio Capitis in Eccleſia ſit unicum medium ſervandæ in illa Unitatis.

Debet eſſe medium ſervandæ in Eccleſia unitatis & puritatis fidei; proinde oportet, ut in ea ſit ſupremus ac ſufficiens controverſiarum fidei judex; hoc deficiente omnia ibunt in partes. *Si in exploranda Scripturæ intelligentia nullus eſt in Eccleſia certus judex, audeo dicere, rempublicam fuiſſe nullam ſtultiùs conſtitutam*, inquit Melchior Canus Lib. XII. de Locis Theol. Cap. 6. ℣. *Sit igitur.* Talis judex certus aut ſufficiens non eſt *a*) Scriptura ipſa, nec *b*) Spiritus privatus, neque *c*) Ratio humana.

I. Nemo neſcit ingentem illam controverſiarum ſegetem, quæ tum inter Catholicos & Proteſtantes, tum inter Proteſtantes ipſos, à multo jam tempore vigent: quælibet pars Scripturas ſibi patrocinari gloriatur: quæ uni teſtimonia clara videntur, ab altero reputantur obſcura; & quæ ab iſtis in ſuæ cauſæ patrocinium afferuntur, ab aliis diverſo & ſæpe contrario ſenſu explicantur. Obſervat acutè Nicolius, videri Deum voluiſſe ſenſibili funeſtâque experientiâ prædicatores claritatis Scripturarum confundere, permittendo, ut de omnibus ferè iis Religionis dogmatibus, quæ evidenter in Scripturis contineri jactant, mirè inter ſe diſſentientes luctarentur. *Obſcuram eſſe Scripturam ſacram, res eſt adeo evidens, ut nullum ſit Hæreticorum commentum iſto inſanius*, ſapienter dixit Natalis Alexander

xander Diſſert. XVI. in Sæc. II. §. 12. Adde ratiocinium Joannis Locke apud Febronium Cap. I. §. 9.

II. Cùm nemo teneatur alterius ſpiritui privato ſuum ſubmittere, tot emergent ſententiae & ſectæ quot capita, illúdque repeti poterit quod olim Tertullianus Libro Præſcriptionum Cap. 42. ajebat: *Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio ſuo fidem innovare.* Id quod reipſa inter Proteſtantes contigit; & quidem in rebus graviſſimis & capitalibus; dum E. gr. verba illa: *Hoc eſt corpus meum*, de reali corporis Chriſti præſentia Evangelici unà cum Luthero interpretantur; contra verò Zwingliani unà cum Reformatis de præſentia ſolùm figurata & ſpirituali, &c. Longum eſſet dicere de paradoxis & monſtroſis opinionibus, quæ fermè quotidie ex ſpiritu privato apud Heterodoxos naſcuntur; & quis inter eos, qui etiam in ſubſtantialibus inter ſe diſſentiunt, litem dijudicabit? Spiritui privato unius alter ſpiritum ſuum privatum opponet, & unusquisque ab altero ſciſcitabitur, quemadmodum à Michæa ſciſcitabatur Pſeudo propheta Sedecias: *Per quam viam tranſivit ſpiritus Domini à me, ut loqueretur tibi?* II. Paralip. 18. ℣. 23.

III. In Religionis negotio ſuus debet eſſe humanæ Rationi locus; danda tamen eſt opera, ne hæc debitos ſibi fines audaciùs prætergrediatur, & ſuprema Revelationis jura invadat. *Fides* juxta Apoſtolum ad Hebr. 11. *eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium:* rerum nempe, quæ nullo rationis argumento probari poſſunt. Adversùs hoc Religionis principium quidam eò progreſſi ſunt, ut nihil credendum ſtatuerent, niſi quod infirmis & caligantibus rationis oculis

Digitized by Google

oculis verum appareat. Hinc Rationem unicam eſſe volunt ſacræ Scripturæ interpretandæ regulam. Secus S. Auguſtinus Tract. XX. in Joan. *Credimus*, inquit, *ut cognoſcamus*, *non cognoſcimus ut credamus. Quid eſt enim fides*, *niſi credere quod non vides?* Qui plura de his cupit, Theologos noſtros adeat.

Miſſis itaque incertis his controverſiarum fidei judicibus & ſacræ Scripturæ interpretibus, certum nobis & infallibilem dedit Chriſtus per verba Apoſtoli *I. ad Timoth.* 3. ℣. 14.*ſeqq.* qui poſt nonnulla monita Timotheo data ità concludit: *Hæc tibi ſcribo . . . . ut ſcias*, *quomodo oporteat te in domo Dei converſari*, *quæ eſt Eccleſia Dei vivi*, *columna & firmamentum veritatis.* Ideo quotiescunque aliqua exorta eſt hæreſis, judicium ad Eccleſiæ tribunal delatum eſt; & qui ejus ſententiæ ſubſcribere recusârunt, hoc ipſo fuerunt ab unitate præciſi. Triplici autem modo Eccleſia in cauſis fidei judicat, & per hoc unitatem ſervat: 1.) in Conciliis generalibus, in quibus ſummus Pontifex vi ſui Primatûs regulariter præſidet: 2.) per Romanos Pontifices, quorum ſententiæ extra Concilium ſubſcribunt Epiſcopi. Sic in cauſa Paſchatis ante alios emicat Victor PP.; in cauſa Baptiſmi Hæreticorum Stephanus; in cauſa Maecorum Zephirinus; in cauſa Dionyſii Alexandrini Dionyſius Romanus; in cauſa Donatiſtarum Miltiades; in cauſa Athanaſii Julius; in cauſa Arianae haereſeos Romani potiſſimùm Praeſules Occidentem in fide ſtatim retinent, Orientem ad fidem revocant; Jovinianum unus Siricius confodit, cujus judicium ſequitur Ambroſius cum aliis Provinciae Mediolanenſis Epiſcopis; &c. 3.) per privatos etiam Epiſcopos, ſive extra, ſive in Conciliis particularibus, reliquis expreſsè vel tacitè conſentientibus. Ita docet S. Auguſtinus Lib. IV. ad Bonifac. Cap. ult.

Digitized by Google

ult. ubi *Quaſi*, inquit, *nulla hæreſis aliquando ſine Synodi congregatione damnata ſit: cùm potiùs rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit, multòque ſint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruèrunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt.* Et verò Menander, Ebio, Cerinthus, Nicolaitæ, Carpocrates, Cerdo, Marcion, aliæque id genus peſtes innumeræ, ſine Conciliis damnatæ ſunt. Sed neque Eccleſiæ aut alicujus Concilii aut R. Pontificis ſententiam exſpectârunt, ut Manichæos, Ophitas, Tertullianiſtas, aliáſque manifeſtè impias, ſive obſcuras levéſque ſectas per loca excitatas aut horrerent, aut contemnerent; non quaſi ſingulares Eccleſiæ infallibili authoritate potiantur. Sed quòd ultima & ineluctabilis hæc vis conſiſtat in unitate & conſenſione Eccleſiarum, inter quas primæ partes ſemper ſunt Romanæ.

Ut poſt hæc paucis reſpondeamus ad propoſitam quæſtionem, dicimus, conſtitutionem Capitis non eſſe unicum medium ſervandæ in Eccleſia unitatis, attamen tale, ſine quo reliqua plerumque manerent ſine fructu & effectu.

Digitized by Google

POSTULATUM SEXTUM.

An termini hujus medii habiles ſint & commenſurati ad prætenſum Unitatis finem.

Non me latet, à Proteſtantibus nobis objici, hoc remedio non obſtante, ducentes hæreſes, ipſo teſte Bellarmino, diverſis temporibus Eccleſiam decerpſiſſe. Verùm latum eſt diſcrimen, quod hac in parte Eccleſiam inter Romanam & cæteras omnes Communiones intercedit. Etenim quando inter nos erroneæ & monſtroſæ opiniones à maleferiatis hominibus vel novæ prodeunt, vel jam antiquatæ revocantur. Si Epiſcopus, in cujus diœceſi talia enaſcuntur, ejusque authoritas ad illa ſupprimenda non ſufficiat, ille, qui in Centro Eccleſiæ ſedet tanquam Primas, eadem quoque examinat, & pro re nata damnat; ſiquidem illius in fidei quæſtionibus non ſolùm primæ partes ſunt, ſed & (uti rectè Clerus Gallicanus in celebri ſua Declaratione anni 1682. edixit) ejusdem *Decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinent.* Equidem ipſius judicium hactenus irreformabile non eſt, attamen (uti jam diximus) tale efficitur, *cùm Eccleſiæ conſenſus acceſſerit;* ſive ille conſenſus accedat per medium univerſalis Concilii, ſive absque eo, uti ſæpius factum eſt. Huic Eccleſiæ judicio omnes tenentur faſces ſubmittere; hoc qui non faciunt, jam extra Eccleſiam ſunt, & diſcordiæ facem procul à nobis agitant. Non ſic apud Proteſtantes; quando inter hos ejusmodi diſſenſiones oriuntur, nullâ ex ratione præpediri, nullâ extingui poſſunt, cùm non ſit cui cum authoritate incumbat ſollicitudo omnium in diverſis regnis ac provinciis ſitarum Eccleſiarum ſuæ Confeſſionis.

De

Digitized by Google

De cætero habet ille, qui in ſuprema Eccleſiæ Catholicæ ſpecula ſedet, jus & obligationem devios admonendi; habet facultatem, ſi eum non audierint, excommunicandi ſuo & Eccleſiæ nomine; quod tamen eâ prudentiâ, eâ legalitate facere tenetur, ut Eccleſia non habeat juſtam cauſam adversùs talem cenſuram reclamandi. Quòd ſi ſic admonitus, imò à corpore Eccleſiæ excluſus non reſipiſcat, comparandus erit ægroto, qui medicamenta ſibi à medico propinata abjiciens, ſi non ſanatur, per hoc non probat pharmaca fuiſſe inefficacia.

Quòd ſi etiam ſuâ ex parte ſummus Pontifex ſuo Primatûs munere contra Canones à Chriſto & ab Eccleſia præſcriptos ſubinde abutatur (homo enim eſt); inde æque ſiniſtrè inferretur, inſtitutionem hujus ſublimis officii non habere pro fine Unitatem Eccleſiæ, aut illud huic fini non eſſe commenſuratum. Sed vel ideo non deſtituitur Eccleſia mediis, eiſque legitimis, Papam deviantem ad metam ſui muneris reducendi. De his mediis ſatis egit Febronius.

Digitized by Google

POSTULATUM SEPTIMUM.

Cum Febronius ad noſcendos Primatûs fines duo hæc axiomata ponat: a.) *Quæ ante receptionem falſarum Decretalium conſtante uſu ſervata,* b.) *Quæ ſemper & ubique Romano Pontifici quà Primati agnita ſunt, ea omnia & ſola ad Primatûs jura & officium ſpectare noſcuntur: horum autem principiorum primum à Proteſtantibus non admittatur, alterum Romanis minùs arrideat, ſic magìs convincentia huc deſiderantur.*

Multùm intereſt ut authoritati ſummi Pontificis juſtos fines aſſignemus; ſi nimium ei tribuamus, orientur juſtæ Epiſcoporum aliorúmque contradictiones, & Proteſtantes ab illius obedientia alienabuntur culpâ noſtrâ; ſi infra juſtum ejus poteſtatem deprimamus, langvida erit & inefficax. In medio virtus. Nos Pontificiam dignitatem æſtimamus 1.) ex *perpetua* Sedis Apoſtolicæ Traditione. 2.) Ex Florentinæ Synodi Decreto, quo Pontifex Eccleſiam debet regere; *Quemadmodum & in actis Conciliorum œcumenicorum, & in ſacris Canonibus continetur:* 3.) Ex illo Tridentinæ profeſſionis fidei articulo, ubi ſic juramus: *Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam & interpretabor.* Hæc pro *ROMANIS.*

Quod

Digitized by Google

Quod ad *PROTESTANTES* attinet, meminerint hi, Molanum Abbatem de Lockum in Conferentiis pro reunione habitis declarâſſe, Proteſtantes Catholicis circa Primatum Romani Pontificis facilè conſenſuros, ſi omnibus ea probarentur quæ Ellies du Pin in ſuis Diſſertationibus de antiqua Eccleſiæ Diſciplina ex Gallicanæ Eccleſiæ ſententia protulit. Vid. Boſſueti *Opp. poſthuma Tom. I. pag.* 123. Porro Dupinii doctrina circa hæc ſequens eſt *pag.* 335. „ Ex hoc Primatu Rom. „ Pontificis fluunt multæ prærogativæ quae ipſi non ſecus ac „ Primatui *jure divino* competunt. *Prima* eáque potiſſima eſt „ curam habere, ut per univerſum orbem Canones obſerventur, útque fides illibata cuſtodiatur. Atque ob id poteſtatem habere, uti pœnis eccleſiaſticis per ipſos Canones ſtatutis, & refragantes ad id compellere . . . . At ſi pertinacius eſſet malum, nec tantae Sedis judicio poſſet omnino „ extingui ob contumaciam Haereticorum vel Schismaticorum, „ cùm neceſſe ſit hoc in caſu Concilium generale congregari, „ nemo dubitare poteſt, quin *ſecundo* loco Rom. Pontifex vi „ Primatûs ſui potuerit ad hujusmodi Concilium Epiſcopos „ convocare, ut infallibili ejus autoritate controverſia terminaretur. *Tertiò* licèt Romani Pontificis definitiones de fide „ & moribus non ſint omninò infallibiles, ſunt tamen magni „ apud omnes momenti, & univerſam ſpectant Eccleſiam. „ Atque hinc ſingulae privatim Eccleſiae magnam ejus definitionibus reverentiam praeſtare debent, nec poſſunt pro „ libito eas vel contemnere, vel rejicere. *Quartò* licèt R. „ Pontifex non ſit ſolus omnium controverſiarum judex, „ ſunt tamen ejus praecipuae in judicando partes, nec quidquam in Eccleſia magni momenti definiri par eſt, quod „ non ad ipſum referatur vel de quo non conſulatur. In-

„ numera ſunt ejusmodi relationum & conſultationum exem-
„ pla, quae aliàs retulimus, nec hic repetere neceſſe eſt.
„ *Quintò* Theologi noſtri cenſent R. Pontificem à legibus, à
„ Conciliis etiam generalibus latis, ſapienter diſpenſare poſſe
„ eo in caſu, quo Concilium ipſum diſpenſaret; nec non
„ agnoſcunt, ipſum leges generales poſſe condere, & toti
„ Eccleſiae obſervandas proponere, ſed quae vim non habeant,
„ niſi ſint promulgatae & receptae communi omnium conſen-
„ ſu. *Sextò* ajunt proœdriam in Conciliis ipſi quidem ex
„ convenientia deberi, ſed non ex neceſſitate, quandoqui-
„ dem tribus primis Conciliis generalibus non praefuit." Hae ſecundùm Dupinium ſunt omnes Papae praerogativae, quibus mox ſubjungit illas, quae à nonnullis nullo jure ei tribuuntur, qualia ſunt infallibilitas, ſuperioritas ſupra Concilium, jus ordinationum extra Patriarchatûs ſui limites, jus in temporalia Regum &c.

A Proteſtantibus revertamur ad *ROMANOS*. Nolent hi Dupinium, cujus Opera vaticano fulmine aduſta ſunt, admittere pro arbitro. Eſto! Proponemus in ejus locum alium egregium Theologum neque in hac neque in quavis alia materia Catholicis ſuſpectum, Petrum Collet Tournelyanae Theologiae continuatorem & abbreviatorem. Is Tomo II. ſuarum Inſtitutionum Theologicarum de juribus Primatûs ſummae Sedis tractans, ea *pag.* 526. ad ſequentia reſtringit, ajens: „ Qui ſaniùs ſentiunt, Rom. Primatûs praerogati-
„ vas in his reponunt. 1.) Rom. Pontifici tanquam Capiti
„ omnium Eccleſiarum ſollicitudinem incumbere: Ipſius eſſe
„ invigilare Canonum executioni per totum orbem Chriſtia-
„ num, ac rebelles pœnis canonicis coërcere . . . . 2.) De-
„ creta

„ creta R. Pontificis in cauſis fidei & morum ad omnes Ec-
„ cleſias pertinere, ac Chriſtianos omnes ex conſcientia teneri
„ ipſis obtemperare. Quanquam enim infallibilis non ſup-
„ ponatur R. Pontifex, proviſoriè tamen ipſius Decretis,
„ quae apud omnes bonos maximi ponderis eſſe debent, ob-
„ ſequendum eſt, ſaltem, ùt ait Gerſo, *ad non dogmatiſan-*
„ *dum contrarium*, quamdiu Eccleſia non reclamat. 3.) In
„ controverſiis fidei praecipuas eſſe ſummi Pontificis partes,
„ nec quidquam in Eccleſia magni momenti definiri debere,
„ quod ad ipſum non referatur . . . . 4.) Eum diſpenſare
„ poſſe à legibus, etiam à Concilio generali latis, in iis ca-
„ ſibus, in quibus diſpenſaret ipſum Concilium, & juxta re-
„ gulas diſpenſationum præſcriptas in Conciliis. 5.) R. Pon-
„ tificem ratione Primatûs jus habere Concilia convocandi,
„ & ipſis per ſe vel per Legatos ſuos præſidendi." Colleto addamus Ludovicum Habert Sorbonæ Doctorem, qui Theologiæ Dogmaticæ & Moralis *Tom. VII. p. m.* 303. omnes prærogativas R. Pontifici ex jure divino competentes in ſequentibus reponit: 1.) Invigilare ut Eccleſiæ decreta, tum circa fidem, tum circa mores, illibata ſerventur. 2.) Tueri Epiſcopos adversùs eos, qui vel eos injuſtè opprimunt, vel illorum juribus detrahunt. 3.) Judicare de controverſiis fidei & morum, tum maximè, cùm Epiſcopi inter ſe diſſentiunt, vel pares non ſunt, ad illas ſopiendas; *accedente conſenſu Eccleſiarum.* 4.) Ubi privatis Eccleſiis judicio ſummi Pontificis non acquieſcentibus, mota controverſia magìs exardeſcit, indicere Concilium generale eique præſidere.

Con-

Conferantur nunc Colletus & Habertus cum Dupinio, Dupinius cum Colleto & Haberto; acquieſcant Proteſtantes Dupinio, interprete Molano; Romani Colleto atque Haberto; & impletum erit, ſaltem quoad hoc, reunire volentis Febronii votum.

Meum propoſitum eſt antiquos legere, probare ſingula, retinere quæ bona ſunt, & à fide Eccleſiæ Catholicæ non recedere.

S. HIERONYMUS Epiſt. ad Minerv. Opp. Tom. IV. P. I. col. 220.

ADDENDA.

Digitized by Google

ADDENDA.

pag. 13. lin. 8.

Card. Perronius propoſitiones in Richerii libello improbatas has ſcripſit ad Caſaubonum: *Quòd Presbyteri cum Epiſcopis ariſtocratici regiminis more in partem Eccleſiaſticæ adminiſtrationis vocentur; quòd electiones jure divino nitantur, ex quo conſequatur, à Regibus, qui Antiſtites deſignent, contra jus divinum peccari; quòd regimen ariſtocraticum omnium ſit optimum, & naturæ convenientiſſimum, in quo directè ſtatus monarchicus impugnetur; quòd omnis Principatus à ſubjecti populi conſenſu pendeat; quòd Deus influat in ſuppoſita analogicè, hoc eſt, in civitates ac regna, ipſámque communitatem priùs ac propriùs ac principaliùs, quàm in partes, quæ non aliter agant quàm ùt inſtrumenta eorum ſuppoſitorum & communitatum, quo fiat, ut Principes ac Reges non ipſi regerent, ſed Communitas per ipſos tanquam adminiſtros.* Sic refert Boſſuetus Defenſione Declar. Cleri Gall. Lib. X. Cap. 25. ubi inſimul memorat, Duvallium adversùs Richerium ſcripſiſſe *animo infenſiſſimo.* Richerii doctrinæ falſæ, quæ?

pag. 47. ad finem §. 5.

Merentur hìc locum & attentionem exempla privilegiorum Sedi Apoſtolicæ ob memoriam ſeu in reverentiam beati Petri per Canones & Concilia additorum, quæ pro parte recenſentur à Baluzio ex Schedis ipſiúsmet Petri de Marca ad ejus- Multa Romano Primatui ab hominibus addita.

ejuſdem *Lib. III. Cap.* 16. *pag.* 201. *in Addit.* ubi poſtquam relata eſſent verba Concilii Triburienſis an. 895. C. 30. *in memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus Romanam & Apoſtolicam Sedem; ut quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat magiſtra Eccleſiaſticæ rationis. Quare ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas; ut licèt vix ferendum ab illa ſancta Sede imponatur jugum, conferamus, & piâ devotione toleremus:* Baluzius ſic proſequitur : „ Magni momenti ſunt verba iſtius „ Capituli. Nam cùm auctor vellet gratificari Romano Pon„ tifici in cauſis eccleſiaſticæ diſciplinæ, viderétque hoc pacto „ nonnulla tentari contra conſuetudines receptas, uſus eſt „ eâdem dexteritate, qua uſus olim erat in Concilio Sardicen„ ſi Oſius Cordubenſis Epiſcopus, ut Epiſcoporum dejecto„ rum appellationes ad Romanam Sedem apportari procura„ ret ab ea Synodo, nimirum adductâ reverentiâ, quæ B. „ Petro Sedíque ejus debetur. Sed ut res iſta clariùs eluceſ„ cat, adferenda ſunt ipſámet Oſii verba ex Canone III. Con„ cilii Sardicenſis. *Quòd ſi aliquis Epiſcopus,* inquit, *judica„ tus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere „ ut iterum Concilium renovetur, ſi vobis placet, ſancti Petri „ Apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur ab his qui cauſam „ examinârunt Julio Romano Pontifici.* Hujus novam eſſe „ inſtitutionem Marca probat ex his verbis in Lib. VII. Cap. „ 3. §. 8. ubi obſervat, Oſium non dicere confirmandam eſſe „ antiquam traditionem, quemadmodum fieri conſuevit in „ negotiis quæ renovatione tantùm aut obſervatione indigent. „ Sic in Capite illo Concilii Triburien. auctor ait, ſervandam „ eſſe cum manſuetudine humilitatem, ut licèt vix ferendum „ ab illa ſancta Sede imponatur jugum, feratur tamen ob me„ moriam B. Petri Apoſtoli, ob quam honoranda eſt Ro-

„ mana

„ mana & Apoſtolica Sedes. Sic in Concilio Remenſi ad-
„ versùs Arnulphum Cap. 28. Arnulphus Aurelianenſis Epi-
„ ſcopus dixit: *Nos verò reverendiſſimi Patres, Romanam Ec-*
„ *cleſiam propter beati Petri memoriam ſemper honorandam de-*
„ *cernimus, nec decretis Romanorum Pontificum obviare conten-*
„ *dimus; ſalvâ tamen auctoritate Nicæni Concilii, quod eadem*
„ *Romana Eccleſia ſemper venerata eſt.* Eâdem prudentiâ uſus
„ eſt Bonifacius Sedis Apoſtolicæ per Germaniam Legatus,
„ cùm Epiſcopos in legatione ſuâ conſiſtentes jurejurando ade-
„ git polliceri ſubjectionem Romano Pontifici, aliáque non-
„ nulla tentavit contra priſcum morem. Quod adeo gratum
„ fuit Romanis auribus, ut nuntiis à Bonifacio miſſis, qui
„ de rebus iſtis certiorem facerent Romanam Eccleſiam, ma-
„ xima gratulatio facta fuerit. Teſtatur id ipſemet Bonifa-
„ cius in Epiſtola 105. quæ data eſt ad Cudbertum Cantua-
„ rienſem Archiepiſcopum, in qua hæc leguntur: *Decrevi-*
„ *mus autem in noſtro Synodali conventu, & confeſſi ſumus fi-*
„ *dem catholicam & unitatem & ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ*
„ *fine tenus vitæ noſtræ velle ſervare, ſancto Petro & Vicario*
„ *ejus velle ſubjici, Synodum per omnes annos velle congregare,*
„ *Metropolitanos Pallia ab illa Sede quærere, & per omnia præ-*
„ *cepta Petri canonicè ſequi deſiderare, ut inter oves ſibi com-*
„ *mendatas numeremur. Et iſti confeſſioni univerſi conſenſimus*
„ *& ſubſcripſimus, & ad corpus ſancti Petri Principis Apoſto-*
„ *lorum direximus. Quod gratulando Clerus & Pontifex Ro-*
„ *manus ſuſcepit.* Hanc formulam ſequens ætas ſervavit in
„ profeſſionibus Epiſcoporum. Quin etiam in formula jura-
„ menti, quod Epiſcopi præſtare tenentur Pontifici Roma-
„ no, Gregorius VII. ejus inventor retinendum putavit bea-
„ ti Petri nomen ob reverentiam nominis Apoſtolici. Extat in

Digitized by Google

„ Regeſto Gregorii VII. & in libris Decretalium. Vide Notas ad Capitularia Caroli M. pag. 1055. ”

Cæterùm circa eum, quem ſuprà ex Triburienſi Synodo dedimus Canonem (quem etiam Gratianus ſuo Decreto inſeruit *Diſt. XIX. Can.* 3.) obſervandum venit, quòd quanquam ille ſingularem erga Romanam Sedem & Pontificum ejus mandata reverentiam inſtillet, usque adeo, ut ob memoriam B. Petri *jugum VIX ferendum PIA DEVOTIONE* ſuſcipi velit; attamen hoc non impediat, quominus Pontificum Decreta juri aut Provinciarum uſibus minùs conformia valeant repudiari. Imò ex eodémmet Canone à contrario colligi poteſt, decretum R. Pontificis utilitati publicæ contrarium ferri non debere, atque adeo ſitum eſſe in poteſtate populi, ut à ſe jugum illud amoveat. Sed & illud ex hoc Canone intelligitur, eo etiam ævo gravitatem jugi Papalis ſentitam fuiſſe; imò jam ſub regimine Caroli magni; etenim eundem Canonem inter Capitularia hujus Imperatoris, anno I. imperii ejus, jam refert Baluzius *Tom. I. Capitularium pag.* 357.

pag. 98. in fine.

Eccleſiæ primitus traditione regebantur. Ex his traditionibus Apoſtolicarum Eccleſiarum conſcripti Canones Apoſtolorum, à Latinis ſerò, neque ſimul omnes in authoritatem adciti. Ne labente tempore à priſcis inſtitutis deflecteretur, aut aliquid novæ difficultatis occurreret, conditi ſunt poſtea Canones per provincias aut in univerſalibus Synodis. Exhibebant autem ſibi Eccleſiæ id honoris mutuò, ut ſtatuta ab aliis alii plerumque ùt ſua ducerent, à communi ſcilicet profecta

fecta ſpiritu. Hæc origo Canonum. Horum executionem prima & Apoſtolica Sedes ubique terrarum urgebat. Hinc ortæ Epiſtolæ Decretales, de quibus Hincmarus Epiſt. 41. ad Adrianum Papam Opp. Tom. II. pag. 692. *ſunt Leges & Canones, ac Decreta Sedis Apoſtolicæ* EX IISDEM CANONIBUS PROMULGATA; & paulò pòſt pag. ſeq. *Sedis Romanæ Pontifices in Decretis ſuis* EX SACRIS CANONIBUS PROMULGATIS *dicunt &c.* Eodem ſenſu Patres Concilii Ponticonenſis anni 876. apud Harduinum Tom. VI. col. 167. *Quorum* (Epiſcoporum) *reſponſio talis fuit, ut ſervato ſingulis Metropolitanis jure privilegii, ſecundùm ſacros Canones, & juxta Decreta Sedis Romanæ Pontificum* EX EISDEM SACRIS CANONIBUS PROMULGATA, *domni Joannis Papæ Apoſtolici juſſionibus obedirent.*

Epiſtolæ Decretales non obligant niſi receptæ.

Itaque Epiſcopi & quicunque alii tenentur obedire RR. Pontificum decretis ac mandatis, quatenus ex communibus Eccleſiæ Canonibus deprompta ſunt, & ad horum executionem pertinent. Eo ſenſu Xixtus PP. III. ſcripſit Epiſt. X. ad totius Illirici Epiſcopos num. 3. *à Canonum præceptis veſtrûm nemo diſcedat; nec ab his deviet, quæ* JUXTA REGULARUM ORDINEM *frequens ad vos directa Sedis Apoſtolicæ decrevit autoritas*, apud Couſtantium Epiſt. RR. PP. col. 1272. Sic ea, quæ ſcribebant, ac per univerſas mittebant Eccleſias, & è Canonibus deprompta erant, & Canonum executioni ſerviebant.

Porro naturale eſt, ut qui Canones firmarent & exequerentur, iidem illos, cùm opus eſſet, reſectis dubiis interpretarentur, & pro tempore ſancirent quæ Canonibus congrua

grua viderentur. At cùm in conſtituendâ Ecclesiaſticâ Diſciplinâ univerſalis aſſenſus poſtularetur, ſic eæ Pontificum Decretales, quæ pro Canonum executione & dubiorum interpretatione, vel etiam pro novorum ſanctione emanârunt, in authoritatem antè admiſſæ non ſunt, quàm *probatæ*, hoc eſt communi uſu & conſenſu receptæ eſſent. Eò pertinet quod in ingreſſu ſummi Pontificatûs electi Epiſcopi Romani olim jurabant: nempe *ut cuſtodirent Decreta Canonica prædeceſſorum Apoſtolicorum Pontificum*, ea, *quæcunque ipſi Synodaliter ſtatuerunt*, *ET PROBATA SUNT*. In libro diurno Romanorum Pontificum pag. 42. edit. Vindobon. an. 1762.

Sanè Galli ſe ſolis illis Canonibus ligari putaverunt, qui uſu recepti eſſent. Hoc teſtatur Philippus Rex Francorum in Pragmatica, qua anno 1312. Aurelianenſi Academiæ quædam privilegia indulſit, apud Franciſcum Florens Opp. Jurid. Tom. I. pag. 35. edit. an. 1679. ubi: *Non putet igitur aliquis nos recipere, vel Progenitores noſtros recepiſſe conſuetudines quaslibet, ſive leges ex eo, quòd eas in diverſis locis & ſtudiis regni noſtri per ſcholaſticos legi ſinantur. Multa namque eruditioni & doctrinæ proficiunt, licèt recepta non fuerint: nec Eccleſia recipit quàm plures Canones, qui per deſuetudinem abierunt, VEL AB INITIO NON FUERE RECEPTI; licèt in ſcholis à ſtudioſis propter eruditionem legantur. Scire namque ſenſus, ritus & mores hominum diverſorum, locorum & temporum valde proficit ad uniuscujusque doctrinam.*

pag.

pag. 115. lin. 17.

Ipſe Bellarminus *de Conciliis Lib. I. Cap.* 11. Conciliorum neceſſitatem agnoſcit, dum ita ſcribit: „ Medium *ordinarium*, „ ac proinde *neceſſarium* eſſe Concilium, magnum aut parvum, unum vel plura, prout ipſe judicaverit, facilè pro„ bari poteſt. *Primùm* ex divina illa promiſſione Matth. „ XVIII. *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo,* „ *illic ſum in medio eorum.* Hunc enim locum de Conciliis „ intelligit Synodus Chalcedonenſis in Epiſt. ad Leonem, & „ aliæ Synodi, quas ſequenti libro adferemus. *Secundò*, ex „ facto Apoſtolorum, qui cùm poſſent etiam ſeorſim ſinguli „ definire controverſias, tamen ne viderentur negligere *me-* „ *dium ordinarium, & à Chriſto ipſo demonſtratum*, non ſine „ Concilio controverſiam de legalibus Antiochiæ exortam de„ finire voluerunt. Act. XV. *Tertiò*, ex conſuetudine to„ tius Eccleſiæ, atque omnium ſæculorum. Semper enim „ fuit in Eccleſia iſta conſuetudo, ut ad res dubias explican„ das Concilia Epiſcoporum haberentur. Et ipſi etiam Ro„ mani Pontifices nullam umquam hæreſim novam ſine novo „ Concilio damnaverunt, ùt cognoſcere poterit, qui vel to„ mos Conciliorum, vel Hiſtorias Eccleſiaſticas evolvere „ voluerit. Quod autem ſemper & ab omnibus factum eſt, „ quis negare audebit, ordinarium dici poſſe, & revera eſſe?

Conciliorum neceſſitas.

pag. 122. in fine §. 2.

Conſtantienſis Synodus Seſſ. XXXIX. in Cap. *Frequens.* Pontificibus legem figit, eámque multiplicem. Primò enim decernit, ut ſummus Pontifex certis temporibus, ſcilicet quovis

vis decennio Synodum generalem habeat: deinde ut in fine cujusque Concilii futuro Concilio locum aſſignare teneatur: tum ne id faciat, niſi conſentiente & approbante Concilio: poſtea ut in defectum Pontificis ab ipſo Concilio is locus aſſignetur, valeátque convocatio etiam ſine Pontifice facta à Concilio: poſtremò ut Pontifex quidem tempus Concilio præſtitutum abbreviare poſſit, non autem prorogare. Quibus autem Pontificibus Concilium hic legem dat? An dubiis tantùm ac pro tempore ſchismatis? Abſurdum! cùm hæc nullâ ſchismatis attentione perpetuo edicto ſanciantur exequenda. Hoc etiam decretum Martinus V. jam electus, jam agnitus, jam indubitatus Pontifex eſt executus. Cur autem Patres Seſſione XXXIX. omnibus Pontificibus legem ponunt? Quia Seſſione V. quemlibet, etiam in Papali dignitate conſtitutum, Concilio generali ſubditum decreverant. Hæc erat mens, hic ſenſus Concilii: etſi variis malis deinde urgentibus ac prævalentibus vota tanti Concilii pro perficienda reformatione magnâ ex parte fruſtrata ſint; juvabat nihilominus certa poſuiſſe fundamenta, quibus ſolida reformatio ſuperſtrueretur.

de Convocatione Conciliorum.

pag. 133. lin. 2.

Sanè illa poſterioris ævi formula neque efficiebat, neque denotabat, ut Patrum ſententiæ minùs requirerentur. Etenim eadem, de qua jam ſermo fuit, Conſtantienſis Synodus Joanne XXIII. præſidente ſic incipit apud Harduinum Tom. VIII. col. 230. *Sanctiſſimus Dominus noſter Papa, ſacro approbante Concilio, ſtatuit ſeſſionem tenendam die veneris 16. hujus menſis.* Dein ordo agendorum ſacro approbante Concilio deſignatur, lectâque ſcedulâ, cujus verbis Bulla convocatio-

Clauſula *Sacro approbante Concilio.*

nis

Digitized by Google

nis deſcripta erat, aliiſque Decretis nomine juſſúque Papæ editis, *Dominus Cardinalis* (Florentinus) *altâ & intelligibili voce interrogans, ſciſcitatus eſt, utrùm omnia & ſingula in ſupradicta ſchedula contenta ipſi ſacræ Synodo placerent. Ad cujus interrogationem omnes & ſinguli Prælati in Synodo exiſtentes concorditer, nemine diſcrepante, reſponderunt, Placet.* ibid. col. 235. Hac reſponſione factum ratúmque intelligitur Conciliare Decretum.

In ipſa etiam Concilii Ferrarienſis, poſtea Florentini, inchoatione ſolemni, lectum Eugenii Papæ Decretum: quo lecto (ſic habent Geſta apud Harduinum Tom, IX. col. 18.) *ſurrexit quidam, ex parte Italorum, & interrogavit Cardinales & Archiepiſcopos & Epiſcopos & Clericos omnes, dicens, Recipitiſne hæc quæ ſcripta & lecta ſunt hodie coram vobis: at illi reſponderunt, Recipimus & approbamus: Tunc interrogaverunt & Græci ſuos Præſules ſimiliter & reliquos omnes iiſdem verbis, & illi reſponderunt, Recipimus & approbamus; & ſcripta fuit approbatio utriusque partis, & indictum Concilium & Seſſionum celebratio in urbe Ferraria.* En quid ſit Concilii authoritate edita probatio. En ùt Synodus non tantùm Pontificis decreto, ſed etiam ſanctæ Synodi approbatione formetur & conſtet; quæ ratio ad cætera quoque decernenda ſpectat.

Neque aliter geſtum in Tridentina Synodo: Allatum Pauli III. decretum de Concilio Bononiam transferendo propter graſſantes morbos. Seſſione VIII. quæſitum à Patribus, num placeret eâ cauſâ *decernere ac declarare Concilium eſſe transferendum, & ex nunc transferri, donec ſanctiſſimo Domino noſtro & ſacro approbante Concilio videbitur, ut ad hunc ſeu alium*

locum ipſum Concilium reduci poſſit ac debeat. Reſponderunt: PLACET. Mortuo Paulo III. Julii III. ſucceſſoris Bullâ Concilium Tridentinum reſumptum eſt, ita decernente atque aſſentiente Synodo Seſſ. XI. an. 1551. Calendis Maji. Suſpenſa Synodus Seſſ. XVI. ſub Julio III., ipsamet Synodo decernente, ſub Pio IV. die 28. Jan. an. 1562. reſumpta fuit Seſſione XVII. Denique eâdem authoritate eodémque ordine Seſſ. XXV. diſſoluta eſt: ſcilicet quæſitum à Patribus, placeátne, ut huic ſacræ œcumenicæ Synodo finis imponatur? Reſponderunt *Placet.* Nihil ergo intereſt, Synodíne an Pontificis nomine, approbante Concilio, ſententia proferatur; cùm in utraque formula unà cum Pontifice Patres quoque ſtatuant, decernant, judicent, ſtétque ſententia communibus ſuffragiis.

pag. 149. poſt lin. 8.

Translatio & ruptura Concilii Baſileenſis

Qui ſcire cupit, translatio atque diſſolutio Baſileenſis Synodi quo loco non ſolùm à Juliano, ſed etiam ab aliis viris bonis doctíſque tum communiter habita fuerit, legat Jacobum de Paradiſo Carthuſianum Erfordienſem Doctorem in Apocalypſi de ſeptem Statibus Eccleſiæ; ibi videbit, tam neglectam atque Italis & Romanæ Curiæ exoſam tunc temporis fuiſſe reformationem, quàm fuit neceſſaria: tum ſubdit mille artes, quibus Concilia diſſolvuntur: „ Quod, inquit, clarè probat tragœdia noſtris temporibus in Baſileenſi Concilio „ practicata, & ex hoc ortum eſt vulnus, neſcio quando curabile contra authoritatem Conciliorum generalium, ut abſentibus Papâ aut ſuis Præſidentibus à loco Concilii, vel „ differentiâ exortâ inter partes ejusdem cenſeatur Concilium „ diſſolutum, reſideatque in perſona Papæ de plenitudine po-

„ teſtatis

Digitized by Google

„ teſtatis auctoritas diſſolvendi & transferendi Concilia ge-
„ neralia, prout Eugenius olim Papa anno 1437. feciſſe com-
„ comprobatur. Hoc venenum per eum diffuſum eſt in Ec-
„ cleſias, per adverſarios Conciliorum. At quod refugium
„ habebunt, ut ſubterfugere valeant correctionem & reforma-
„ tionem? ita ut etiam modernis temporibus frontosè dogma-
„ tizare audeant, in quolibet Papa reſidere plenitudinem po-
„ teſtatis, non ſolùm ſuper quolibet membro ſingulari Eccle-
„ ſiæ, ſed & ſuper totam Eccleſiam ſingulariter congregatam
„ ad libitum ipſius diſponendi, decretandi, diſſolvendi,
„ transferendi, corrigendi, autorizandi, ut nullus & audeat
„ dicere, cur ita facit; & ſic totaliter nituntur ſuffocare au-
„ thoritatem Conciliorum, contra decretationem ab omni-
„ bus acceptam in Conſtantienſi & Baſileenſi generalibus Con-
„ ciliis publicè promulgatam, & contra Pragmaticam Sanctio-
„ nem ſuper hoc editam atque factam."

Decreta memorat in Seſſione V. Conſtantienſi edita, & in Baſileenſi Synodo repetita, atque ab omnibus accepta; ita autem concludit: „Quòd Eccleſiâ univerſaliter congregatâ
„ Papam inferiorem eſſe non dubitemus, & quòd authoritas
„ Eccleſiæ integrè ſervanda eſt ſuper omnem, quacunque præ-
„ fulgeat dignitate, etiam Papali, in his quæ ad Fidem, &
„ ad Schiſmatis extirpationem, & ad generalem Eccleſiæ re-
„ formationem in Capite & in membris. Secundò Concilium
„ punire poteſt & debet quemlibet, etiam Papam, qui con-
„ tumaciter ſtatutis ejus obedire contempſit, ex præmiſſis
„ infertur. Si univerſalis Eccleſia tam in Capite quàm in
„ membris debet reformari, oportet hoc fieri per totam Ec-
„ cleſiam conciliariter congregatam, à Capite incipiendo,

Authoritas Concilii Conſtantienſis.

„ neque enim Spiritus mendax fuiſſe credendus eſt in ore omnium illorum virorum celeberrimorum in Conſtantienſi Synodo congregatorum, qui hoc ſanxerunt per Decretum *Frequens*; licèt quidam ex Italica Natione de Collateralibus Papæ moleſtè illud tulerunt, poſtea tamen omnes conſenſerunt de ſuperioritate Concilii generalis ſuper Papam, licèt inimicus homo iterum ſuperſeminavit zizania."

Hæc de Conciliari authoritate Conſtantiæ omnium conſenſu declaratâ, de zizaniis paulò pòſt ſuperſeminatis, & per hoc impeditâ reformatione, Viri egregii adhuc ſubjecta oculis memorabant; quæ etiam ſerviunt firmandis & illuſtrandis iis quæ in Joannis à Calore Apologia pro Febronio *Art. IV*. de ſupparum teſtimoniis prolata ſunt.

pag. 179. poſt lin. 10.

Demus adhuc recentius auguſtiúſque exemplum Exemptionis ſupremâ auctoritate ſæculari, ſive in parte, ſive in toto (prout huic congruum viſum fuerit) abolendæ. Præbet illud nobis Regalis Carta ſeu Reſcriptum auguſtiſſimæ Imperatricis Viduæ ad Sereniſſimum Archiducem Lombardiæ Auſtriacæ Gubernatorem de menſe Novembri an. 1771. cujus integrum tenorem hic legere pluribus non erit ingratum:

Imperatrix Regina Apoſtolica.

„ L'Imperatrice Vedova, Regina &c. &c. Sereniſſimo Archiduca &c. Conſapevole queſto Noſtro Cancelliere di Corte e Stato, Principe Kaunitz, Conte di Rittberg, delle ſovrane Noſtre intenzioni, & premure, perchè col richiamarſi ad una perfetta oſſervanza l'antica Canonica Diſciplina, il buon

buon ordine, ed il Siſtema della Gerarchia, venga di nuovo antiquæ
ſottomeſſo il Clero tanto. Secolare, che Regolare dè noſtri Diſciplinæ Canonicæ
Stati, all' originaria e legitima giurisdizione degli Ordinarj, reducendæ
Ci ha reſo conto dell' eſecuzione, ſtata data coſtì alla Reale intenta,
Carta dè 5. Giugno proſſimo paſſato, riſpetto a ciò, che determinammo nell' articolo ſecondo della medeſima, con cui Ci piacque di ordinare, che a tal'oggetto, e ſull'exempio di quanto avevamo già riſoluto in rapporto a codeſto Capitolo di Santa Maria della Scala, di Regio noſtro Patronato, veniſſe eſortato codeſto Cardinale Arciveſcovo di obligare tutti gli
Eſenti dell'uno, e dell'altro Clero di Milano, ad intervenire Regularium
a tutte le pubbliche Proceſſioni, tolto ogni preteſo titolo, o Exemptio-
privilegio, ſotto pena, nel caſo di diſubbidienza agli ordini nibus mo-
dello ſteſſo Arciveſcovo, di perdere immediatamente le Eſenzioni. dum ponit
Abbiamo inteſo pertanto con particolare ſoddisfazione, che, in ſeguito degli opportuni concerti, ſeguiti fra la Giunta Economale, ed il detto Cardinale Arciveſcovo, e dopo paſſate da queſti le convenienti inſinnazioni a riſpettivi Corpi del Clero eſente, era ſtato placidamente conciliato l'ordine, con cui diviſo nelle diverſe Claſſi, dovrà procedere il medeſimo Clero nelle pubbliche Proceſſioni, cioè ritenuto quello della riſpettiva anzianita, oſſia del tempo, in cui ciaſcun Ordine Regolare ebbe la riſpettiva ſua introduzione in codeſta Citta, il tutto a tenore della Tabella unita al Decreto Arciveſcovile dè 10. Settembre proſſimo paſſato, Quindi, dandoci Noi per pienamenti ſoddisfatta della Zelante opera e lodevole prontezza, con cui il prelodato Cardinale Arciveſcovo ſi è preſtato anche in queſto incontro a ſecondare le ſuccennate Noſtre premure, vogliamo, che gliene ſia dal Governo manifeſtato nelle forme il pieno Sovrano Noſtro Gradimento."

„ E perchè conoſciamo la convenienza, anzi la neceſſità, di uniformare a queſto provido regolamento tutto il Clero ſi ſecólare, che Regolare di codeſta Noſtra Lombardia, perciò intendiamo, che a tale fine ſieno di Noſtra Mente eſortati non ſolo il detto Cardinale Arciveſcovo di Milano ad eſtendere la ſteſſa provvidenza alla intiera ſua Dioceſi, ma ancora tutti gli altri Veſcovi dello ſtato, ed anche quello di Mantova, perchè ſi preſtino al medeſimo regolamento, da eſeguirſi tanto nelle riſpettive Città, che altreſi in tutt'i luoghi delle loro Dioceſi dentro il Noſtro Dominio, ove vi ſono Conventi di Religioſi, quando ſi tratterà di pubbliche Proceſſioni, o di ſimili atti, che deveno dipendere dalla immediata autorità e giurisdizione del Miniſtero Veſcovile: reſtando conſeguentemente incarricati e autorizzati i riſpettivi Ordinarj a troncare le Controverſiæ di precedenza nel modo praticato da codeſto Cardinale Arciveſcovo, e ſotto la pena della immediata perdita delle Eſenzioni, tanto perſonali, che reali, comminata dalla ſuddetta Reale Carta dè 5. Giugno anno corrente contro quel Corpo del Clero, preteſo eſente, che per avventura foſſe per dimoſtrarſi renitente alle Diſpoſizioni del proprio Ordinario. Sarà dunque della zelante attenzione del Sereniſſimo Arciduca Governatore di far rendere inteſa la Giunta Economale di queſte preciſe Noſtre Intenzioni, onde eſſa ne diſponga il correlativo, & immancábile adempimento. E preghiamo Dio &c. Vienna 14. Novembre 1771. "

easdem penitùs tollere minatur.

Sic religioſiſſima Imperatrix Regina, Regiâ ſuâ authoritate *a*) ſollicita eſt, ut Eccleſiaſtica Diſciplina ad perfectam obſervantiam antiquorum Canonum, & per hoc ad rectum ordinem perducatur; proinde ut Clerus, tam ſæcularis, quàm

Regu-

Regularis, prætenſè exemptus, originariæ legitimæque Ordinariorum jurisdictioni denuò ſubmittatur. *b*) Eo Spiritu mandat omnibus Exemptis, ſæcularibus ac Regularibus, ut publicis Proceſſionibus, aſſiſtant, & quibúsvis ordinationibus ab ordinaria authoritate emanantibus ſe ſubmittant; idque *c*) ſub pœna amiſſionis ſuæ Exemptionis ipſo facto incurrendæ. Ex quo intelligitur, Auguſtiſſimam haud dubitaſſe de ſupremo & majeſtatico ſuo jure Regularium Exemptiones minuendi, imò penitùs tollendi.

pag. 253. poſt lin. 23.

Non me fugit quod de Sarpio memorat Boſſuetus in Defenſ. Declar. Cleri Gall. Lib. VIII. Cap. 12 ſcilicet: *Cùm ille Frater Paulus Calviniana hæreſi, quam cucullatus fovebat, per eorum diſſidiorum occaſionem aditum aliquem quærens, nullum invenerit, aut Senatum inducere auſus ſit, inſidioſiſſimus licèt, ad infringendam Sedis Apoſtolicæ majeſtatem &c.* Eadem vir illuſtriſſimus repetit Libro VII. Hiſtoriæ Variationum. Accuſatio gravis eſt; ſed an fundata? Ad hoc dignoſcendum, ad fontem redeundum eſt, è quo hæ ſuſpiciones atque incuſationes proſiliunt. Habent eæ ſuum fundamentum in quibusdam relationibus inſertis Vitæ Guilielmi Bedelli Epiſcopi Kilmoreenſis in Hibernia à Gilberto Burnet conſcriptæ, ex Anglico gallicè anno 1687. Amſtelodami editæ. Bedellus eo tempore, quo Sarpius Venetiis officio Conſiliarii Statûs fungebatur, eâdem in urbe morabatur ùt Capellanus Wottoni Regis magnæ Britanniæ Legati. Cum hoc Bedello Sarpius arctiſſimo amicitiæ vinculo junctus, & cum eo conſilia de introducenda in Statum Venetum Anglicanâ religione miſcuiſſe, à Bureto dicitur,

Religio F. Pauli Sarpii.

citur. Vid. Bayle Diction. Critique *Verb. Bedell. Lit. A.* Verùm ipſa hæc circumſtantia familiaris commercii inter Sarpium & Bedellum, quæ pro anima prætenſæ machinationis ponitur, ex propriis Statûs Veneti principiis evertitur, quippe quibus vigore Edicti de anno 1542. (quod in hunc usque diem religiosè ſervatur) omnibus Nobilibus, Secretariis & Conſiliariis Statûs ſeveriſſimè inhibitum eſt, ne quis eorum, quo demum cunque ſub prætextu quâve causâ, cum quoquam exteri Principis Miniſtro, aut minimo etiam ejus domeſtico familiariter agat aut cum eo converſetur. Reliqua, quæ propriam Sarpii religionem dubiam facere, atque ejus conſilia mutandæ in Rep. Veneta religionis arguere poſſent, ſolidè confutavit Franciſcus Griſelinus in Anecdotis ad Fratris Pauli Vitam, anno 1761. ex italico germanicè editis ſub titulo *Denckwürdigkeiten des berühmten Fra-Paolo Sarpi. Part. II. §.* 27. *&* *ſeqq.* nec non *Part. III §.* 39. *ſeqq.*

Equidem Jacobus Rex Angliæ Senatum Venetum ſollicitari fecit, ut ſuo exemplo notam juramenti formulam adversùs Rom. Pontificem populis ſibi ſubjectis proponeret, quam ipſe ſuis præſcripſerat. Verùm cùm Rex hiſce talia adderet, quæ Catholicam Religionem turbatura fuiſſent, Sarpius, avitæ religionis tenax, ſuos ea de re ſenſus manifeſtavit in duabus Epiſtolis ad Jacobum Leſcaſſerum exaratis, quas ex authentico edidit laudatus Griſelinus *l. cit.* §. 32. In harum prima, quæ eſt de 22. Decembris an. 1609. ita Frater Paulus: *Rex Anglus nos excitare conatus, egit fortè quod è re ſua fuit, ſed non quod ex noſtra. Ille dum rationem ſuæ fidei reddere vult, & apocalypſin revelare, ea concuſſit, quæ fidei ſunt fundamenta; unde rumor, quòd voluerit fidem pervertere. Ah! quantum profeciſſet, ſi ſola*

ſi ſola politica tetigiſſet, & tantùm juramentum defendiſſet. In altera, quæ eſt de 23. Januarii 1610. ſic loquitur: *Utinam Rex regia tantùm tractaſſet, & à Theologicis abſtinuiſſet. Prudenter illum feciſſe arbitror, quia fortè rebus ſuis ita conducebat, & cum ſuis ſubditis ita tractandum erat. Verùm pro rebus noſtris aliter agendum eſt. Cœlum terræ miſcere nolumus, nec humana divinis. Sacramenta & religioſa omnia ſuis locis manere volumus. Principibus tantùm poteſtatem ſuam aſſerere per divinas Scripturas & Patrum doctrinas licet.* Interim narrationes aut ſomnia Burneti (qui à pluribus ſuorum conterraneorum pro fanatico, credulo, quin & falſario habetur) apud *Proteſtantes* æque ac *Catholicos* fidem & aſſenſum facilè invenerunt: apud *illos* quidem, ut acceſſione viri magni numerum ſuum & authoritatem augerent, apud *hos* verò, ut plus odii concitarent homini, qui pro muneris ſui parte tam fortiter ſe ſe Paulo V. Rom. Pontifici objecerat.

Quod in Examine Judicii Proteſtantico-Jeſuitici pag. 251. refertur, memoriæ Pauli Sarpii egregium monumentum à Sereniſſima Rep. erectum fuiſſe, hoc ex laudati Franciſci Griſelini Anecdotis *Parte III.* §. 33. ſic emendandum venit, ut à Nobiliſſimo Senatu certa pecuniæ ſumma ex ærario publico in ſumptum hujus monumenti impendenda decreta quidem fuerit, attamen monumentum ipſum ex motivis politicis deia imperfectum manſerit.

pag. 254. lin. 8.

Ad priſtina nitendum eſſe, populis chriſtianis tempore Tridentini adeo perſuaſum fuit, ut Regis Chriſtianiſſimi Oratores *Eccleſia ad originarium ſta-*

tum reducenda. tores ad hoc Concilium proficiſcentes tale de Reformanda Eccleſia mandatum acceperint: *Primum id videri, ut ad Eccleſiæ initia redeatur, ut Eccleſiæ ſtatus ad originis ſuæ puritatem quàm maximè accedat.* Memoire pour le Concile de Trente *pag.* 173. Ad hoc etiam, quantum iniquitas temporum & perſonarum tulit, ipſimet Tridentini Patres intenderunt. Hinc Seſſ. XXIII. de Ref. Cap. 7. legitur: *Sancta Synodus antiquorum Canonum veſtigiis inhærendo decernit.* Ibid. Cap. 16. *Sancta Synodus veſtigiis ſexti Canonis Concilii Chalcedonenſis inhærendo ſtatuit.* Item Seſſ. VI. de Ref Cap. 1. *Placuit ſacroſanctæ Synodo antiquos Canones, qui temporum & hominum injuriâ pene in deſuetudinem abierunt .... innovare, quemadmodum virtute præſentis decreti innovat.* Denique Seſſ. XX. de Ref. Cap. 1. *ſtatuit ſancta Synodus, ut quæ aliàs à ſummis Pontificibus & à ſacris Conciliis .... copioſè ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem impoſterum obſerventur. Si qua verò ex his in deſuetudinem abiiſſe* (Ordinarii) *compererint; ea quàmprimùm in uſum revocari, & ab omnibus accuratè cuſtodiri ſtudeant; non obſtantibus conſuetudinibus quibuscunque.* Ut quid autem Spiritus Dei hunc antiquitatis & priſtinæ puritatis ſermonem loquens, ab Epiſcopis ſolùm audietur, non verò penetrabit usque ad cor Romani Pontificis!

pag. 283. poſt lin. 28.

Locus divi Bernardi explicatus. Romani ad illimitatum Pontificiæ poteſtatis uſum referunt locum S. *BERNARDI* Lib. III de Conſid. Cap. 4. ubi *ſic ſactitando*, inquit, *probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed juſtitiæ fortè non ità. Facitis hoc quia poteſtis; ſed utrùm hæc debeatis quæſtio eſt.* Hinc dicunt, ſancto Doctori certum

fuiſſe,

fuiſſe, quòd Pontifex in omnes Chriſtianos, etiam laicos, habeat plenitudinem poteſtatis. Nos ſupremam in Eccleſia poteſtatem, quam S. Bernardus vocat *plenitudinem poteſtatis*, Pontifici non negamus; ſed ſummæ poteſtati eum, quem Canones præſcribunt, adhibendum eſſe modum contendimus, atque in eo Bernardum habemus conſentientem, dum ibidem illud etiam ſubdit: *Vides quàm verus ſit ſermo ille, Omnia mibi licent, ſed non omnia mibi expediunt. Quid ſi fortè non licet! Ignoſce mibi, non facilè adducor licitum conſentire, quod tot illicita parturit.* Sic ille extraordinaria & arbitraria inter illicita reputat. Nos id tantùm volumus, ne arbitrariis & Canoni adverſantibus imperiis Eccleſiæ gubernentur, in eóque reponimus Eccleſiaſticam libertatem.

pag. 289. in fin.

Dominus Eccleſiaſticam poteſtatem componendo & Regiam, Apoſtolos allocutus hæc verba protulit Lucæ XXII. ℣. 25. 26. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.* Quod diſcrimen ut apertius fiat, obſervandum venit, Jus, quod in negotiis publicis verſatur, ita Regibus commiſſum eſſe, ut conſtitutiones & mandata, quæ hanc partem imperii attingunt, ab eorum nutu pendeant, nec indigeant ullo civium conſenſu. Itaque pacis & belli ſummum atque liberum arbitrium, & ſubſidiorum, quæ ad utriusque imperii rationes neceſſaria ſunt, ad ſolum Principem ſpectat. Hujus jure & virtute imperii Princeps poteſt ſingulorum, quin & provinciarum diſpendio totius Reipublicæ ſalutem procurare. Verùm ab hac imperii parte longè abeſt auctoritas Eccleſiæ, quæ ita ſingulorum ſaluti eſt addicta, ut neminem perdere poſſit

Diſcrimen regiminis Eccleſiaſtici à Civili.

Zz 2 ad

ad ſalvandos cæteros. Hoc ſenſu verum dominatum Regibus, non autem Sacerdotibus, aſſerit divus Bernardus, & ferè totus in eo eſt, ut hanc ſententiam Eugenio Pontifici perſuadeat, ita ad eum ſcribens Lib. II. Cap. 6. *Non enim tibi ille* (Petrus ſc.) *dare quod non habuit potuit; quod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem, ùt dixi, ſuper Eccleſias. Numquid dominationem? Audi ipſum: Non dominantes in clero, ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſolâ humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini eſt in Evangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Et infert: Vos autem non ſic. Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi uſurpare aude, aut dominans apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis. Si utrumque ſimul habere velis, perdes utrumque.* Quinimò Principibus ſæculi merum jus imperandi eâ etiam ratione aſſerendum eſt, ut duris quoque & acerbis Principum dyſcolorum mandatis cedendum ſit; quod tamen obſequii genus adeo diſtrictè à Chriſtianis Eccleſiæ benignitas non exigit.

Hæc genuina indoles poteſtatis Civilis; ſive illa penes unum ſit, ſive apud plures, ſeu pro portionibus æqualibus ſeu inæqualibus; pro voluntate ſcilicet hominum in unam ſocietatem coëuntium, ex ſuo arbitrio, aut ab initio, aut pòſt, uni vel pluribus Principibus vel Primoribus imperium in ſe & jurisdictionem tribuentium. Poſſunt hæc variare, & de facto variant in infinitum pro diverſitate Rerump. Hæc certa, omnibúsque nota ſunt, & ſemper fuerunt. Alia planè eſt ratio Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, in qua nec Pontifex nec populus, ſed *Chriſtus & Eccleſia* ſuam cuique portionem jurisdictionis ac poteſtatis aſſignant pro bono & ſpirituali ſervitio fidelium.

Digitized by Google

delium. Si his perſuadeatur (uti ex doctrina ſæculorum ignorantiæ eis perſuadere conatur Benedictus XIV. *in Tract. de Synodis Lib. I. Cap.* 4.) Epiſcopos *à Pontifice* habere poteſtatem conferendi beneficia, cauſas audiendi, cenſuras ferendi, & cætera præſtandi, quæ ad ſubjecti gregis regimen ſunt neceſſaria; error eſt, utcunque vetus, qui Pontifici nihil addit, Epiſcopis nihil tollit. Verùm ab his argumentum & ſequela duci non poteſt ad jura Principi ſæculari ex populi conſenſu, ſive ab initio, ſive deinceps delata.

pag. 316. lin. 4.

Boſſuet *Expoſitio Doctrinæ Cathol. pag.* 194. *edit. an.* 1761. „ Tanta eſt ſupremæ illius autoritatis in Eccleſia neceſſitas, quò de fide Scripturarúmque ſenſu ortæ controverſiæ dirimantur, ut Adverſarii, poſtquam illam velut intolerandam tyrannidem traducere conati ſunt, eandem ipſi quoque admittere, ac diſſenſionibus componendis velut certum remedium adhibere coacti ſint. ”

Synodi in Eccleſiis Proteſtantium ſunt inutile remedium ad tollendas controverſias fidei,

„ Cùm enim ii, qui dicuntur Independentes, palam profeſſi eſſent, unicuique fidelium ex propriæ conſcientiæ præſcripto vivendum, nec eſſe, cur judicium privatum ullius Ordinis aut Collegii, vel Eccleſiaſtici Conventûs autoritati ſubjiciat; cúmque his inſiſtentes placitis, Synodis ſe ſubmittere recuſarent; hanc doctrinam Carentonenſis Synodus anno 1644. habita iisdem rationibus, iisdem adducta incommodis damnavit, quibus nos illam repudiamus. Principio notat illa Synodus, in eo ſitum eſſe Independentium errorem, quòd doceant, *unamquamque Eccleſiam ſuis propriis legibus ita gubernari debere, ut in rebus eccleſiaſticis nemini ſubjecta ſit, at-*

que à nemine dependeat, *neque ullam Colloquiorum*, *Synodorúmque autoritatem ad ſuum regimen adminiſtrationémque agnoſcere teneatur*. De eo verò errore ita judicat Synodus, eſſe hanc ſectam *tam Reipublicæ*, *quàm Eccleſiæ pernicioſam*; *abſurdis quibuscunque inſanisque commentis viam aperire*; *omnes iis medendi rationes tollere*; *ac ſi illi ſententiæ locus eſſet*, *poſſe tot Religiones fingi*, *quot Parœciæ*, *privatíve Conventus forent*. Quibus poſtremis verbis apparet voluiſſe Synodum eam, quam hoc decreto conſtituit, ſubjectionem ac dependentiam ad fidei negotia præcipuè pertinere, cùm maximum incommodum, quod ex independentia eventurum notat, illud ſit: *Poſſe tot Religiones fingi*, *quot Parœciæ forent*. Neceſſe eſt igitur ex hujus Synodi decreto ſingulas Eccleſias, multóque magis ſingulos homines privatos à ſuperiori aliqua autoritate, quæ penes Conventum al quem Collegiúmve ſit, in rebus fidei pendere, cui autoritati judicium proprium omnes ſubjiciant. Neque enim abnuunt Independentes Dei ſe verbo ſubmittere, prout illud ſibi intelligendum credent, neque Synodorum amplecti decreta, quæ poſtquam excuſſerint, æqua judicabunt. Illud verò negant, ullius ſe decreti eccleſiaſtici autoritate teneri, aut ullum eſſe Conventum, cui proprium ac privatum judicium ſubjicere debeant: quod nempe ab ipſis Calvinianis acceperint Conventum omnem, etiam ipſius univerſalis Eccleſiæ, hominum ſocietatem eſſe erroribus obnoxiam, cuíque adeo ſuum ſubjicere privatum judicium Chriſtianus homo non debeat, cùm id obſequii ſoli debeat Deo . . . . „

„ His vitandis incommodis, ex quibus Chriſtianam Religionem convelli, ac penitus labefactari neceſſe eſſet, coacta eſt Carentonenſis Synodus, *aliquam in rebus eccleſiaſticis dependen-*

pendentiam conſtituere etiam in eis, quæ ad fidem pertinent. Quæ dependentia animíque ſubjectio nunquam peſtiferos, quibus obviam ire voluerunt, prohibebit eventus, niſi nobiſcum conſentiant, ac decernant, privatam quamque Eccleſiam, multóque magis privatum unumquemque Chriſtianum certò debere credere, judicium proprium eſſe Eccleſiæ autoritati neceſſariò ſubjiciendum. "

„ Itaque Calvinianos videmus Cap. 5. ſuæ Diſciplinæ Tit. de Conſiſtoriis Art. 31. cùm præſcribunt rationem *finiendarum controverſiarum, quæ de aliquo ſeu doctrinæ ſeu diſciplinæ capite oboriri poſſent*, ſtatuere primò conaturum Conſiſtorium, *omnia ex verbo Dei placidè ac ſine ſtrepitu componere*; deinde poſitis Conſiſtorio, Colloquio, Synodo Provinciali, veluti totidem juriſdictionis gradibus, cùm denique ad Nationalem Synodum devenêre, ſupra quam nulla apud eos poteſtas ſit, de eo hæc dicere: *Hic integra fiet & ultima per verbum Dei totius quæſtionis deciſio, cui, ſi renuant omnino acquieſcere, errorésque diſertè abjicere, ab Eccleſia abſcindentur.* Quo loco manifeſtum eſt, Calvinianos ſupremi illius judicii vim Dei verbo non tribuere ſecundùm ſe ſumpto, præciſóque ab Eccleſiæ interpretatione; cùm verbo eodem in prioribus ſint uſi eccleſiaſticis judiciis, nec eò minùs ſinant ab iis appellari. Non igitur aliter illud verbum, quàm ſi ſupremo Eccleſiæ judicio expoſitum ſit, *ultimam illam* facit *deciſionem, cui quicunque omninò acquieſcere renuit*, quamvis ſibi verbum Dei favere dictitet, non alius jam habeatur, quàm profanus quidam, qui ſacrum illud verbum adulteret, eóque ad errores ſuos tuendos abutatur. "

„ At formula litterarum, quæ à Synodo Victoriacenſi in Armorica anno 1617. conſcripta eſt provinciis uſurpanda, quoties ad nationalem Synodum Legatos mittant, habet aliquid longè Chriſtianos

& ad uniendos in eadem Religione

Digitized by Google

gè validius; his enim concepta eſt verbis: *Promittimus coram Deo, iis omnibus nos ſubjiciendos, quæ in ſancto veſtro cœtu conventa & decreta erunt, iis parituros, & omni noſtrâ facultate executuros; quòd nobis perſuaſum ſit fore ut Deus ei præſideat, vóſque Spiritu ſancto ſuo in omni veritate & æquitate per verbi ſui regulam dirigat.* Non id hìc agitur ut Synodi alicujus decretum ſuſcipiant tum, cùm ad Scripturæ mentem dixiſſe compererint; quin potiùs Synodo ſe antè ſubjiciunt, quàm congregata ſit; ideóque ſubjiciunt, quòd perſuaſum habeant, *fore ut Spiritus ſanctus ei cœtui præſideat.* Quòd ſi id humanâ tantùm præſumptione perſuaſum habent, qua fide poſſunt *promittere coram Deo ſe ſubjiciendos iis omnibus, quæ conventa erunt & decreta, eis parituros, & omni facultate ſuâ executuros?* Si verò de Synodo congregandâ tam præclarè ſentiunt, quòd credant Spiritum ſanctum Eccleſiæ in ſupremis judiciis aſſiſtere, nil jam ampliùs ipſi Catholici poſtulant."

„ Sic igitur agunt Adverſarii, ut qui nobiſcum de ſuprema illa autoritate conſentiant, quâ ſublatâ nulla unquam orta de Religione dubitatio finiri poſſit. Sin autem cùm jugum excutere aggreſſi ſunt, negarunt teneri Chriſtianos privatum judicium Eccleſiæ judicio ſubjicere; ordinis deinde conſtituendi ratio id exegit, ut ultrò admitterent, quod primùm ſeceſſionis tuendæ gratiâ repudiaverant."

Digitized by Google

INDEX.

A.

Abuſus Romanæ Curiæ ſchismate deteriores ſunt. 243. Quomodo corrigendi. 269.
Æneas Sylvius inconſtantiæ & malæ fidei arguitur. 243. ſeqq. 256.
Agni & oves in S. ſcriptura promiſcuè ſumuntur. 7.
Annatæ an & quale fundamentum habeant. 161. ſeqq. 238. Vigore Concordatorum Germaniæ nullæ debentur. 142. 276. Earum ſolutio à Principibus poteſt prohiberi. 164. 238.
Apoſtoli omnes ſunt fundamenta Eccleſiæ. 3. 4.
Apoſtolicæ Sedis auctoritas in rebus fidei. 105. ſeqq.
Apoſtolica ſtatuta differunt à Pontificiis. 96.
Appellationum jus non eſt Romanæ Sedi proprium. 295. Eas Afri non patiuntur. 25. Quamdiu tolerantur, partibus committendæ ſunt. 190. 276.

B.

Baſilienſis Concilii ruptura gravia mala Eccleſiæ intulit. 354.
Baſileenſium Patrum de ſuperioritate Concilii communis ſententia 144. 146. 355.
Beneficiorum reſervatio in quo fundetur. 160. Nulla Rom. Pontifici in Germania agnoſcenda. 276.

Digitized by Google

S. Bernardus in pleraque Febronii placita prævivit. 180. 181. 219. 229. 242. 269. 272. 362. 364. Obſervat differentiam inter diſciplinam novam & veterem. 53.

S. Bonifacius quomodo Germanos ad ſubjectionem ſummo Pontifici exhibendam diſpoſuerit. 347.

Boſſueti primum maximúmque principium pro reunione Proteſtantium. 265.

Bullam Cœnæ Clemens XIV. Pont. Max. non publicavit. 235.

Bullis à Romana Curia injuſtè negatis quomodo procedatur. 199.

C.

Cæcilianus qualiter & à quibus judicatus. 299.

Canones nulli ante Nicænam Synodum ſcripti. 109.

Canones Pontificibus plura tribuunt quæ nativo jure non habent. 44. ſeqq.

Caput proprium Eccleſiæ Chriſtus eſt. 28. An & quo ſenſu illud ſit Romanus Pontifex. 30.

Capite viſibili quos in fines Eccleſia indigeat. 331. An ejus conſtitutio ſit unicum remedium ſervandæ in Eccleſia unitatis 334. An hoc medium ſit eum in finem idoneum. 338.

Cardinalium prælatione juribus Epiſcoporum detrahitur. 165. Quando illi ante hos præcedentiam obtinuerint. 307.

Cardinalium Collegium quomodo ordinandum. 270.

Cauſæ Majores an de jure ad Sedem Romanam pertineant. 81. ſeqq. 304. 306.

Centrum unitatis in Eccleſia eſt ſummus Pontifex, & quousque. 32. ſeqq.

Claves univerſitas accepit Eccleſiæ. 5. 8. ſeqq. Qualiter illæ huic datæ intelligantur. 156.

Clau-

Clauſula Conciliaris *ſacro approbante Concilio*, quis ejus effectus, quæ vis. 131. 352.
Cluniacenſium Ordo ſervivit ampliandæ Pontificiæ poteſtati. 56.
Coadjutores Epiſcopi qua auctoritate dati. 76. ſeqq.
Communio Eccleſiæ quomodo amittatur, quomodo ſervetur. 192. ſeq.
Conciliorum generalium neceſſitas & frequentia. 114. 351. Qua ratione olim celebrata. 122. Quis ea convocet illísque præſideat. 117. 279. 282. ſeq. 352. Qua auctoritate transferenda. 353. Ex eorum omiſſione multa mala prodierunt. 90. Priora poſterioribus emendantur. 176.
Conciliorum generalium authoritas ſupra Pontificem. 136. 275. 283.
Concordata Nationis Germanicæ Papam Concilio ſubjectum declarant. 138. ſeqq.
Confirmatio electionis Epiſcopalis ſi Romæ injuſtè negetur, qua ratione procedendum. 200.
Congregatio Indicis Romana, ejus nævi. 182. 215. 248.
Conſtantienſis Concilii Decreta legitima eſſe probatur. 144. 352. 355.
Conſtantinopolis commune quondam fidei Emporium. 49.

D.

Decretalibus RR. Pontificum non ſemper nova præſcribuntur. 112. 349. Vim legis accipiunt per conſenſum & acceptationem Eccleſiarum. 109. 111. 350. Qua ratione publicentur. 112. Decretalibus, quæ ſacris obviant Canonibus, non eſt parendum. 91. 349.
Decretum Gratiani & Decretales Gregorii IX. magnâ parte ex ſpuriis fontibus hauſta ſunt. 52. 53.

Devolutionis jus quid Rom. Pontifici tribuat. 87.
Dictatus Gregorii PP. VII. 56. ſeqq.
Difficiliores fidei & aliarum rerum quæſtiones qualiter tractandæ & à quo decidendæ. 62.
Diſciplinam Eccleſiæ prolapſam eſſe Catholici ac Hæretici communiter fatentur. 256. Diſciplinæ nævi ſunt cauſa ſchismatis. 128. Qua ratione illis ſuccurrendum defectu Concilii. 129.
Diſciplina antiqua reducenda eſt. 255. 362. Eam curant Principes ſæculares. 357.
Diſpenſandi facultas non ſemper fluit ex poteſtate legislatoria. 105. 342.
Diſpenſationes quomodo concedendæ. 134. 245.

E.

Eccleſiæ proprietates ſeu Notæ. 329. Ejus ſtatus qualiter ſit monarchicus. 205. In quo illius regimen differat ab adminiſtratione civilium Rerump. 30. 363. Pluribus de cauſis eget viſibili Capite. 329. 331.
Eccleſia non ſiluit ad exceſſus Pontificiæ poteſtatis. 72. Ad antiquum ſtatum reduci debet. 361. Ea ſola eſt infallibilis controverſiarum fidei judex. 314. 336. Eccleſiæ univerſalis acceſſus ad Decretum ſummi Pontificis conſtituit articulum fidei. 292.
Epiſcopalis poteſtas qualiter, quoad principium, differat à poteſtate Parochi. 158.
Epiſcopatus in Eccleſia unus eſt, & omnibus Epiſcopis communis. 18. ſeqq. Hæc unitas non præjudicat Primatui Rom. Pontificis. 21.

Digitized by Google

Epiſcoporum jurisdictio immediatè à Deo eſt. 130. 150. 155. Hanc illi per conſecrationem accipiunt. 11. 154. Hæc divina collatio eſt una ex primariis portionibus Eccleſiaſticæ libertatis. 183. Epiſcoporum reſidentia an ſit juris divini, & quid eâ de re actum in Tridentino. 127. In hoc Concilio Epiſcoporum auctoritati detractum eſt. 230. Facti ſunt ùt ſimulacra depicta. 54. Delegata illis poteſtas divinæ eorum inſtitutioni derogat. 309. In quo hæc delegatio reſpectu Regularium conſiſtat. 310.

Epiſcopi Papam ùt Monarcham recognoſcunt. 59. Quo ſenſu dicantur Epiſcopi *per gratiam Sedis Apoſtolicæ*. 157. Ipſi, non verò Cardinales, de jure ſunt Papæ coadjutores. 166. 176. Poſſunt in Conciliis per procuratores comparere 122. Eis competit prima inſtantia omnium cauſarum 189.

Epiſtolæ RR. Pontificium, cùm in Codicem Canonum relatæ fuerint, vim legis nanciſcuntur. 113.

V. Eſpenii Opera num prohibita ſint. 248.

Euſtathius Sebaſtenus, an & qua authoritate ſuæSedi reſtitutus ſit. 300.

Eutherius Thyanenſis & Helladius Tarſenſis qualiter Rom. Pontificis opem inclamaverint. 301.

Excommunicationis genuina ratio & proceſſus canonicus. 185. 187. 203.

Excommunicationum abuſus. 188. 216. Excommunicationes latæ ſententiæ novioris inventionis ſunt. 186. & non legitimæ. 189.

F.

Febronii de Romano Primatu ſententia. 274. An & qualiter Papam judicaverit. 180. Ejus Syſtema an novum ſit & chimæricum. 253. ſeqq. Febronio idem qui Boſſueto reuniendi finis idemque medium. 268.

Febronii doctrina nemini prudenti ſuſpecta eſt. 216. 218. 221. An ſuſpectis in Eccleſia Scriptoribus uſus ſit. 247. 249. Ejus liber quatenus prohibitus ſit vel non. 181. 183. 208. An Proteſtantibus æque ac Catholicis diſpliceat. 206. 218. 277. ſeq. 290. 313. 316.

Fidei articuli fundamentales qui? 320.

Fidei quæſtiones in Synodis examinantur & deciduntur. 319. Quomodo de eis judicent Epiſcopi. 61. Quomodo Papa. 343.

G.

Gallia an à Declaratione ſui Cleri de anno 1682. receſſerit. 201. Galliæ Epiſcopi & Graduati omnes in propoſitiones hujus Declarationis hodieque jurant, Papâ tacente ibid.

Germaniæ Doctoribus non licet publicè docere Papam eſſe ſuperiorem univerſali Concilio. 142.

H.

Hæreſes damnantur ubi naſcuntur. 337.

Hæretici an ſint membra Eccleſiæ. 320. Eos convertendi remedia. 181.

Hincmarus Remenſis Archie. in Corpore Juris laudatus. 91.

Digitized by Google

L.

Jeſuitæ in negotio Cultûs Sinenſis RR. Pontificibus reſiſtunt. 204. An idonei ſint ad reunionis negotium. 264. 274. Cur Febronius illos plus quàm alios Regulares urgere videatur. 237. 251.

Incardinare quid ſit. 43.

Indulgentiarum hodierna frequentia pœnitentialem diſciplinam enervat. 229.

Inerrantiæ donum non Rom. Pontifici, ſed Eccleſiæ datum eſt. 13. ſeqq. 314. 336.

Informatio de idoneitate promovendorum ad Epiſcopatus per quos ſumenda. 202.

S. Joannis Chryſoſtomi locus explicatus. 305.

S. Irenæus Victorem Papam reprehendit et damnat. 50. Ejus ſententia de Romanæ Eccleſiæ potentiore principalitate. 47.

Iſidori Decretales Eccleſiaſticam Diſciplinam inverterunt. 246. ſeq. Pontificiæ poteſtati incrementum dederunt. 50. Jamtum ſæculo IX. earum uſus apparet. 51.

Judex ultimatus controverſiarum fidei eſt Eccleſia. 334.

Jugum papale quouſque ferendum. 348.

Julianus Præſes Baſilien. Synodi ſententiam circa ſuperioritatem Concilii non mutavit. 144. ſeqq.

Juramentum quod ab Epiſcopis primus exegit Gregorius PP. VII. 59.

K.

Kauffmans Doctor Colonienſis Febronii adverſarius refutatur. 13. 17. 32. 55. 64 142. 149. 155. 180. 195.

L.

L.

Legatorum Apoſtolicorum recentiorum à veteribus differentia. 40.
Legum ferendarum & juris dicendi poteſtas num ſit penes Rom. Pontificem. 22. ſeqq. 26. 81. 294. 342.
Libertates Eccleſiarum in quo conſiſtant. 179. 203. 363. Vigorosè defendendæ ſunt. 194.

M.

Mater & Magiſtra aliarum Eccleſiarum quænam Eccleſia ſit. 31.
Monarchicum an ſit Eccleſiæ regimen. 82. 84. 278.
Monaſteria auctoritate Imperatorum & Regum viſitantur, qui & ibidem circa Diſciplinam ſtatuunt. 178.

O.

Obedientiæ ſubtractio quando locum habeat & quo modo. 164. 194. ſeqq. 212. 219. 240. Per eam magna ſubinde bona Eccleſiæ procurata ſunt. 285.
Obedientiâ ſubtractâ qualiter interim ſacra adminiſtrentur. 196.

P.

Pallavicinus an ſit Hiſtoricus exceptione major. 284.
Pallia quando Metropolitani Germaniæ primùm Romæ acceperint. 347.
Patriarchatûs novi erectio non obſtat debitæ communicationi cum Sancta ſede. 195.
Paulus Samoſatenus à quo definitivè damnatus. 299.
Primatus Petri & poſt eum Rom. Pontificis probatur. 118. 322. 323. In quo ille conſiſtat. 31. 326. 341 ſeqq.

Primatus

Primatus jurisdictionis qualis ſit apud Rom. Pontificem. 22. ſeqq.
Primatuum & Patriarchatuum determinatio pertinet ad Synodos. 80.
Principalitas Eccleſiæ Romanæ quid ſit in ſenſu S. Irenæi. 49. Item in ſenſu S. Leonis M. 152.
Principes debent ſuis ſubditis protectionem adversùs abuſus Romanæ poteſtatis. 261.
Probabiles propoſitiones non debent damnari. 217.
Profeſſores Juris Canonici multorum in Eccleſia malorum cauſa ſunt. 255.
Promulgare legem quid ſit. 95.
Prooedria in Conciliis generalibus qualiter Romano Pontifici debeatur. 342.
Protectio regia adversùs injuſtas cenſuras imploratur. 191.
Proteſtantes reducendi optima methodus. 266. 271.

R.

Rationis humanæ quis in rebus fidei ſit uſus. 335.
Regimen ſæculare in quo differat ab eccleſiaſtico. 363.
Regularium exemptiones quando cœperint. 308. illegitimæ ſunt. 169. ſeqq. 236. à S. Bernardo improbatæ. 167. Statui publico præjudicant. 177.
Regulares quia Epiſcopis ſubeſſe nolunt, à ſæcularibus poteſtatibus emendantur. 311. 356. Multi eorum præferrent ſubeſſe Ordinariis. 312. Quomodo ab Epiſcopis in ordinem & ad ſubmiſſionem redigi valeant. 169. 198. 172. 174. 236. Quomodo à ſæculari poteſtate. 357. Qua ratione baſilicam S. Petri ſuſtentare dicantur. 176.

Reſervationes Papales an ſint argumentum Statûs Monarchici, 290.
Reſiſtentia legitima eſt ubi obedientia culpoſa. 203. 232.
Richerii (Edmundi) doctrina & fatum. 12. 13. 345.
Roma qualiter aliarum Eccleſiarum Mater ſit. 245. Debet non ſolùm ſpeculativas extravagantes ſententias deponere, ſed & mores Canonibus accommodare. 181. 214. 218. Necdum dimittit antiquas prætenſiones in temporalia Regum. 233. 235.
Romana Curia fide publicâ perſæpe abutitur. 141. Spem facit emendationis. 219. 264. Sed incorrigibilis creditur. 260.
Romanæ Eccleſiæ varia jura ab hominibus ob memoriam B. Petri adjecta fuerunt. 346. Eadem non ſervavit ſe puram in diſciplinaribus. 254. Per hoc fuit cauſa ſchismatis adhucdum perdurantis. 256. ſeq.
Romani munera valde diligere creduntur. 180. 242. de iis judicium S. Bernardi. 181. 243.
Romanorum falſa juris principia ejus Curiæ communia & conformia ſunt 231. 233. Superinductorum Romanorum reſervatorum modi & neceſſaria temperamenta. 275.
Romanus Pontifex eſt Occidentalium Coryphæus. 37. Habet præterea Primatum univerſalis Eccleſiæ. 325. 336. Add. *Primatus.* In quo hoc Primatis officium conſiſtat. 39. 62. 63. 304. Ex quibus principiis ejusdem jura æſtimanda. 340. Habet ſollicitudinem omnium Eccleſiarum, non dominationem. 243 364. Ad eum pertinent quæ ad ſtatum univerſi attinent, non quæ ad jura privatorum. 199. 303. Illa ad eum referenda, non hæc. 303. 342. Quomodo habeat plenitudinem poteſtatis. 54. 354 362. An cum
imperio

imperio agere poſſit. 23. ſeqq. Alia ejus jura originaria, alia adventitia. 46. 86. 275. 345. Eſt Vindex & Cuſtos Canonum. 102. ſeqq. Fidei. 105. ſeqq. 342. & Diſciplinæ. 107. Qua ratione refractarios valeat coërcere. 108. Habet jus mandandi & canonicè monendi in ordine ad ſervandam unitatem. 34. Debet mandare ex jure conſtituto. 99. Non poteſt novum jus condere. 89. ſeqq. 172. Extraordinariæ poteſtatis exercitium quando in eo locum habeat. 43. 86. Vices negligentium Epiſcoporum & Metropolitanorum ſupplet. 39. ſeq. 41. Non eſt Epiſcopus univerſalis. 152. Non valet judicare in prima inſtantia. 189. Non venit nomine proprii Sacerdotis. 191. Non poteſt lædere jura Epiſcoporum. 54. Tenetur horum jura adversùs violatores tueri. 343. Quam poteſtatem habeat in decreta Concilii Tridentini. 135. Qualis ei debeatur obedientia. 266. 343.

Romani Pontifices ſibi attribuunt quod eſt proprium Eccleſiæ. 60. Plures eorum rexerunt Eccleſiam ad modum terrenorum Principum. 90. Sequuntur ſufflaminationes Curialiſtarum. 148. Occupant omnia jura inferiorum Prælatorum. 90. Nimium habere volentes omnia perdunt. 55. 364. Nonnulli eorum ſubinde in ſchisma declinârunt. 35. ſeq. Poſſunt à generali Concilio judicari. 122. 214. 275. Exceſſus Pontificiæ poteſtatis eſt principium, cauſa & ſeminarium omnium in Eccleſia malorum. 225. ſeqq. Ejusdem juſta diminutio conducit ad reunionem Proteſtantium. 213. An & quæ ex ſecundariis Pontificis juribus auferri valeant 288. ſeq.

Digitized by Google

S.

Sæculares Poteſtates hoc ævo Eccleſiaſticam Diſciplinam egregiè adjuvant. 220.
Sarpius (Paulus) an Proteſtantium ſectæ jure annumerari valeat. 249. 359.
Schismata plerumque à Sacerdotibus oriuntur, 37. Ea tam in Oriente quàm in Occidente magnâ ex parte Romanis Pontificibus adſcribuntur. 36.
S. Scriptura in multis obſcura eſt, 334. Adeoque authenticâ interpretatione indiget. 315. 328.
Sedem inter & ſedentem differentia eſt. 232. 237.
Sedium Epiſcopalium novarum erectiones per quos faciendæ. 79. ſeqq.
Spiritus privatus non poteſt eſſe regula fidei. 335. 366.
Synodales litteræ quo modo & quo fine ad Eccleſias miſſæ, 120.
Synodi Proteſtantium an ſint medium unionis. 315.

T.

Textûs Matthæi XVI. *Tu es Petrus &c.* variæ interpretationes. 1. 4. 5. 8. 244. 286. 322. ſeqq.
Textus Joannis XXI. *Paſce oves meas, paſce agnos meos.* 4. 6. 7. 8. 286. 325.
Textus Lucæ XXII. *Ego pro te rogavi Petre &c.* 14. ſeqq.
Theologi munus in indagandis variationibus Eccleſiaſtici juris. 88.
Traditiones Eccleſiæ quatenus à Proteſtantibus admittantur. 327.
Translatio Epiſcoporum cujus auctoritate facienda. 72.
Triden-

Digitized by Google

Tridentini Concilii Acta in quo differant ab Actis præcedentium Conciliorum. 123. In eo Italica Natio pleraque Diſciplinaria ad nutum Romanæ Curiæ decidit. 125. 128. 135. Ejus decreta non ſufficiunt ad reparandam Eccleſiæ Diſciplinam. 254.

Tridentini clauſula *ſalvâ Sedis Apoſtolicæ authoritate*, quam vim & ſignificationem habeat. 133.

U.

Veneti nunquàm cogitârunt veram fidem mutare. 360.

Vicariorum Apoſtolicorum officium non poteſt præjudicare juri Metropolitanorum. 38.

Vidimus ab Epiſcopis Germaniæ litteris Apoſtolicis ſubinde negatur. 165.

Unitas eſt vera Eccleſiæ proprietas. 316. 323. Hæc apud Proteſtantes nec eſt nec eſſe poteſt. 365. ſeqq. In quo illa conſiſtat. 321. Ad eam ſervandam viſibili Capite Eccleſiæ opus eſt. 322.

Unitatis tuendæ media quibus ſummus Pontifex uti poteſt. 33. 304. Quibus Proteſtantes utuntur, ſed ſine effectu. 367.

Digitized by Google

ERRATA.

Pag. 5. lin. 28. poſt *privilegium.* add. *intelligitur.*
pag. 18. lin. 14. & 16. *Cap.* leg. *Tit.*
pag. 24. lin. 21. *affectum.* leg. *effectum.*
pag. 32. lin 4. *evertâ.* leg. *everſâ.*
pag. 36. lin. 29. *hoc.* leg. *hac.*
pag. 39. lin. 6. *&.* leg. *ad.*
pag. 47. lin. 17. *tenetur.* leg *tenentur.*
pag. 49. lin. 29. *Civitatis.* leg. *Civitas.*
ibid. lin. 30. *extrema terra.* leg. *ab extrema terra.*
pag. 59. lin. penult. *Eccleſiæ.* leg. *Eccleſia.*
pag. 62. lin. 3. *Conſilii.* leg. *Concilii.*
pag. 64. lin. 5. *Conſilio.* leg. *Concilio.*
pag. 67. lin. 19. *depoſitiones.* leg. *depoſitionis.*
pag. 83. lin. 20. *haut.* leg. *haud.*
pag. 98. lin. 13. *inductum.* leg. *inductam.*
pag. 102. lin. 13. *concilium.* leg. *conſilium.*
pag. 105. lin. 22. *ab eo.* leg. *ab ea.*
pag. 109. lin. 14. *ex* leg. *ea.*
pag. 118. lin. 19. *prò Romano.* add. *Primatu.*
pag. 128. lin. 7. *quod.* leg. *quoad.*
pag. 140. lin. 7. *conceſſit.* leg. *conceſſis.*
pag. 152. lin. 11. poſt *aliarum.* add. *Eccleſiarum.*
pag. 157. lin. 11. *earam.* leg. *earum.*
pag. 160. lin. 20. *monſtruoſis.* leg. *monſtroſis.*
pag. 167. lin. 13. *elicitos.* leg. *editos.*
pag. 181. lin. 20. *Cap. V.* leg. *Tit. V.*
pag. 182. lin. 2. *in Germania.* leg. *quater in Germania.*
ibid. lin. 20. *jure.* leg. *jura.*
pag. 188. lin. 6. *jure.* leg. *jura.*
pag. 190. lin. 1. *paſſunt.* leg. *poſſunt.*
pag. 192. lin. 17. *publicavit.* leg. *non publicavit.*
pag. 202. lin. 1. *utrunque.* leg. *utcunque.*

pag.

Digitized by Google